
IHS


NAZIONALE
8
16 — C
26
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

CVRATOR ANIMARVM.

In quo primum de Cura ipſa animarum agitur, tùm de his, quæ Deo, poſtea quæ ſibi ipſi, ac demum, quæ animabus ſibi commiſsis Curator debet.

E Sacrarum literarum doctrina, Sanctorumque Patrum authoritate Concinnatus.

Auctore Carolo Andrea Baſſo, Theologo, Oblato, & Præpoſito Burgi Tritij,

Opus DIVO CAROLO dicatum.

CVM PRIVILEGIO.





MEDIOLANI,

Apud hær. Pacifici Pontij, & Io. Baptiſtam Piccaleum, Impreſſores Archiepiſcopales. M. DC. X V I I I.

Imprimatur.

Frater Hippolytus Maria Zocha S. Theol. Lect. Vicarius Rosæ Commissarius S. Officij Mediolani.

Gulielmus Vidonus Theologus S. Nazarij pro Illustrissimo Domino Cardinali Archiepiscopo.

Vidit Saccus pro Excellentissimo Senatu.





DIVO CAROLO CARDINALI ARCHIEPISCOPO.



Carolus Andreas Baſſus.



I cuius alterius, quàm tuo nomine, Glorioſiſsime Carole, meas haſce lucubratiunculas inſignire maluiſſem, feciſſem id, quod totius operis inſtituto, quod, & meo ſcribentis conſilio fuiſſet aduerſatum. Animarum

regimen (quò mei labores isti quicumque sint, vniuersi tendunt) nec habet, vnde præclarius quàm à te, si retrouertere libeat in præteritum tempus animum, illustretur; nec à quo, si nostram ætatem, posteramuè contemplemur opportuniùs excipere posit exemplar ad immitandum. Itaque meritò subit animum illa cogitatio, non minus momenti penes eos, ad quos hæc mea scripta peruenerint, tui nominis expresionem, atque in eo gestorum imaginem, quàm hanc meam orationem habituram. Eritque vtique legentibus ad munus suum diligentisimè obeundum optimus stimulus, cùm non magis quid ego dixero, quàm quid aliquando tu feceris, cogitabunt. Accesit altera necesitas quippe venit in mentem, Congregationis oblatorum Alumnum me esse atque in eo agro educatum, & enutritum, quem tu singulari studio; summisque laboribus olim non modò coluisti, verùm etiam primus aperuisti. Si igitur fructus hosce vel immaturos, atque asperos (quos

acce-

acceptos meritò iure tibi refero) non eidem tibi beneficij memor consecrassem, meritò ingrati animi insimulari possem; quippe qui debitum pio labori, studijsque tuis pensum reddere differrem: Quod mihi præcipuè indecorum fuisset, ad quem ex tuo patrocinio, præter Congregationis vniuersæ communia suffragia, plura quoque peculiaria deriuata sunt. Et quoniam haud obscurum est, cùm iam pridem inter mortales ætatem ageres, quàm incredibili, ac propè diuino liberalitatis genere, quidquid humile, quidquid egens opis tuæ foret, excipere, fouereque consuesceres, non est sanè mihi, cur verear, ne nunc etiam in illo sublimi gloriæ, dignitatisque fastigio collocatus, non eandem planè retinueris, illustrioremque munificentiæ, & charitatis tuæ rationem. Quo fit, vt vna nominis tui inscriptione, exile hoc opusculum vel magnum fieri, vel vberrimas inde segetes colligendas esse aliquando haud difficulter sperem. Tuum est iam Santissime Carole, vt dicatum auspicijs

✠ 3 tuis

tuis laborem hunc meum interuentu tuo Paſtorum cordibus ita inſeratur, vt per te incrementum ſuſcipiat, vel roboretur magis, quod viuens toto animo amplexatus es.

AD CVRATORES ANIMARVM.



ON equidem apud animum meum constitueram, cum primùm de hoc opere cogitare cœpissem; vt id aliquando prodiret in lucem; vt qui minus ignorabā, quàm exiguæ essent ingenij mei vires, quamque, in scribendi genere præsertim, suomet quisq; iuditio facilè decipiatur; cum Teste D. Ambrosio. *Vnumquemq; sua scripta fallant, & aurem prætereant;* atq; vt filij etiam deformes suos parētes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpent; & præterea quam periculosam aleam subeant, qui scripta sua dant in conspectum aliorum: neque enim desunt Argi, qui non iam seruandis, sed obseruandis potius alienis operibus excubant, & auctorem ipsum, vel audaciæ, vel imperitiæ temerè insimulent: eoq; magis, quod hæ meæ lucubrationes non vulgaribus, rudibusq; ingenijs inseruire debent, sed ijs potissimum, qui magno iudicio, quiq; scientia singulari valeant, & diu sacris in litteris versati sint. (Tales eos quippe mihi persuadeo, qui ad præfecturam, & magisterium animarum assumuntur (præsertim verò post tam multas clarissimorum virorum de hoc ipso argumento tractationes. Sed hoc potius mihi erat propositum, cùm primùm ad curam animarum veni, vt ex sacra scriptura nonnulla, tum ex Sanctis Patribus, & alijs peritissimis auctoribus in vnum colligerem, ex quibus postea, tamquam ex affluenti promptuario spiritualem mei ipsius, gregisq; commissi profectum haurirem. *Bona pascua sunt,* inquit D. Ambrosius *libri scripturarum cælestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, recreamur, instruimur.* Sed cùm paruus aceruus ex tot simul congestis sententijs in magnum cumulum sensim excreuerit, non defuere, quorum apud me semper plurimi fuit auctoritas, qui meū hoc studium æqui, boniq; consulentes, vt lucem aspiceret animarunt, & cum mihi nihil fuerit antiquius, nihil magis in optatis, quā quoquo modo animarum salutem coadiuuare, factum est, vt illorum sententiæ acquieuerim, existimans ad hanc potius mihi respiciendum esse, quàm ad eorū iudicium, qui nihil approbandum censent, nisi quod fuerit omnino perfectum, omnibusq;, quod aiunt, numeris absolutum. Cognoui quidem,

Lib. 8. ep. 63. ad Sab.

In Psal. 118.

expe-

experientia docente, quantum ponderis, ac momenti sit in salute animarum procuranda, si quæ sua sint officia, quæ studia, quò se diligentes, ac strenuos in suo munere præbeant, animarum Rectores agnouerint. Vt enim stomacho incolume, totum corpus validum est, eo vero ægrotante, ipsum quoq; corpus videas necesse est, macie confectum, marcidum, attenuata facie, compressis oculis, manibus, genibus dissolutis, omnibus deniq; membris contabescentibus; ita si Sacerdotium integrum fuerit, tota planè florescet, si mancum, ac mutilum, tota deflorata iacebit Ecclesia, vt sapienter dixit D. Chrisostomus, & sol ipse quantò magis per se splendet, tanto etiam magis res cœteras suo splendore illustrat, & quò instrumentum perfectius est, perfectius etiam opus euadit.

Hom. 17. in Matt. in illa eiecit Iesus ementes, & vendētes.

Quam igitur vtilis labor hic meus futurus sit, fidus testis tempus erit, sed si diuinare licet, multa benè sperare me iubent.

Primo quia multis, & si præsto est ingenium doctrinis omnibus expositum; sæpè tamen, vel non suppetit librorum copia, vel imbecilla valetudo aduersatur, & si neutrum impediat, deest quandoq; tempus libros legendi, & euoluendi ob innumeras, easq; ferè assiduas occupationes, quas Sacerdos, si diligens, ac solicitus sit in animarum cultura, declinare nullatenus potest; quare paruus hic liber multorum librorum loco esse poterit.

Deinde eò vsq; vita est inclinata pastorum, vt multi quidem numero sint in Ecclesia Dei, pauci autem merito; multi qui pastoris nomine glorientur, atq; pinguibus Ecclesiæ redditibus fruantur, pauci verò vita factisq; verum pastorem referant. Quò fit, vt ad hunc errorem corrigendũ, nihil esse rear vtilius, quàm oculos nostros ad præterita tempora conuertere, & ex tot sanctissimis pastorum dictis, & factis absolutissimum quoddam veri Pastoris exemplar expromere; quo tamquam iustissima regula vitæ nostræ possimus obliquitatem agnoscere, sententiam. Magni Gregorij secuti, qui illud apud Ezechielem considerans, *Fili hominis ostende domui Israel templum, vt confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant. Templum* (inquit) *est vita perfectorum, quæ tunc alijs ostenditur; cum, vt eam imitentur, proponitur in exemplum, quam qui non attingit, de culpa sua cupiditatis erubescit.*

Ad hæc; tanta est artis Pastoralis præstantia, vt qui eam ritè exercere velit, necesse semper habeat, vt animum suum intendat in magna, quò facilius scopum suum consequatur. Vt enim sagittarius sentiens arcum neruo remissum, sagittam altius collimat, vt signum præstitutum attingat; ita Sacerdoti vtilissimum erit ideam quandam veri regiminis ante oculos ponere, in quam frequenter intuens euadat in munere suscepto perfectior. Hoc etenim sensu Xenophon Imperatorem describens, hanc quasi effigiem iusti Imperij, Imperatoribus, ac Regibus ad imitationem proposuit; Idem spectauit in sua Republica Plato, idemq; Cicero, dum plenum, ac perfectum Oratorem descripsit; Ratio huius est, nam qui magna affectat, magna etiam consequitur; qui verò paucis contentus, maiora fastidit, inanis semper, & pauper in abiecto delitescit. Idem nos docet Apostolus. *Aemulamini charismata meliora.*

Acce-

Accedit, quod omnino ſperandum eſt, ſi Curatores animarum attentiùs nouerint dignitatem ſuam, dubio procul eos adductum iri, vt acuratius eam vitæ teneant rationem, quæ tam inſignem vocationem decet, cum omnia mala, quæ in regimine animarum paſſim occurrunt, inde potiſſimum effluant, quia Curatores, quæ, & quanta ſua ſit obligatio, & perſonæ dignitas, non æqua lance perpendunt.

Deniq; quis eſt, cui non futurum liceat auſpicari, vt idem fructus ſperandus ſit, quem D. Bonauentura *in prologo de ſex alis Seraphim* (cuius doctrinam, & ſententias non minus frequenter, quam libenter ſectatus ſum) ſibi his ipſis verbis pollicebatur. *Da occaſionem ſapienti, & addetur ei ſapientia. Cum ex leui ſæpe occaſione ſapiens materiam ſumat altioris ſapientiæ, qui etiam per alterius ſtultitiam fit eruditior; quin etiam legimus aliquando ſapientes etiam ex naturali quadam animalium ſolertia ſumpſiſſe conſiderationis induſtriam,* Proemio Sic quamuis mihi ſatis fuit, veri Curatoris animarum imaginem primis adumbraſſe lineamentis, eandem alij fortaſſe, quod ſummopere velim, quibus induſtria maior, & acriores ingenij vires ſuppetent, expreſſis coloribus abſoluent.

Quamobrem non aliqua mihi excuſatio adhibenda videtur, quòd rudi ſtylo, hæc à me conſcripta fuerint, malo quippe cum Saluiano, rerum, quàm verborũ amator eſſe, vtilia, quam plauſibilia ſectari; neq; id quæro, vt inania ſæculorum in nobis ornamenta; ſed ſalubria rerum emolumenta laudentur. *ad lib. de prouid.* Et in ſcriptiunculis noſtris non lenocinia, par viſum eſt reperiri, ſed remedia, quæ ſcilicet, non tam otioſorum auribus placeant, quam ægrotorum mentibus proſint, quia qui veritati dat operam, eius omnis ſimplex eſſe debet ſermo, res vt potius, quàm ipſa oratio, ſe oſtendat. Deinde hæc, quæ dicta ſunt, ad eos diriguntur, qui ſicut muneris ratione mihi ſunt coniunctiſſimi, ſic pariter amore; quare facilè imperitiam meam excuſabunt, & omnia meliorem in partem accipient. Seria enim, & quæ vera ſunt propterea negligenda non ſunt, quia male optato calamo ſcripta ſint. Si enim magni cuiuſdam viri, (inquit D. Gregorius) ſuſceptis epiſtolis legeremus verba, eaq;, quo calamo fuiſſent ſcripta, quæreremus; ridiculum profectò eſſet, ſi non, & epiſtolarum auctorem ſcire, ſenſumq; cognoſcere, ſed quali calamo ea verba impreſſa fuiſſent, indagare ſtuderemus. *In proem. mora. c. 1.*

Verùm, vt aliqua ratio inſtituti mei reddatur. Principio tum à dignitate, & difficultatibus artis paſtoralis, tum etiam ab ipſius præſidijs, & ſolatijs initium ſumendum duxi, vt vnuſquiſq; tanti muneris pondus diligenter expendat, ne tam facilè ei oneri humeros ſupponat. Et quoniam Sacerdos animarum Curator, dum earum curam ſuſcipit, peculiari quadam ratione triplicem contrahit obligationem, Primam cum ipſo Deo, à quo tamquam nobiliſsimum inſtrumentum aſſumitur, ad ſaluandas animas, ſecundam cum ſe ipſo, vt tanto alijs ſanctitate præcellat, quanto locus, in quo à Deo poſsitus fuit, omnibus eminet. Tertiam cum animabus ipſis ſuæ fidei commiſsis, de quarum ſalute, quantum in ſe eſt, vſque ad extremum vitæ ſpiritum maximè ſollicitum ſe præbeat oportet; ideò qualem erga Deum ſe gerat, vt ſe idoneum inſtrumentum tanto ope-

ri obeundo commodè compareт. Secunda pars operis indicabit; multiplicem virtutum apparatum, quibus optimè muniri debet, ne cum suo spirituali dispēdio, alienis tantum lucris incumbat, sed sermone, & exemplo Deo, & Ecclesiæ fructuosius seruiat. Tertia pars præscribit. Quartam deniq; ijs officijs pastoralibus dedimus, quibus salus animarum, dum peregrinantur in corpore, potissimum procuratur, ac quibus postquam morte interueniente, humanæ naturæ debitum persoluerint, mirum in modum in pœnis adiuuantur, & recreantur.

Et cum hæc tota tractatio ad spiritualem eorum tantum vtilitatem dirigatur, qui in magisterio animarum positi sunt, adieci ad calcem cuiusq; partis certa quædam capita, pro meditatione, quibus, quæ in ea parte dicuntur à Sacerdote in vsum, & praxim deduci possint; nec enim sola lectione, sed meditatione pariter, & vsu imbui, & formari oportet spiritualem animarum magistrum.

Illud moneo amantissimos collegas meas, vt si quid erit in hoc opere, quod eos sanctè instruat, spiritualiter ædificet, ac spiritum veri pastoris in ijs excitet (id quod maximè exopto) totum Deo imprimis, tamquam bonorum omnium datori, & auctori acceptum mecum referant, nec non, & Sanctis Patribus, alijsq; clarissimis auctoribus, ex quibus apum exemplo carpsi quidquid boni in hoc opere reperitur; Ingenui siquidem hominis est, ex Pliniano dicto, fateri per quos ipse profeceris. Si quod autem erratum fuerit, vel incomposite dictum, vel inordinatè conscriptum, id totum imperitiæ meæ adscribant.

In præf. hist. nat.

Clementissimus Deus hæc mea vota in ipsius tantū gloriam, & spiritualem animarum salutem collimata sua gratia dirigat.



IN-

INDEX CAPITVM

Quæ in hoc opere continentur.

Pars prima de cura Animarum.

Pars Secunda. De ijs, quæ Deo in primis Curator debet.

Pars Tertia. De Cura Animarum de ijs, quæ Curator debet sibi ipsi.

Pars Quarta. De Cura Animarum. De ijs, quæ Curator debet Animabus sibi commissis.



DE DIGNITATE CVRAE ANIMARVM.

Caput Primum.



AB artis huiusce nobilitate initium sumendum est, vt hoc quasi fundamento iacto, & commodius animarũ præfectus ad propriæ vocationis præstantiam contemplandam attollatur, & inde intelligat, quibus moribus, qua solicitudine, ac vitæ sanctitate esse debeat, qui ritè tantum munus exercere cupit: sicq; deinceps ambitiosi, & mercenarij longius arceantur, boni verò, & fideles Pastores instruantur, magis magisq; in sua vocatione confirmentur.

Et quidem ad eius artis dignitatem satis declarãdam auctoris maiestas potis erit; Non enim ab homine, neq; per hominem fluxit, sed ab ipso filio Dei, qui & eandem instituit, & exercuit, atq; veri regiminis exemplar in seipso expressit, cum suo met ore ait. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*, Sicut iam antea per Ezechielem prædictum fuerat. *Suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas seruum meum Dauid, & ipse erit eis in Pastorem*. Dubitandum autem non est, quin id omne, quod tanto, tamq; sapienti artifice profectum est, præstantissimum, ac perfectissimam sit. Verum præter auctoris nobilitatem, ipsa muneris necessitas, personæ dignitas, quam Curator sustinet, & sublimitas finis, ad quem hæc ars dirigitur, illius præstantiam plenius demonstrabunt.

Io. 10. *Ezech. 34.*

Atq; vt eiusdem necessitas primo loco cognoscatur, considerandum est, omnia, quæ à Deo creata sunt, vt in suo officio contineantur, aliquo rectore indigere. Hinc fit, vt inferiores, orbes, à primo mobili regantur. In mixtis corporibus vnum elementum est, quod cæteris dominatur, in corpore humano omnia membra cordis adminiculo mouentur, & multæ animæ potentiæ rationem sui moderatricẽ agnoscunt; quod & in mutis animantibus, quæ societatem inter se retinent, S. Cyprianus animaduertit, dum in apibus regem vnum, ducem vnum in gregibus, & in armentis rectorem vnum esse asserit. Sed neq; Salomonem hæc veritas latuit, cum ait, *Ibi omnia corruere, vbi deest gubernator*. Quod quidem adeò humanæ naturæ congruit, vt non solum post peccatum, sed in ipso etiam innocentiæ statu, vt sapienter D. Thomas sensit,

Arist. pri. de cœlo & 35. de part. anim. lib. 2. c. 2. *Tract. de Idol. vanit.* *Prover. 11.* *Pri. p. q. 96. ar. 3.*

sit, esset, & qui regeret, & qui regeretur.

Cæterum cum è duabus partibus quarum vna corporea, spiritualis altera, homo conflctur, propterea sapientissimè Deus duplicem potestatem distinxit, alteram temporalem, quæ mortalis vitę bona dirigeret, spiritualem alteram, cuius circa illa bona versaretur operatio, quæ hominem ad cælestem vitam possent transferre. Sed quo anima corpore præstantior est, eo etiam sublimior eorum dignitas existimanda est, qui ad regimen animarum assumuntur, quacumq; seculari, ac politica potestate. Hac ratione motus D. Gregorius Nanzianzenus Sacerdotalē dignitatem supra omnem secularem eminere perquam egregiè demonstrauit. *Lex Christi*, inquit, alloquens Principes seculares, *Sacerdotali vos subijcit potestati, dedit Principatum multò perfectiorem Principatibus vestris. An verò iustum videtur, si cedat spiritus carni, si à terrenis cælestia superentur, si diuinis humana praferuntur?* & D. Chrisostomus in illa Isaiæ Vidi Dominum. *Regi* inquit *corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ, rex maculas corporum remittit, Sacerdos peccatorum, ille cogit, hic exhortatur ille necessitate hic consilio, ille habet arma sensibilia, hic spiritualia, ille gerit bellum cum Barbaris; hic cum Dæmonibus. Maior hic Principatus; propterea rex caput submittit manui Sacerdotis. Quid igitur Sacerdos? Vide libertatem, vide linguam cælos attingentem, vide libertatem in coercibilem, vide hominis corpus, & Angeli mentem, vide humi ingredientem, & in cęlo versantem. Vidisti Regem, nec vidisti diadema*. Sed & apposite Hugo de S. Victore in hunc sensum illa Genesis intellexit. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti. Sunt* inquit *in Ecclesia Sancta firmamento, à Domino creata duo magna luminaria, Sacerdotium scilicet, & Regnum, Dux, & Episcopus, Princeps, & Clericus, dies spiritualia secularia non præfigurat. Ita luminare maius scilicet Sacerdotium factum est, vt præsit diei, idest spiritualibus, luminare minus regnum, vt præsit nocti, idest sæcularibus.*

Orat. ad Ciu.

Hom. 4 in Is.

Gen. pri.

Quin etiam (quod magis huius artis necessitatem arguit) iter virtutis, per quod homo ad suam æternam felicitatem dirigi debet, tanta caligine circumfusum est, ita hostium excursione infestum, vt nihil magis necesse habeamus, quam ductorem, qui rectam viam præmonstret, & se socium itineris committens, quasi manu ducat in portum Salutis. Hanc ob causam ille hominum creator, & custos, inquit Paulus *Dedit inter homines, quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consumationem Sanctorum*. Isti sunt Duces, & Rectores animarum, isti Ecclesiæ lumina, qui tenebras ignorantiæ depellunt, isti sunt Pastores, qui oues Christi pascunt, horum omnium caput, & Princeps est Summus Romanus Pontifex Christi Vicarius, cui prima omnium cura commissa est, quiuè omnes acies Ecclesiasticorum moderatur. Episcopi sunt particularium cohortium Duces, Episcopis, reliqui minores Ecclesiarum Rectores tanquam substituti, ac adiutores accessere, quasi milites sub vexillo suorum Episcoporum decertantes, vt commissas animas à Dæmonū impetu tueantur. quasi paruæ lucernæ, quæ à maioribus luminaribus lumen mutuantes, populos suos erudiant, & tanquam matres filiorum curæ, & educationi propius assistant, quinimmo spirituales illorum patres appellandi sunt, vt certè nominauit,

Ad Eph. 4.

minauit D. Crisostomus, isti enim sunt, qui spirituali nos amore parturiunt, & generatione baptismatis patris munus exequuntur. Per ipsos Christum induimus, per ipsos coniungimur Dei filio, per ipsos membra beati illius capitis efficimur, vbi etiam ostendit plus ipsis deberi, quam ipsis parentibus secundum carnem. *Lib. 3. de Sacer.*

Sicut ergo in humano corpore varia sunt membra, & varia illorum officia, ita in mystico Ecclesiæ corpore voluit Deus, graduum esse varietatem, vt clarius diuina illa sapientia elucesceret, efficaciùsq; animarũ saluti consuleretur. Quomodo enim posset vnus Episcopus quantumuis industrius, ac diligens, omnia munia obire, quæ pro totius gregis sibi commissi salute necessaria sunt? necessè ergo fuit, vt sicut in corpore naturali per maiores in minores venas, alimenta tribuuntur, ita in corpore Ecclesiæ ab Episcopo, tanquam ab eo, qui post Romanum Pontificem in sua Ecclesia, & Diœcesi apicem tenet, per Sacerdotes tamquam per membra maiora, in reliquum corpus spiritualia alimenta descenderent.

Atq; hinc manifestè conspicitur, quanta sit Curatoris animarum dignitas, & quid sit, Apostolorum, & Episcoporum partes agere, & quod admirabilius est, ipsius Christi personam referre? Sic enim D. Basilius. *Nihil aliud est Antistes, quam is, qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum, & homines, eorum qui in officio ipsius sunt salutem sacrificans Deo. Atq; hoc à Christo ipso docemur, dum Petrum per se Pastorem constituit, Petre enim, inquit, amas me plus his? & omnibus deinceps Pastoribus, & Magistris eandem tribuit potestatem. Cuius quidem rei signum est, quod omnes similiter ligeant, & soluant.* Sic Basilius, & Petrus Blesensis, eum appellat *regem animarum, coadiutorem Redemptoris*, quæ dignitas maior inueniri potest? *Omne iudicium dedit Pater filio*, inquit D. Chrisostomus, *hanc omnifariam potestatem à filio Sacerdotibus concessam, video*. Quamobrem optime Paulus, *Qui benè Præsbyteri præsunt*, inquit, *duplici in honore habeantur*. loquitur hic de prælatis animarum, in quibus duas excellentias D. Hieronymus agnouit, alteram ex dignitate officij, qua cæteris præficiuntur, alteram ratione doctrinæ, qua populorum Doctores sunt, siue vt placuit D. Thomæ, qui in rectoribus animarum, duas personas considerauit, alteram propriam, alteram Dei, Ratione propriæ personæ, magna est eorum dignitas ob insignes virtutes, quibus fulgere debent, ratione posterioris, magnam habent excellentiam, quia Deum referunt, & eius vicem gerunt. Testimonium insigne est ipsius Christi, *Qui vos audit*, inquit, *me audit, qui vos spernit, me spernit, qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit*, Quæ verba non de solis Apostolis accipienda sunt, sed de omnibus Curatoribus animarum, si quidem & in istis, atq; in Christi discipulis similis est docendi, atq; animas regendi potestas. Sicut ergo, qui spernit Christum, & patrem spernit, à quo missus fuit, & cuius personam repræsentat; ita qui spirituales Pastores contemnit, Christum ipsum à quo missi sunt, cuiusq; vices gerunt contemnit. Summam igitur omnium dignitatem hanc fateri necesse est. Vnde & D. Chrisostomus, *Apostoli munus*, inquit, *est bonis infinitis exundans, gratijs omnibus maius ac dona cuncta complectens. Quid enim amplius dixerimus, quam id, quod Christus hoc ipsum*

Constit. Monast. c. 23. *Serm. 41.* *Lib. 3. de Sacer.* *Pri. ad Timot. 5* *In pri. ad Timo.* *2. 2. q. 63. Ar. 3.* *Luc. 10.* *Hom. pri. ad Ro.*

2. Corint. 5. *Apostolis commiserit, quod nobiscum, dum viueret, ipse fecit? id, quod Paulus exclamans, Apostolorumq; dignitatem extollens, ait pro Christo, legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, hoc est Christi vice.*

Arguit deinde huius artis nobilitatem sublimitas finis, ad quem dirigitur, cuius certè dignitas tanta est, quanta non verbis modo explicari, sed nè mente quidem concipi possit. Quis enim potis est, vt intelligat, quàm honorificum sit, ipsius Dei gloriæ inseruire? ad quam manifestandam, & quærendam se venisse, Christus non vno loco, suomet ore testatus est, *Ego non quæro gloriam meam, sed eius, qui me misit*, & ad quam refertur quicquid molitus, & operatus est Deus, vt scriptum est, *Omnia propter seipsum operatus est Deus*, vnde & in Psalmis. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentum*, cumq; nullum alium præter seipsum, finem habeat, eo fit, vt homo, qui nullum finem, præter hunc eundem sibi proponit, ad eiusdem finis participationem euehatur, quod summæ cuiusdam dignitatis est, & cum procul ab omni controuersia sit quod nobis potissimum, ac summum bonum est, aut esse possit, Deum esse; satis apparet quanta sit illius hominis præstantia, qui totus in eo est, vt ad pleniorem eius numinis cognitionem, & cultũ omnes euehat.

Io. 8. Prouerb. 16. Ps. 18.

Iam vero (quod ad alterum finem spectat) animæ nobilitatem, cuius saluti proxime curator noster studet, quis potest pro dignitate explicare? per coniecturas quidem ad illius cõsiderationem D. Augustinus nos traxit. *Mundi huius visibilis ornatum quis potest explicare?* inquit ille, *at mundum hunc sic ornatum creauit Deus propter hominum corpora, humani autem corporis mirabile diuinæ sapientiæ, artificium, quod in eo elucet, quis perfectè intelligit? eius pulchritudinem quis potest enarrare? at hoc corpus propter animas effinxit Deus. Porro animæ ipsius dignitas, ac nobilitas quanta erit? cum animas propter se sapientissimus, ac potentissimus creauerit Deus*. Itaq; sicut Deo nihil maius, nihil præstantius est, ita nihil anima nobilius, quam creauit propter seipsum, quamq; D. Bonauent. viuam Dei imaginem meritò appellauit, & in Canticis bis *pulchra* ex Christi sanguine vocatur, quia naturalis illius pulchritudo ex inæstimabili Christi sanguinis virtute mirum in modum cohonestata fuit. Cum igitur ea sit huius artis sublimitas. Nihil certè ad gloriam illustrius, nihil ad meritum vtilius homini in terris contingere potest, quam si ad eam dignè exercendam à Deo vocetur, & prouehatur.

Lib. de Spir. & anima tom. 3. Ser. 9. in Cant.

Cuius rei & hoc inditio sit, quod multi ex ijs, qui desiderio insignis cuiusdã sanctitatis, & perfectionis illecti, sibimet duntaxat vacabãt, hoc tñ exercitationis genus, sæpe & lubentes amplexi fuerint. Hinc Acatius Episcopus (Theodoreto referente) Iulianum è spelunca, quam tot annis coluerat, abduxit, vt sæuiente Arrianorum impietate, laboranti Ecclesiæ, opem ferret. quo etiam modo (vt auctor est idem Theodoretus) Eusebium clarissimum anachoritam ad aliorum salutem procurandam traxit, hac ratione motus, nullum esse maioris dilectionis in Deum inditium, quàm alienæ salutis cura, & solicitudo, cum & Deus ipse ita animarum dilectione teneatur, vt easdem & amari velit ab his, qui ab ipso amari volunt.

Ex his quæ diximus id colligat Sacerdos, vt de sui status celsitudine, non superbiat, nam vt benè monet D. Chrisostomus, *Cathedra non facit Sacerdotem, nec locus sanctificat hominem, sed homo locum, qui benè sederit super cathedram, honorem accipiet ab illa, & qui malè sederit, iniuriam facit cathedra*, sed timeat, potius, an fortè cõmissarum sibi animarum depositum incolume exigenti Domino sit redditurus. Quid iuuat summos honoris gradus assecutum esse, si postea mores statui non respondeant. Magnus profectò esse debet mundi contemptor, qui alios docturus est mundum fallacem contemnere, magnus insectator vitiorum, qui alios docturus est vitia detestari, magnus denique, & insignis sanctitate, qui cæteris, sanctimoniæ exemplar sese vult offerre, vt quod maximè perfectissimũ in cæteris iudicamus, in vita spiritualis animarum Magistri, & Pastoris vix mediocre censendum sit. *In c. 23. Math.*

Docuit nos Christus illis verbis. *Ego sum Pastor bonus*, multa sibi nomina Dominus tribuit, sed nunquam, vt hic, adiecit *bonus*, vt doceret, quales animarum Pastores esse deberent, non enim mediocritas satis est, sed bonitas integra, & perfecta requiritur in Pastore. *Io. 10.*

Ne de ipsis illud dicatur, quod est apud Oseam. *Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Israel, quia laqueus facti estis speculationi, & sicut recte expansum super Thabor.* Similitudo sumpta est à ceruis, qui dum à canibus, & à venatoribus vrgentur, ad celsos montium vertices profugiunt, vbi si pariter retia offendant, fit illis locus refugij in perditionem, & in ruinam. Sunt quidem Rectores animarum veluti mons in Ecclesia, ad quos subditi, cum à tentationibus, aut peccatis vrgentur, confugere solent, at si ibi etiam rete expansum vident, Sacerdotem suum, nullum diuini honoris, nec salutis animarum Zelum habentem, improbum, scelestum; quod aliàs profugium esset, exitium fit, prauo enim Sacerdotis exemplo conspecto, in peccatis confirmantur, peioresque redduntur. *c. 5.*

Quam periculosa, & difficilis sit Cura animarum, quia, qui animas curat, homo est. Cap. II.



VErùm quo præstantior est hæc animarum præfectura, eò etiam difficilior, & tanto maioribus obnoxia periculis: cuius sanè, difficultatis, & periculi ratio in hoc præcipuè posita mihi videtur, quod, qui easdem animas regit, homo est, adeo infirmus, & imbecillis, & homines, regit, cum voluntate liberos, tum ingenio varios, ac ipsos proinde, qui circa suam ipsius personam sunt, de quibus omnibus exactissimam alioqui rationem est redditurus. Hæc, ni fallor, quatuor illa sunt, quæ ad impositi oneris grauitatem, & angustias aptius expendendas Eugenio Summo Pontifici his verbis proposuerat D. Bernardus. *Quatuor tibi, vt occurrunt considerandæ reor, te. Quæ sub te. Quæ circa te. Et quæ supra te sunt.* Quæ & si ad summum omnium Pastorem Romanum Pontificem diriguntur, cuius dignitatis fastigio, sicut in terris nihil eminentius *Lib. 2. de consid.*

nentius est, ita nihil difficilius, & periculosius; tamen & cunctis animarum curatoribus, suapte ratione ea ipsa quam aptissimè congruere dubitandum non est.

Quod spectat ad primum: *Hac tui consideratio* ait Bernardus *in tria quadam diuiditur, si consideres, quid, quis, & qualis sis. Quid in natura, quis in persona, & qualis moribus*. Primum igitur, quod in regimine animarum difficultatem parit est, ingenita rectoris infirmitas, tanto sanè pondere per se sola impar. Non igitur alicui ex cælestibus spiritibus ab omni materiæ concretione segregatis animarum gubernatio commissa est, sed homini, qui *natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miserijs*, cuius ratio ob plagas à culpa illatas ignorantiæ caligine excæcata est, cuius voluntas ad malum semper propensior, cuius deniq; uires eò vsq; infirmæ, & perfractæ sunt, vt meritò D. Augustinus animas nostras post peccatum illi compararit, qui incidens in Latrones exceptus *plagis multis fuerit, &* semiuiuus relictus, qui non modo ob virtutis propriæ imbecillitatem, sed etiam ob insultantes carnis appetitus semper languet; quos etiam regere intra rationis terminos (nisi diuina ope) cohibere nequaquam potest, *Propriam enim naturam vincere*, vt docuit Climacus, *nec breue, nec leue opus est, quin potius vbi victoria de natura habetur, agnoscenda est virtus aliqua, & superior potestas; quia nihil nisi à maiori vincitur*. Hanc autem hominis infirmitatem, & pugnæ, & victoriæ labores licet vnusquisq; sensu & vsu percipiat, audiendus tamen D. Hieronymus, qui hæc de se ipso scribit. *Sedebam solus, horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis signum Ethiopiæ carnis obduxerat: cum somnus obreperet nuda homo vix ossa cohærentia collidebam. Ille igitur ego scorpionum tantum socius, & ferarum sæpe mente choreis puellarum intereram: pollebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat, in frigido corpore etiam carne præmortua sola libidinum incendia bulliebant*. Hæc Hieronymus. En igitur quàm vitiosa humanæ naturæ propensio, vt nec loci solitudo, nec vitæ asperitas, nec tam studiosa, & diutina sui ipsius abnegatio, & pugna eam compescat: quanta erit in ijs, qui hanc ipsam à natura insitam non cohibent modo, sed & præcipitem appositis stimulis impellunt?

Job. 14.

De verbis Ap. ser. 3.

De Cast. gradu 15.

In Reg. mon.

Accedit etiam (quod hominis casum ancipitem magis facit) hostiũ numerus, & sæuitia, variæq; nocendi artes semper ad exitium nostrum paratæ: quo etiam fit, vt homo suapte natura labilis, & in lubrico loco positus, facilius ad ruinam, & ad casum impellatur. Quid igitur erit? si hic imbelles, & semianimis alios portandi, & ab hostium incursibus tuendi in se negocium suscipiat, quam in arduo, quamq; periculoso se statu constituet? Agnouit optime hoc genus periculi D. Bernardus. *Si ego latens in cauerna, & quasi sub modio non quidem lucens, sed fumigans; ventorum tamen impetus, nec sic declinare sufficio; sed continuis tentationum varijsq; fatigatus impulsibus instar vento agitatæ arundinis, huc illuc circum feror: quid positus supra montem: positus supra candelabrum? Solus mihi seruandus, solus tamen ipse mibi sum scandalo, solus tædio, solus oneri, atq; periculo; ita vt propria gula, & ventri, & oculo scandalizanti frequenter irasci oporteat. Quibus ergo molestijs angitur, quibus lacessitur in curijs, cui etiam si propria cessent (nunquam tamen de alienis desunt foris pugnæ, intus timores?* Sic Bernardus)

Ep. 42 ad Henr. Senon. Archiep.

dus) Quinimo tanta est hominis inconstantia,& infirmitas,vt D.Chrisostomus apertè dixerit. Quamuis aliquis sit, qui priuatam vitam degens humiliter subesse, & suas animi affectiones moderari didicerit; non idcirco tamen esse ad magisterium statim admittendum, nec esse in dubiam illi securitatem promittendam. *Nam multos*, inquit, *ipse noui, qui se perpetua continentia cohibuissent, ac quorum corpora ieiunijs multis exhausta, donec solitariam vitam ac suas dumtaxat res curare licebat; Deo maxime acceptos fuisse, qui postea quàm in lucem venerunt, vulgi insitiam emendare coacti, alij prorsus muneri illi administrando impares fuere, alij dum in ipso munere perseuerare cogerentur, pristina vitæ cura, & austeritate procul excussa tum sibi, impedimento maximo, tum alijs nulli vsui fuere*. ferè similia scribit Petrus Chrisologus. *Quidam* ait, *ante dignitatis adeptionem commendabiles extiterunt, sed supra candelabrum Ecclesiæ constituti lucem in tenebras, & famam in infamiam conuerterunt, & melius plerisq; fuisset latere*. Est namq; humana natura imbecilla, & præsentibus, & vrgentibus illecebris facilè peruertitur. Lib. 3. de Sacer. In serm. In serm.

Præter hanc, quæ vnicuiq; à natura inest hominis, infirmitatem, augetur operis difficultas atq; periculum ex ea parte pariter quam subinde adiungit, idem Bernardus. *Quid in persona, & qualis moribus*, dignitas scilicet,& excellentia personæ, quam sustinet, quo enim præstantius est munus, eò difficilius, & periculosius.Hinc D.Gregorius. *Graue est pondus Sacerdotij: prius quippè Sacerdoti necesse est, vt cæteris ad exemplum viuat; ac deinde seruandum,vt mentem per ostensa exempla non eleuet. De prædicationis semper ministerio cogitet intensissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendū regnum Dominus, & talenta seruis distribuens, dicat; Negotiamini dum venio. Quod profectò negotium, tum verè nos agimus, si viuendo & loquendo animas lucramur, si infirmos quosq; cælestis regni, gaudia prædicando in superno amore roboramus, si proteruos, ac tumidos gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus, si nulli contrà veritatem parcimus, si supernis amicitijs dediti humanas amicitias non timemus. Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expauesco, & quod accepto regno pater familias redeat rationem nobiscum positurus aspicio; sed qua mente sustineo, cui de suscepto negotio animarum lucrum, aut nullum, aut pæne nullum reporto?* Hæc Gregorius. Quis ergo non timeat hæc audiens, cum vir tantus sibi timeat. Pastor animarum Dei minister est, quid meretur, si fidem Domini sui fallat? gregis sui oculus, & custos est, quid si tenebrosus fiat, & gregem dissipet; ipse forma gregis, & exemplar populi, quantum crimen committit? *Tantum igitur* docet magnus Gregorius, *debet actionem populi actio trāscendere præsulis, quantum distare debet à grege vita Pastoris: oportet enim, vt metiri se se solicitè studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringatur, sub cuius æstimatione populus grex vocatur*. Nonne Saul, quem Dominus, in populi sui rectorem elegit, ab humero seorsum super omnem populum eminebat. Qua re sàtis expressum est, Pastorem populo, debere virtute,& doctrina precurrere. & quidem meritò,cum alijs tamquam omnigenæ virtutis exemplar positus sit, ad quod mentis suæ obtutum conuertentes mores componant, eoq; quasi prototypo ad iustam motuum moderationem vtantur. Quod Timotheo præceperat Apostolus. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate*. Ad hæc si animum referrent nonnulli, sanè non Lib. pri. ep. 39. Luc. 19. 2. p.Past. cap. 2. Pri. Reg. 9. Timol.

ità

ita temerè huic oneri humeros aptarent; id quod optimè sensit Chry-
Hom. 13. in acta sostomus, & luculenter eius verba declarant; *Si nouisses quod Episcopus debet omnium onera portare. quod alijs irascentibus detur venia, ipsi verò nequaquam, quod alijs peccantibus superest excusatio, ipsi verò minimè, haud quaquam festinasses ad primatum, haud quaquam accurrisses.* Et infra. *Non temerè dico, sed vt affectus sum, ac sentio, Non arbitror inter Sacerdotes, multos esse qui salui fiant, sed plures, qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animum, non vides quam multas res adesse oportet Episcopo, vt sit appositus ad docendum, vt tolerans malorum, vt tenax sit, ac fidelis in doctrina sermonis?* Quod quam difficulter
Ep. 148. assequamur, agnouit D. Augustinus cum ait, *Nihil esse in hac vita, & maxime in hoc tempore latius, facilius, & acceptabilius, hominibus Episcopi Presbyteri, ac Diaconi offitio si perfunctoriè atq; adulatoriè res agatur, sed nihil apud Deū miserius, tristius, & damnabilius: contra verò nihil difficilius, laboriosius, ac periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi offitio, sed nihil apud Deum beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet.*

Quam difficilis, & periculosa sit Cura animarum, quia qui curantur homines sunt. Cap. III.



D ea quæ de naturali Curatoris nostri imbecillitate dicta sunt, accedit & commissi depositi æstimatio, quæ muneris discrimen non parum auget, animam quippe hominis regere debet, non de potentiæ materia eductam, vt in reliquis accidere omnes philosophantur,
Suasor. 6. sed *diuina origine haustam*, vt inquit Seneca, & ex diuino illo vitæ spiraculo, de quo in Genesi, *Inspirauit Deus in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*. Hanc inquam ad Dei ipsius imaginem conditam, nobilissimis potentijs ditatā, & Christi sanguine redemptam, quæ ita omnes mundi dignitates ante-
Mat. 16. cellit, vt (ipso Christo testante) nullam homo pro ea commutationem dare possit, moderandam suscepit Curator noster, atqui non vnam modo, sed plures, easq; varijs inter se moribus dissidentes. Quantam igitur in rei adeo pretiosæ diligentiam exigi à Deo existimamus, quale supplicium maneat Pastoris caput, si dormiat, si opus tàm præclarum, atq; diuinum perfunctorie, & perperam exequatur, quantus deniq; timor exoriatur, præsertim si Sacerdos consideret, quod non suas, sed alienas oues, Christi scilicet, curat, totq; periculis expositas.

Hoc itaq; sibi statuat Sacerdos in primis, cum primum Curam animarum suscipit, sibi non cum hominibus, quorum munus effugere, & scientiam fallere haud difficulter potest, sed cum ipso Deo rem esse, cuius Imperium, & potestas, nequit euitari, quemq; nihil omnino latet,
Pri. Corint. 6. animæ enim Christi sunt. *Non estis vestri* inquit Paulus, *quia empti estis pretio magno*. Qua dominij causa, quæ potest esse, vel grauior, vel iustior, ? Si enim vt nos à peccato redimeret, semetipsum pro nobis, tradidit, par etiam est, æquitatiq; reciprocæ maxime consentaneum, vt illius simus, qui pro nobis est mortuus, & totum se nobis donauit.

Quo

Quocirca præclarè sermocinatur D. August. in illa Christi verba. *Simon diligis me plus his? pasce oues meas. Ac si dixisset*, inquit, *si me diligis, non te, vel tuos pascere cogita, sed oues meas, & sicut meas, non sicut tuas*. Et quidem meritò, quia si nihil magis est Christi, quam ipsius vita, nihil etiam magis eiusdem erit, quàm animæ, pro quibus tam libenter vitam suam posuit. Quod idem D. Bernardus depositi nomine pereleganter expressit. *Terribilis*, inquit, *sermo, & qui possit etiam impauida quorumuis Tyrannorum corda excutere. Propterea attendite vobis, quicumque opus ministerij huius sortiti estis: attendite vobis, & precioso deposito vestro, quod vobis creditum est: Ciuitas est, vigilate ad custodiam, concordiamque. Sponsa est, studete ornatui. Oues sunt, intendite pastui*. Equidem non abs re curam animarum depositi nomine significatam putarim, quoniam alterius est Domini, quod custodimus, & ea nobis lege traditum est, vt incolume suo tempore proprio Domino restituamus, quod si culpa custodis pereat, ipsius anima stet pro anima illius. Id sibi nempè diuino iussu mandatum Curator animarum putet, quod est in libro Regum. *Custodi virum istum, quod si lapsus fuerit, erit anima tua, pro anima illius*. Qua ratione motus subdit idē Bernardus. *Quid ego infelix, quo me vertam? Si tantum Thesaurum, si preciosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio preciosius iudicauit, contigerit negligentius custodire. Si stillantem in cruce Christi sanguinem collegissem, essetq; repositus apud me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certè id seruandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa vtique sapientia sanguinem illum dedit; sed & habeo Thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multo plura, quam vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad solicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cum, & meam, & proximi nec conscientiam seruare necesse sit neutra mihi est satis nota, vtraque abyssus est imperscrutabilis, vtraque mihi mors est, & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia, & clamatur. Custos, quid de nocte, nec est mihi dicere cum Chaim; Numquid Custos fratris mei sum ego?* Hucusq; Bernardus. Quod si Regiæ domus œconomus, cui credita sit, vel preciosa, summæq; æstimationis suppellex, siue illa clauibus, ac signis munita seruetur, seu cunctis patens, ac libera, tantis curis innoluitur, & semper thesauri iacturæ timens, insomnes noctes ducet. Quid erit animarum administratori enitendum? cum vnius animæ æstimatio, & dignitas quæcumque sunt mundi huius preciosa vincat, & excellat, cumque vnius animæ perditio, tantam habeat iacturam, vt dicat Chrisostomus, nulla ratione posse æstimari? *Etenim, si vnius animæ salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo, tantaq; pateretur, perditio cogitata, quantam conciliabit pœnam?* Et alio in loco exemplo Pastoris, non suas, sed alienas oues curantis hoc idem declarat. *Etenim si huiusmodi oues perdiderit, vel Lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, vel Lue aliqua, aut alio casu sæuiente: Fortasse veniam aliquam à Domino gregis impetrabit, sin, & penas ille exiget, & damnum nisi pecunia constat. At verò cui homines ipsi, rationalis Christi grex, concrediti sunt hunc primo ouibus deperditis, non pecuniarum, sed animæ propriæ iacturam facere oportet. Quamobrem si quis mihi* (inquit idem Chrisostomus) *magnam nauim mercibus onustam committere velit in Tyrrhenoue pelago gubernandam nimirum nihil dubitem valde recusare, nec aliam ob causam quam metu naufragij.*

Serm. 103. Io. 21.

Ser. 76. in Cant.

3. Reg. 10.

Hom. 3. in Acta.

Lib. 2. de Sacerd.

Lib. 2. de Sacerd.

naufragij. *In quo tamen naufragio nihil præter aurum, & argentum periclitetur; vbi autem exitium imminet non nauis, sed animæ, quo non in maris aquas, sed in ignis æterni abyssus corruendum est, vbi etiam mors manet non corporis solum, sed cum ipso corpore etiam animæ, quis admiretur, si me tanto discrimini exponere detractem?* Hæc ille, & tamen aliquando euenit, vt cæteris in profundum Oceani mersis, ipse nauis gubernator, vel ob maximam artis peritiã, vel agilitatem corporis innatando è fluctibus euadat incolumis; verũ & id à casu nostro longè abest; si enim negligentia culpaque Pastoris anima, vel vna periclitetur, non sine exitio ipsius custodis hoc naufragium contingit.

Hæc autem, quæ hactenus commemoraui pericula, partim ex occultis insidijs ingrauescunt; partim etiam ex manifestis; quibus hostes humani generis infensissimè, tum apparatu vexationum, ac fraudum indefessi spiritualem hunc gregem circumuenire, ingiter & adoriri non desistunt. Ex quo quanta solicitudinis, atque etiam formidinis

Lib. 2. de sacerd. vnicuique Pastori causa indicta est? *Non illi* (inquit Chrisostomus) *aduersus Lupos pugna est, neque à furibus timet, neque solicitus, anxiusque est de peste a grege abigenda; contra quos ergo illi bellum? Quibus cum lucta? Audi obsecro B. Paulum loquentem. Non est vobis lucta aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus mundi dominos, Rectores, tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales nequitias in cælestibus. Vides ne terribiles aduersariorum copias? vides Phalanges asperas, non ferro quidem circumseptas; sed quibus pro vniuersa armatura ingenium ipsis suum abunde satis est?* Ex quibus apertè constat, quam periculosa, & difficilis sit veri Pastoris conditio, cui semper sit in acie standum, neque vnquam arma deponenda, ob nouos, & inopinatos Luporum incursus; Vnde S. Vincentius *numquam anima-*

Serm. 7. de Domin. 2. post oct. Pasch. *rum Curatores cum gaudio viuerent, si tantum onus, quod supra se portant, verè cogitarent.*

Libet, & hisce vniuersis hominibus ipsius naturæ conditionem adnectere; cuiq; voluntas à Deo libera, suiq; iuris, & arbitrij condita, nullo verborum apparatu, nulla operationum vi, sed nec miraculis ad bonum compelli, & constringi potest, sed Dei gratia adiuuante, tantum

De sex alis c. 5. excitari, & allici: ex quo postea illa duo existunt, quæ assiduam, solicitudinem, laboremque perpetuum à Pastore requirunt; Primo ex D. Bonauentura, *quia ob hominis inconstantiam multi ipsius labores, & pij conatus irriti redduntur, multa seminat, & pauca oriri videt.* Secundo, quia numquam de fructu securus est, an permaneat, vnde, & idem labor, & officium repetendum est, secus in cæteris artibus, vbi enim peritus Artifex lignum elaborandum, sibi proposuit, & idonea artis instrumenta adhibuerit, nullo negotio, quod simulacrum mente primo concepit, ipsum illud rem prorsus exprimet, & integra ligni materia permanente tamdiu, & statua ipsa permanebit; At animarum pastor non continuo quam cupit virtutem in hominum animis imprimit, vel impressa, non vtique diu perseuerat, quia *inconstans est homo in omnibus vijs suis*, inquit

Cap. pri. D. Iacobus.

Hæc si vera sunt ob humanæ voluntatis conditionem, & varietatem quid? quando ventum erit ad illos, qui ob diuturnam peccandi consuetudinem

lætudinem, ita vitijs obdurùere, vt omnem salutarem medelam, & curationem respuat, & in ipsos etiam suæ salutis auspices insurgant, insectentur, & criminentur adeò, vt aliquando Sacerdotis salus in discrimen vocetur; de quorum tamen salute, solicitus debet esse Pastor, D. Bernardi exemplo, qui de seipso *Distedant* (inquit) *à me, qui me consolantur, & dicunt; quia oratio mea, in sinum meum reuertetur; dum is pro quo emissa est, nondum conuertitur; neque audio illos, qui mihi blandientes asserunt, iustitia iusti super eum erit, dum impius in sua impietate remoratur; non enim recipio consolationem; quamdiu fratris video desolationem.* Ep. 19.

Neque est negotium Pastori solum cùm duris, & contumacibus. Non virilem dumtaxat duritiem comminuit Pastor animarum; sed & muliebrem mollitiem firmare debet. *Neque potest Antistes* (inquit Chrisostomus) *qui gregis vniuersi curam suscepit, viris tantum curandis operam dare; mulierum autem curam negligere; qua in parte magna profectò opus est prouidentia, quod facilè ad peccandum quisque proclinis sit; sed illum oportet, cui administrandus Episcopatus sorte obtenerit; pro illarum salute, si non maiorem, ac parem certè, curam studiumque impendere. Nam & eas inuisere ægrotantes, & solari lugentes, & increpare languentes, & adiuuare afflictas oportet: quæ omnia dum fiunt plures irrumpendi aditus, Dæmon inuenire solet, nisi exactissima, quis ac minutissima custodia se se vallauerit; quippè animum suum ferit, & commouet, non impudicæ tantum, sed etiam pudicæ mulieris oculus.* Quare dubitandum non est quin pastorale istud ministerium, si pro dignitate tractandum sit, omnigenis circumseptum esse angustijs, nec nisi summo mentis ardore ritè peragi posse. Lib. 6. de Sacerd.

Quam difficilis, & periculosa sit Cura animarum propter ea, quæ sunt circa personam Curatoris. Cap. IIII.



NEque verò leuiora sunt incommoda, quæ propter eos tolerantur, qui circa personam Pastoris sunt (quod tertio loco declarat Bernardus ibi: *Quæ circa te*) Puta, propter populum, & clerum qui Ecclesiæ seruitio adscriptus est, quibus omnibus ex eodem Bernardo, animarum curator quàm strictissime obstringitur. Addamus nos, & consanguineos cum ipso plerumq; Pastore commorantes.

Ac primò quod spectat ad clerum, certum est, aliquas esse Ecclesias, in quibus, vel ob ingentem animarum multitudinem, vel ob varias, & multiplices Ecclesiæ obligationes, & instituta, sola Rectoris persona vniuerso oneri non sufficiat, vnde, & alij sunt in partem muneris adsciscendi, qui tamen (vt quotidianus vsus apertè demonstrat) Rectori ipsi aliquando perturbationi potius, & molestiæ existant, quam præsidio, vt enim animarum saluti faciliori negotio prospiciatur, & Dei cultus maioribus incrementis adolescat, quis est, qui nesciat miram quandam exigi ministrorum inferiorum cum suo Rectore, quasi membrorum

cum suo capite coniunctionem? nam si quid aliud intentio moliatur Artificis, aliud instrumentum ipsum operetur numquam opus cum laudis merito fiet: quæ quidem res luculentè Turris Babel exemplo liquet.

Gen. 18. Hæc enim sicuti plurium auxilio idem spectantium, & eidem operi seruientium ad tantum est fastigium euecta; ita eorumdem discordia, & dissimilitudine disiecta, & dissipata est. Idq; fuisse causæ crediderim cur daturus Moysi suffragatores in regimine populi hoc Deus præceperit. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, qui senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesq; ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo tradamq; eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris*. nihil enim maius facere poterat ad illos colligendos, quam si in omnibus esset idem spiritus, & eadem voluntas. Verum consensio ista vix aliquoties est inter inferiores ministros cum suo Rectore: pauci enim modo reperiuntur, qui maximè in Dei gloriam, & animarum salutem intendant, contra vero multi, qui proprijs commodis, & lucris studeant: *Christum* (vt inquit Paulus) *ex occasione Euangelizantes*. Ex quo postea ab ipsis turbines, & procellæ, quotidie in Rectorem excitantur, cui non modo (vt par esset) inseruiunt, *sed & inuertunt ei, quæ facit omnia* (vt rectè animaduertit D. Bonauentura) *& interpretantur in deterius, & super multis visitant eum, & murmurant, & accusant, & detrahunt, & sumunt inde materiam scandali, vnde Rector putabat se Deo, & ipsis obsequium præstitisse, ita quod vix in aliquo potest inueniri medium in eo quod ordinat, aut facit, quin semper aliquibus displiceat, & turbentur; imo, & in faciem resistunt ei, vel literis arguunt eum, & despiciunt, & commouent etiam alios, vt se ei opponant, vel astutè impediunt, ne possit perficere, quæ deberet; ad hac consuescunt libenter euagari, diuersa carnis commoda venari, sæcularium familiaritatem emendicare, ædificationem animarum pro quæstu vendere, diuitibus adulari, scandala non curare*. Hæc & alia similia, quæ narrat idem Bonauentura, sunt, quæ boni Pastoris animum excruciant, & eo magis quod dissensiones istæ nõ se continent inter personas eiusdem ordinis, tantũ vigent sed, & ad aures, atq; oculos seculariũ perueniunt, fiuntq; omnibus perspicuæ: vnde grauiores offensiones pariunt, quia non modò charitas oppugnatur modo, quæ vinculum perfectionis est, verùm & ille, sine quo Ecclesiasticæ functiones decorè, & piè exerceri non possunt, ordo corrumpitur, Ecclesiastica disciplina, & Dei cultus minuitur. Quæ causa etiam est, vt gradus ipse Sacerdotalis in laicorum hominũ contemptum abeat.

Num. 11.

De sex alis. cap. 5.

Hoc ipsum manifestum est sanctissimi Caroli exemplo. Hic enim ex varijs contentionum pluribus, quibus ritè obeundi muneris sin causa diuersimodè agitatus in sæculo fuit, grauiores Ecclesiasticorum virorum temerè in decreta sua insurgentium conatus quam ægerrimè tulit. Porrò hanc Ecclesiæ plagam D. Bernardus *intestinam*, *& insanabilem* appellauit, *intestinam* quidem, quod à domesticis, & ab amicis infligitur, insanabilem verò, quod difficulter nimis, & laboriosè curetur. Quippè nulla *pestis* auctore Boetio *quam familiaris inimicus efficacior ad nocendum est*. Et sicut Abraham nihil tantopere vexabat inter sacra, quam muscarum volatus, & morsus, quæ ipsis sacrificiorum carnibus aleban-

Ser. 33. in Cant.

Lib. 3. de consol.

alebantur, ita nulli duriores stimuli, quàm qui inferuntur ab illis, qui in adiutorium dati, impedimentũ, & ruinam pariunt. Nihil profectò est quod Ecclesiam Dei ita destruat, & dissipet (teste Chrysostomo homil. in Prof. & Aquil.) quàm cum discipuli magistris, patribus filij, & principibus subditi, non satis animis, ac studijs cohærent. Et tamen vita cleri sub custodia Pastoris præcipuè posita est, propterea D. Bernardus addit: *Quod perperam agitur te præsente, id tibi turpius. Interest gloriæ sanctitatis tuæ, vt quos præ oculis habes, ita ordinati, ita sint informati, quatenus totius honestatis, & ordinis ipsi sint speculum ipsi sint forma*, Et quo res nobilior, & preciosior est, maiori etiam cura, & solicitudine seruanda est. Quò pertinet illud D. Ambrosij de dignitate Sacerdotis. *Magna sublimitas, magnam habere debet cautelam, honor grandis grandiori debet solicitudine circumuallari.* Et si peccata populi, quæ sui Rectoris cura, & diligentia præcaueri potuissent, & corrigi, illi meritò imputantur, cur non magis cleri defectus, cum assidue quasi ante ipsius oculos versetur? Vt enim quãdo Horologium non æquis vicibus horas indicat, non machinæ vitio solemus adscribere, sed æditu, cuius curæ commissum est: ita in Ecclesia si temerè quippiam, aut inordinatè, vel etiam turpiter geratur, id Rectoris culpæ tribui solet. Iam verò quod ad populum spectat quàm arduum putatis ita vitam, moresq; suos instituere, vt nullius ex populo in cuius conspectu viuit, oculos offendat? quin omnes optimo exemplo instruat. Qui enim in sublimi positus est cunctorum ad se trahit aspectum; Quid agat, quid loquatur, quid exempli præbeat perspicacissimis oculis attendit populus. Innuit hoc ipsum Seneca *Tibi inquit magis, quàm soli, lucere contingit multa contra te lux est: omnium in te oculi conuersi sunt*. Et Plutarcus in politicis. *Vitam sibi quisq; & mores excolere debet, quo prorsus, omni nota vituperationeq; careat; quandoquidem eorum qui Reipublicæ præsunt præsertim, non modo singula verba, nec res tantum publicitus gesta animaduerti, notariq; soleant, sed virtus quoq; ioci simul seria quæq; domus ipsa, & familia, cubile, stratum etiam ipsum curiosius inquirantur*. Quod D. Chrisostomus Athletæ publicè certantis exemplo confirmat. *Quando Athleta domi se continet, cum nemine manus conserens imbecillitatem, & infirmitatem suam alijs occultare potest, vbi verò nudato corpore in arenam decertaturus descendit; tunc facilè apparet quid ille possit; eadem ratione, qui priuatam hanc, & quietam vitam viuunt, solitudinem habent tamquam velamen suorum vitiorum; ijdem prorsus, cum in medium prodierunt, solitudinem illam sicut vestem exuere atq; per externos aduenticiosque motus suas animarum passiones, & affectus omnibus exhibere coguntur*. Hæc Chrisostomus. Qua in re idem mihi contingere videtur, in præpositorum moribus corruptis, quod in Solis Eclipsi, quamuis enim in inferioribus astris aliqua interdum luminis obumbratio eueniat pauci tamen sunt, qui id aduertant, & obseruent, at verò si Sol ipse defectionem patiatur, omnes illico oculorum aciem mirabundi intendunt.

Lib. 1. de Clem. c. 8.

ad Imp.

Lib. 5. de Sacer.

Quin, & actiones bonæ Sacerdotis sub plebis censuram cadunt, quandoquidem non desint subdoli coniectores, qui perperam illustria pastoris facta interpretentur, ita vt vix multorum annorum curriculo, & perpetua laudabilium actionum seriè incipiat populus de Rectore suo

præclarè

præclarè sentire. Quam igitur arduum, & difficile est, tam sanctè, tam grauiter vitam suam ordinare, vt de eo sinistri quidpiam, aut fingi, aut excogitari, non possit? præsertim cum homines sic lubrico propendente ingenio, sint ad male sentiendum procliues.

Magnum quoq; ex consanguineis impedimentum, oritur Rectori, ex ijs maximè, quos siue charitatis, siue fidelitatis, siue institutionis, siue adiumenti causa penes se habeat, longa namque temporum experientia docuit, multa mala Ecclesiæ, & Pastoribus ipsis manasse, ac non leues quidem periclitandi, & habendi occasiones Sacerdotibus exinde suppeditatas fuisse. Hinc fit, vt naturalis in consanguineos animi propensio, & amor, quotidiana eorumdem, & diuturna consuetudine, ita sensim exrescat, vt & commissi gregis cura, & sui ipsius, & Dei dilectione posthabita, & in gregem suum, in hoc vnum incumbat, vt cognatos locupletes, & magnos faciat, id quod sensit D. Augustinus, cum ait *amorem nullum riuulum extra se duci pati, quia eius deriuatione minuitur.*

Lib. 1. de Doc. Chri. cap. 22. *Et animus noster velit, nolit, rebus ipsis quas assidue tractat nimium adheresfit*, & eò firmius, quo natura duce ad illud impellitur: & si duos oculos habentes cælum vno, terram altero, simul ac semel nequimus aspicere, multo minus, si nobis oculus vnus tantum esset, at vnus animus est, vna voluntas, quam si consanguineis demus, quomodo Dei seruitio, & animarum

Gradu. 3. de per. saluti studebimus. Confirmat hoc ipsum Io. Climacus. *Grauis est* (inquit) *& admodum vitabilis immoderata affectio ad aliquem propinquorum, cum ea nos ad sensum secularem possit attrahere, ignemq; compunctionis nostra extinguere. Sicut impossibile est vno oculorum Cælum, altero terram aspicere: ita fieri non potest, vt in his anima non periclitetur, qui corpore, & cognatione ab omnibus propinquis, & extraneis non se peregrinum fecerit.*

At non satis erit, animarum Rectorem ipsum solum culpa vacare, sed & domus eiusdem ac familia optimi exemplaris speciem præseferat necesse est; proposita esse debet præsertim, cum populus in his præscru

Cap. 8. tandis nimium perspicax sit. De hoc D. Hieronymus eum præmonuerat quem ad perfectam cleri vitam instituebat. *Tales* inquit *habeto socios, quorum contubernio non infameris.* Sæpè tamen videmus Sacerdotum consanguineos ociosè, vt plurimum de Ecclesiasticis prouentibus cum eisdem viuentes, non ita se gerere, vt Sacerdotis honestam existimationem augeant, quia sua tantum priuata commoda quærunt, de Sacerdotis verò fama, & salute nihil laborant Pharisaicum illud in Iudã, & sacerdotes simul vsurpantes, *Quid ad nos? tu videris.* Sicq; infelix Sacerdos Christi patrimonio Dei, & sui ipsius hostes alit. Ingrauescit autem hæc pestis ex eo, quod Sacerdotis oculi ita hoc sanguinis affe-

1. Reg. 3. ctu excæcantur, vt tanquam Eli, cuius oculi caligauerant nec poterant videre lucernam Dei, antequam extingueretur deprauatos mores propinquorum non videant, nec vitia attendat, & si eos aliquando moribus dissolutos viderint, vel naturæ, vel temporum cõditioni ascribant, nec vnquã de correptione cogitet. Qđ sanè multorũ malorũ seminariũ esse solet, nam si qui in populo contumaces, & delinquentes sunt hoc sibi proposito exemplo ita in vitijs obdurescunt, vt si vel pænis, & censuris plectendos censueris, statim in Rectorem insurgant, eius in suos

patien-

patientiam iactitantes, & in exemplum trahentes. Sic itaq; carere debet omni culpa, qui in alterum dicere paratus est, neq; maxima culpa vacare potest Sacerdos, qui ea in consanguineis tolerat, quæ in alijs detestatur, & damnat. Accommodatissimam rei nostræ proferam concionis portiunculam S. Caroli ad Clerum Mediolanensem vbi ait: *si conscientiam tuam auscultares, Sacerdos, quam multa tibi mala ab agnatis tuis prouenire cognosceres; quam verum esse comperires, quod inimici tui sunt domestici tui. Quoties propter agnatos aliorum peccata dissimulas, & præsertim potentiorū. Quoties muneri tuo dees. Quoties ministerium tuum non imples. Quoties mercenarius es. Quoties veniente Lupo, accedente aliqua contradictione relinquis oues, & fugis, ne odium concilies parentibus, nepotibus, agnatis. Quoties domi tuæ alis consanguineos seditiosos, qui hoc efficiunt, vt & tu talis ab ouibus tuis existimeris, & omnem vitæ, & prædicationis tuæ adimunt auctoritatem*, hæc omnia Carolus. Quamobrem peritum Fabrum imitetur Sacerdos qui officinam suam non alijs instrumentis occupari permittit, quàm ijs, quæ ad artem suam faciunt, & in hoc inordinato affectu in sanguine iunctos coercendo strenue elaboret, ait enim Magnus Gregorius, propter hunc amorem agnatorum quamplurimos fructum suorum bonorum operum perdere, atq; Thesaurum animæ suæ dilapidare. *Sunt pleriq; inquit, qui non solum aliena non appetunt, verùm etiam cuncta, quæ possederant in mundo, derelinquunt, semetipsos despiciunt nullā præsentis vitæ gloriam requirunt ab huius se mundi actibus separant, & penè quidquid prosperitatis arriserit, calcant. sed adhuc vinculo carnis obligati, dum amori propinquitatis indiscretè deseruiunt, ad ea sæpè per affectum cognationum redeunt, quæ iam cum proprio despectu subegerunt*. Non igitur ementitæ coniunctionis speciei fidat Sacerdos, vafer namq; est Diabolus vt quos non potuit vel carnis illecebris, vel auri cupiditate vincere, eos per sæpè parentum amore prostrauerit.

Act. fol. 1175.

Homil. 17. in Euang.

Quam periculosa sit eadem cura animarum ex diuino Iudicio. Cap. V.



SED quæ hactenus dicta sunt, leuia, præ illis videbuntur quæ cuilibet animarum Rectori nouissima suæ resolutionis hora diuina comminatio proponit, cùm palam æquissimi, supremiq; censoris iudicio, cunctis spectantibus illius vita excutietur; vbi quomodo in ouile intrauerit, quam vitam duxerit, & quomodo rexerit accuratissimè inquiretur. Quæ exanimatio, quis pauor, quæ tunc angustiæ superuenient? Atqui ista quidem eo magis horribilia sunt, quò nauis Gubernatorem, non vbi primum se mari commisit, inuadunt, sed in ipsius penè portus faucibus, in ipso inquam mortis articulo, in quo de perpetuo animæ statu iudicium agitur, & quando vela retrahere, non amplius licet. Quo animo futurum tunc animarum Rectorem existimandum est? cum iam angustijs vndique vallatus muneris sui rationē redditurus erit? Quare haud vulgariter Sacerdoti profuturum arbitror, si sæpius in hac diuini iudicij meditatione se exerceat.

Apud

Apud Cantipatranum in libro Apum lib. 1. cap. 26. part. 2. memini me legisse de quodam Prælato, cui, cùm per multos annos perperam commissas sibi animas rexisset, ægrotanti tandem B. Petrus retortis oculis, vultuq; seuero apparuit, qui librum quendam apertum tenens legere recusantem alioqui compellebat. *Erat autem* (inquit Cantip.) *hæc scriptura in textu libri. Mortificas animas, quæ non moriuntur, & viuificas, quæ non viuunt. Cumq; ille horreret nimium amplius legere, vultuq; refugeret, Apostolus Petrus seuerius institit, & vt glossam textus legeret, quæ in margine videbatur, præcepit. legit ergo coactus. Quando reduces animas de inferno, quas per tuum destitutas exemplum æterno supplicio tradidisti. Et cùm ille præ horrore, & confusione respondere non posset, de visione ad se rediens, sudantem se, & creticantem inuenit.*

Quod sanè iudicium animarum curatoribus erit in primis metuendum, & formidolosum; primo quia non de proprijs tantum actionibus, atqui de tot animabus, quot regendas susceperunt ab ijs exactissima ratio repetetur; deinde quia hæc ratio ipsi Christo reddenda erit, qui iudicium hoc sibi in Pastores proprium, & peculiare reseruauit, qui persolutum a se ouium suarum pretium, & dignitatem restitutam apprime nouit. Quis non timeat? quis non exhorrescat?

2. Cor. 5. Neque verò dubitandum est, de populi etiam peccatis curatorem animarum coargutum iri; licet enim Apostolus omnes nos manifestandos ante tribunal Christi dicat, *vt recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit*, docet tamen D. Thom. aliorum peccata, quotiescumque ratione culpæ nos tangant, nobis imputari, deque illis, ac de nostris Deo rationem reddendam esse; populi autem peccata, quæ diligentia Pastoris argui prouidentiaq; præcaueri potuerunt, nonne Pastori adscribenda sunt? Audi quæ Deus sub nomine speculatoris per Ezechielem comminatur. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel; audiens ergo ex ore meo sermonem meum annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium morte morieris non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua mala, & ipse impius in iniquitate sua moriatur, sanguinem eius requiram de manu tua.* Hoc est ex D. Prosperi sententia. *Si ei peccata sua non annunciaueris, si eum non argueris, vt ab impietate sua conuertatur & viuat, & te, qui non increpasti; & eum, qui te tacente peccauit flammis perennibus perdam.* Et meritò quidem; cum Pastor vltrò se, hac obligatione obstrinxerit, dum quasi mercede conductus onus animarum in se suscepit, quam obligationem sub fideiussoris imagine sapientissimus Salomon declarauit. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus; fac ergo quod tibi dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui, discurre, festina suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ.* Quibus sanè verbis Salomon videtur summam curæ Pastoralis obligationem pro dignitate descripsisse; callebat enim animarum dignitatem, & intelligebat pariter similem dignitati curam futuram, nec dissimilem rationem de tam precioso deposito exigendam, ideò tanta contentione Pastorem excitat, & vrget ad omnem vigilantiam, & solicitudinem. Sed & Paulus cum ad obedientiam Prælatorum inferiores, cohortatur. *Obedite*

(inquit)

Marginal notes: In cap. 13. Ep. ad Heb. — Ezech. 33. — Lib. 2. de vita cōtē. — Prouerb. 6. — Ad Heb. 13

(inquit) *præpositis vestris, & subiacete illis; ipsi enim peruigilant, quasi pro animabus vestris rationem reddituri*. Ad quem locum egregie D Chrisostomus. *Audiant*, inquit, *Principes, & qui reguntur à principibus, quia sicut obedientes esse oportet qui reguntur; sic etiam Rectores, & Principes vigilantes esse licèt, sobrios, & solicitos; periculũ namq; stat super illorũ caput; subiecti enim sunt vltionibus peccatorum suorũ, & alienorum*. Quod ipsum ferè alibi repetit. *Cuncta timeas is, cui non solum de erroribus proprijs necesse est rationem reddere, sed etiã pro alienis ad vltimum discrimen adduci, nam siquidem de proprijs vitijs tantum causas reddituri timemus, quid putamus illi faciendum, qui rationem reddet de tot animabus?* Atq; id quidem meritò, si enim ciuilibus legibus æquissimè cautum est, vt si nauis aliqua gubernatoris ignauia naufragium subeat, tota ab eò mercium, & personarum absumptarum pęna adamussim exigatur, cur immunis pœna Deo euadat pastor, cuius in curia pretiosissima tot animarũ mercimonia deperierit; adeò namq; Sacerdos, & populus inuicem coniuncti, colligatique sunt, vt vix in populo maiores quædam morum corruptelæ inueniantur, quæ non aliquo modo in Rectoris negligentiam conijci posśint. *Et quemadmodum*, inquit D. Chrisostomus, *cum videmus arborem folijs pallentibus marcidam, intelligimus vitiũ aliquod in radice latere, ità cum videris populum in disciplinatum, sine dubio intelligimus Sacerdotem eius non esse sanum*, Idcircò, & Moyses omnem idololatriæ culpam, quam commisit populus in Aaron transtulit. *Quid tibi fecit, ait, hic populus, vt inducas super eum peccatum maximum?* Lib. 4. de Sacerd. Tract. de Symb. Exod. 32.

Quæ si vera sunt, quam nam, pro se infidelis Pastor excusationem afferre poterit? num imperitiæ suæ iustam excusationem habebit? aut ab alijs se ad hoc officium assumptum clamitabit? sed & Saul (vt sapienter respondet D. Chrisostomus) *qui patrem Cis habuit, non suo ipse studio Rex factus est, vt qui cum abijsset asinas peruestigatum, Prophetam super his rogare cœpit: at illa cum eo de regno collocutus est. Porrò Saul ne auditis quidem Propheta verbis ad regni administrationem suscipiendam accurrendum sibi putauit quin imò tergiuersatus, deprecatusq; est cum diceret; Quis nam ego sum? Quænam patris mei domus? Quid tandem Saul? Nec postea quam non rectè honore sibi delato vsus est, potuere verba ista eximere ab eius ira, à quo Rex ipse creatus fuerat: Atqui licebat illi aduersus Samuelem increpantem his vti verbis. Num ad Regnum ego administrandum accurri? Num ad huius potestatis regimen prosilij, & aduolaui? Equidem in animo habuit priuatam vitam viuere, quietam illam quidem, ac molestijs vacantem, tu verò ad hoc me dignitatis, auctoritatisq; pertraxisti*. Verùm hæc, quæ dixi, *ad deffensionem sunt infirma, neque infirma tantum, sed etiam vsq; adeò periculosa, vt Dei iram magis irritent*. Hæc omnia Chrisostomus. Frustra igitur iactabit Pastor propriam sui ipsius castimoniam, temperantiam, pietatem, & omnigenam vitæ integritatem, si id vnum desit, vt aliorum salutem non procurauerit testis est D. Prosper de vita cõtemplatiua. *Ille cui huiusmodi dispensatio commissa est, etiam si sanctè viuat si tamen perditè viuentes arguere, aut erubescit, aut metuit, cum omnibus qui eo tacente pereunt, perit*. Hæc sedulo cogitet animarum præfectus, nam si (vt inquit D. Gregorius) *cuilibet vix ad satisfaciendum districto Iudici de sua tantummodo conscientia sufficit, quid faciet, si de tot animabus, quibus præest rationem, est redditurus?* Sed & D. Bonauentura. *Prælatus*, inquit, *Vicarius Dei, cui data est* Cap. li. 24. mor. cap. vlt. De sex alis c. 3. propè fidem.

potestas a Domino super familiam suam, & cui debent subditi ea de causa obedire; si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia succrescere, & consuetudines malas oriri, & iam exortas roborari, & dilatari, & pro posse, non obuiat tam præsentibus malis, quam imminentibus, triplicem Deo rationem reddet; Primo pro sua negligentia, quando non fecit, ad quod ex officio tenebatur, nam ait, cum essetis ministri illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem eum ambulastis. Horrendum, & citò apparebit quoniam iudicium durissimū his, qui præsunt fiet. Secundo, quod omnia peccata subditorum, quæ poterat, & debuerat correxisse, & præcauisse imputantur ei. Tertio pro abusione honoris, & dignitatis sibi collatæ, quàm ad propriam gloriam, & commodum retorsit, & non ad quod data est ei. Tollite ab eo talentum, & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium. Hæc Bonauentura. Cæterùm hoc amplius timorem auget, quod hæc tam minuta, & exacta totius regiminis ratio ipsi Christo reddenda erit, id quod D. Paulus expendens dicebat. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; qui autem me iudicat, Dominus est.* Nam qui modo, vt optimè aduertit Gregorius. *subditorum culpas per præpositos vlciscitur, tunc præpositorum mala per semetipsum sæuiens Dominus damnabit, vt Deus ipse per Ezechielem comminatus est. Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos non ne greges à Pastoribus pascuntur, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam, vt vltra non pascant gregem meum.* Et alibi per Sophoniam. *Scrutabor Hierusalē in lucernis.* Quo significat non solum se iudicaturum eos, qui peculiari modo Deo dicati sunt vt sunt animarum curatores, sed & minutissime in eos inquisiturum, & perscrutaturum. Cuius rei rationē reddit D. Ambrosius. *Quia aliud est quod requirit Deus ab Episcopis, & aliud, quod à Presbyteris, & aliud, quod à Diacono, & aliud quod à Clerico, & aliud quod à laico, vel à singulis quibuscumque hominibus: & licet omnium hominum opera Deus in suo examinet iudicio; Plus tamen ab eo exigitur cui etiam plus committitur;* Quare sicut in sanctuario particularem stateram, & æquissimam lancem Deus poni iussit, qua res sanctuarij ponderarentur, ita, & censura, qua Pastoris vita examinabitur, longè exactior erit iudicio laicorum; *Quia*, inquit D. Chrisostomus, *quem beneficia accepta meliorem non reddunt, is certè, etiam quamuis supplicium commeretur.* Cui etiam Cyprianus se subscribit: *Fænore quodam*, inquit, *nocendi quanto fuerit amplior summa dignitatis, & bonorum tanto & maior exigitur, & vsura pænarum.* Huius autem triplicem causam libet assignare. Prima est, quia, vt diximus Sacerdotum peccata grauiora sunt, atq; propterea illis magis offenditur Deus, vt sapienter dixit D. Chrisost. *Dico horribile, atque tremendum, nec est ita malum in Ecclesia Dei Dæmoniacos esse, sicut Sacerdotes, qui peccatorum sordibus inquinantur.* Et in libris de Sacerdotio eandem veritatem astruit illo Domini præcepto, quo in Leuiticis iubet, illud idem sacrificium offerri debere pro peccatis Sacerdotum, quod pro totius populi peccatis offerendum erat, *ostendere volens*, inquit, *peccata longè maiore supplicio expianda esse à Sacerdotibus, quàm dum à priuatis fiunt, porro non indigerent maiori medicamento, nisi ea grauiora forent, grauia autem fiunt propter Sacerdotis, qui ea commiserit dignitatem.*

Marginal notes: Sap. 6. — 1. Corin. 4. — Homil. 17. in Euang. — Ezech. 34. — Sophon. 1. — De dignit. sacer. c. 3. — Leuit. 5. — De sacerd. lib. 4 — Lib. 1. ep. 2. — Homil. 88. in Matth.

Secun-

Secunda est nam peccata Sacerdotis difficilè curantur, vt saluator ipse illis verbis innuerat. *Vos estis sal terræ; quod si sal euanuerit, in quo salietur?* Canis vulnera sua lingua lingendo curare potest, at si in capite feriatur, perit, quia illuc lingua nō pertingit, canes sunt animarum curatores id quod non vno loco per Prophetas expressum est, hi ergo, qui capitis vicem in populo refferunt, si peccant, difficilè conuertuntur, non enim ad eos pertingit lingua ipsorum, nec aliorum, quippè quod vel nullus est qui audeat reprehendere, vel rarò eorum reprehensionibus resipiscunt. Tertia est, quia peccata Pastorum minus sæpè, solum Pastorem inficiunt, sed multos etiam secum in præcipitium trahunt, iuxtà illud D. Bernardi ad Gulielmum Comitem. *Si quis de populo deuiat, solus perit; error Prælati multos inuoluit, & tantis obest, quantis præest. Si ergo* vt erudite argumentatur Chrisostomus, *ei, qui vnum duntaxat offenderit, expedit, vt mola asinaria suspendatur à collo eius, & demergatur in profundum maris. Item si qui fratrum suorum conscientiam offendunt, iij omnes in ipsum Christum peccant, qui non vel duos, sed multos etiam populos perdiderint, illis quid tandem fiet? ac quam nam illi pœnam sunt pensuri?* Ex quibus omnibus satis perspicuū fit, quam terribile, æquissimum tamen Christi iudicium ab illis Pastoribus expectandam sit quibus nec de sua, nec de ouium suarum salute vllus ferè sensus est, nec cogitatio.

Math. 5.

De Sacerd. lib. 6.

Huius loci fit, quod idem Cantipatranus lib 1. de Apibus cap. 9. p. 3. refert de Rectore quodam, qui animarum curam consobrino presbytero literis, & moribus alioqui insigni, vt aiunt, renunciarat. Is namque oneri subtractus, religionem intrauit, in quo paulò post decessit. Differenti autem iuniori Rectori animarū regimen suscipere, quiescenteq; quadam nocte apparuit defunctus Rector in cappa nigra his eum verbis alloquens. *In grege commisso male te geris, & pede scisso claudus es, inspicito quæ pœna futura, redito. Hæc dicens* (ait Cantipatran.) *eleuauit cappam, qua videbatur indutus, & se grauiter incendi demonstrauit. Ad hæc iunior expergefactus, recolit visionem, & versus. & mox iterum resoluitur in soporem, cui eodem schemate defunctus apparens subdit. Tu pœnæ causa, requies per te mihi clausa. Aspice sic vri, cibus ignis, & esca futuri. Et hæc dicens illi tormentum ignis ostendit, cui iterum tertio soporato apparens dixit. Mundi delitijs interdum seria misce, ex his primitijs cape partes, aut resipisce. Ad cuius verba iunior Rector surrexit, & flexis genibus se impleturū, quod auunculo promiserat vouit. Nec mora cum splendore nimio manifestè defunctus apparens, & viuenti congaudens dixit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Et hæc dicens in sublime conscendit.* Ex quo facto discere licet quam periculosum sit animarum curam recipere, & in manus negligentis relinquere. Quare ex Gregorij consilio. *Ponamus sæpè ante oculos nostros, vt illam tantæ districtionis diem in qua Iudex veniet, & rationem cum seruis suis, quibus talenta credidit, ponet; Ecce in maiestate terribili inter Angelorum, & Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine electorum hominum, ac reproborum multitudo deducetur, & vnusquisque quid sit operatus, ostendetur. Ibi Petrus cum Iudea conuersa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conuersum, vt ita dicam, mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam. Ibi Io. Asiam, & Thomas Indiam in conspectu sui Iudicis ducet. Ibi omnes dominici gregis arietes,*

Homil. 17. in Euang.

C 2 cum

cum animarum lucris apparebunt qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus? qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus; qui Pastorum nomen habuimus; & oues, quas ex nutrimento nostro debebamus ostendere, non habemus. Et paulò infrà. *Consideremus sine cessatione, quid sumus; pensemus negotium nostrum, pensemus pondus quod suscepimus; Faciamus nobiscum quotidie rationes quas cum nostro Iudice habebimus, & sic debemus agere curam nostri, vt non negligamus curam proximi.* Quò etiam spectat illud Origenis. *Omnis adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se iudicandos potius, quam iudicaturos hi qui præesse populis volunt cogitarent.*

Super epist. ad Rom.

In eos, qui non vocati veniunt ad Curam animarum. Cap. VI.



SICVTI nimiæ audentiæ notas incurrit, qui nullius ductu, aut ope impar humeris onus suscipit, ita imprudentiæ vitio non vacat, qui non vocatus à Deo intollerabile animarum pondus sibi vltrò imponit. Quod D. Bernardo querelæ locum præbuit. *Curritur*, inquit, *hodie ad Ecclesiarum curas, tamquam si sinecuris, quisque victurus sit, cum ad curas peruenerit, & qui nondum has curas experti sunt, videntes alios, qui iam huic sarcinæ humeros submiserunt, non solum gemere, sed insuper plus appetere onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati non vident:* Cum tamen *Res hæc*, inquit D. Io. Chrisostomus, *non est de frumento, hordeoue dispensando, de bobus, ouibusque pascendis, aut alijs huiusmodi rebus distrahendis, sed de ipsomet corpore Iesu curando; Christi enim Ecclesia ex beati Pauli verbis corpus ipsius Christi est.* Cum igitur quotidiana consuetudo, & aliorum exemplum, magnam hac in re vim ad decipiendum habeat, atq; & contingat, vt si quid inest mali, & periculi in hoc non aduertatur, ideò primo loco examinanda erit istorum intentio, qui in tam graui negotio se faciles adeò præstant, & inconsideratos, tum deinde mala cognoscenda erunt, quæ sibi, & ouibus assidue impendent.

Serm. 33. in Cant.

Lib. 4. de sacerd.

Sunt igitur, qui suam eo nomine aliquando ambitionem alunt, & cupiditatem, colorant, dum expetere se, inquiunt obsequium Deo gratissimum nempè cooperare illi in salute animarum, esseq; hoc opus summæ perfectionis, & meriti. Optimus sanè sensus, modo quod lingua testatur, teneret affectus, & affectui facta ipsa responderent: verùm aliunde moueri quotidiana rerum magistra experientia docet, honoris namque, & temporalis commodi cupiditate allecti opulentiores Ecclesias, & pinguiores redditus anxiè affectant, remotas verò, & censu penuria laborantes recusant accipere, cùm alioqui latiorē ibi Christi vineæ excolendæ campum haberent, largioremque ouibus fame diuini verbi confectis, pastum haud difficilè suppeditarent. Par namq; nobilitas animarum est, ex Christi sanguine, neque proceris alicuius, aut locupletis carius est, quàm inopis, & abiecti redempta; fugiunt autem

tem quia non animas non Christum, sed sua tantum quærunt. Agnouit hoc hominum ingenium D. Gregorius, dum talium intentionem falsò pietatis colore fucatam retexit. *Plerumque*, inquit, *ij*, *qui subire magisterium Pastorale ambiunt nonnulla opera bona animo proponunt, & quamuis hoc elationis intentione appetant, operaturos tamen se magna pertractant, fitque vt aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat, nam sæpè de se mens ipsa mentibus, & fingit, se de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amare, quod amat*. Ea de causa putarim, cum Dominus Petro Ecclesiam commendaret, semel tantum, oues suas, bis autem agnos pascendos præcepisse, ouis namque facilè vocem Pastoris sequitur, illique ob lanam, & lac valdè vtilis est, nō sic lasciuiens agnus, qui nisi mactetur, Pastori suo nullum emolumentum affert: ad regendas Ecclesias pinguiores, nullo negotio accurrunt ambiciosi, & auari Sacerdotes, tenuiores verò refugiunt, nec nisi coacti earum regimen suscipiunt.

Prima par. Past. c. 9.

Io. 21.

Sed esto sit, qui non nisi magno animatum zelo, & studio diuini honoris, moueatur adhuc tamen ad hoc magisterium idoneus esse debet, eaque sibi comparasse virtutum ornamenta, quæ tanto oneri aptum reddant, in quo haud quaquam iudicio nostro fidendum est, cęcus enim amor nostri facilè rectum iudicium peruertit, & *nemo*, ex Persij sententiæ, *videat mantica quod in tergo est*. Expectandum igitur superioris imperium, & voluntas, per quam Dei placitum magis innotescit; quod verè contemnitur, cum quis ab eodem, vel minimè vocatus Pastoralem curam importunè conatur arripere. Itaque quisque huiusmodi curas affectat, vel est aptus ad illud oneris portandum, vel non, si idoneus non est, iam temeritatis conuincitur, vt qui proprium exitium ambiat, & quęritet, vel se dignum iudicat, quod item arrogantiæ singularis iudicium est, cum se quis idoneum ad regendas animas putet, quarum administratio difficillima à sanctis Patribus semper habita fuit, & onus angelicis humeris formidandum. Deinde si isti sola charitate ducerentur, omnibus sese subijcerent, patiēter expectarent, qui illos promouerent, cum nequeat vera charitas sine humilitate consistere: atque verè humilis nesciri, & delitescere cupit, quia humiliter de se sentit. Quo spectat illud D. Gregorij dum ait, eos, qui digni sunt, vt ponantur supra Ecclesiæ candelabrum instar thesaurorum absconditos latere. *Hos igitur quærat, qui ordinare, & ornare Christi sponsam gestit, hos ex quasi latebris humilitatis, & silentij eruat, & in honoris luce constituat*.

In com. 1. Reg. c. 6.

Verùm placet hoc loco D. Hieronymi testimonium proferre qui in sua regula ad Virgines cap. 15. *Quia rarò*, inquit, *per gradus dignitatum ascendit homo, quin multò grauius non descendat, nolo hoc pertransire exemplum quod sancto quodam mihi referente sene in eremo, ex veritate sciui. Cum iuuenis quidam sancto proposito, & vita electus esset ad Episcopale fastigium (quo grauius aliquid, aut periculosius nequit cogitari) patruum suum quendam virum vtique sanctum, & prophetiæ spiritu plenum eremi incolam, vt eum ad hoc consuleret, adijt non incautus. Audita itaque narratione nepotis, vir sanctus non verbis, sed signis potius percuntanti respondit, ne contra Apostolum, qui desiderantem Episcopatum in bono opere, laudat, dissuaderet. Iussit igitur senex quadratum discum*



à terra

à terra vehementer pedibus eleuatum ascendere iuuenem, & quater per quatuor disci latera supinum reuoluere semetipsum vsque ad oram casus, sicque casu imminente, si alia succederet reuolutio mandauit, vt extra summitatem disci adhuc se reuolueret iterato. Cui cum nepos, se non posse ex timore casus responderet, illico fecit eum descendere, & per quandam latam planitiem diutius volutare. Cumq; ex multitudine volutationum vtrisque eueniret fastidium: surge, inquit, & vade, quò vis, facitoq; quod tibi securius cernitur. Dedignatus itaque iuuenis abscessit, & alteri sancto seni patri deliramentum putans factum retulit. A quo de periculo praeminente doctus electioni renunciat, vt teneat quod tutum est. Qui post modicum fœlici obitu ex sæculo exiens hilaris, & iucundus apparuit patruo, & gratias (inquit) tibi pater refero, & de dissuasione Episcopatus. Nam scito, quod nunc essem de numero damnatorum si fuissem de numero Episcoporum. Hactenus Hieronymus. Quo sanè exemplo admonemur ne non vocati, ad animarum curam properemus.

1. ad Tim. 3. Neque verò est quod se eo D. Pauli dicto quod minoribus etiam curatis animarum aliqua ratione conuenit tegant. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, siquidem germanus Apostoli sensus ex Patrū doctrina illorum potius ignorantiam damnat, quia D. Paulus, vt optimè annotauit D. Thomas in hæc verba non laudat desiderium Episcopatus, sed operis, cum non dicat, qui Episcopatum desiderat, benè desiderat, sed bonum opus desiderat, cum oporteat Episcopum irreprehensibilem esse; dum autem dicit irreprehensibilem, omne virtutis genus expressit, ait D. Chrisostomus, vnde & subdit. *Qui sibi alicuius culpæ conscius est, malè certè facit eam rem appetens, qua indignum se per opera fecit; non enim decet huiusmodi regere, sed regi potius; eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta debet virtutis gloria excellere, vt instar solis cæteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. Debet huiusmodi vitam habere immaculatam, vt omnes in illum, & in eius vitam velut in exemplar aliquod excellens intueantur*; hæc autem omnia habere, quæ muneris ipsius dignitas, vt ritè appetatur requirit, quàm arduum, & difficilè semper habitum est? Rectè itaque concludit Gregorius his ipsis verbis. *Plerumque qui præesse concupiscunt ad vsum suæ libidinis Apostolum pertrahunt, qui ait. Qui Episcopatum desiderat, bonū opus desiderat, ac si apertè dicat; laudo, quod quæritis, sed prius discite quid quæratis, ne dum vos metipsos metiri negligitis, tanto fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quanto, & à cunctis conspicui in honoris arce festinatis, & paucis interiectis subdit, quamuis notandum, quod illo in tempore dicitur, quò quisque, qui plebibus præerat, prius ad martirij tormenta ducebatur tunc laudabile fuit, Episcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire. Ipse ergo testis sibi est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit*, manifestæ igitur arrogantiæ, & stultitiæ non leue argumentum est, animarum curam affectare, hoc præcipuè tempore, cum superioris iudicio multi non desinent vitæ sanctitate, & doctrina præstantiores. *Quis Paulo vehementius Christum dilexit*, inquit D. Chrisostomus. *Quis apud Deum gratiosior illo? & tamen post tot priuilegia à Deo accepta veretur adhuc, & tremit principatus istius pondus, subditorum suorum gratia. In timore, & tremore multo vobiscum versatus sum. Et hoc ait is, cui a Deo datum est, vt in tertium vsque cœlum raperetur,*

Homil. 10. in 1. ep. ad Thimot.

1. par. Past. cap. 8.

Lib. 3. de Sacerd.

& di-

& diuinorum arcanorum particeps esset, quique totidem, vt ita dicam pertulit mortes, quot dies vixit, post fidem Christo datam? Si ergo Paulus magistratus sui mortale expendens sic vbique formidabat, quid faciemus ipsi, qui quærimus, quæ nostra sunt? Quis infirmatur ait ille, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? 2. Cor. 11. *Huiusmodi conuenit Sacerdotem esse, imò non huiusmodi tantum, parua enim sunt ista, ac certè nulla præ eo, quod dicturus sum. Optabam ego anathema* Rom. 9. *esse à Christo pro fratribus meis, pro cognatis meis secundum carnem. Quod si quis existit, qui vocem hanc obsecrans enunciare possit, is dignus est, qui si oblatum Episcopale munus non detrectet, insimuletur, si autem à Pauli virtute distat, is odium, & vituperationem meretur, cum amplectitur, non cum detractat.*

De malis vero, quæ ex præfecturæ huius appetitu in ipsorum perniciem redundant, illud est præcipuum, quod cum isti possint tuto in loco viuere, atque in littore securi sedere, tamen se fluctibus innumeris, & procellis committunt: An non hoc summæ stultitiæ, & dementiæ est? Videamus quid Magnus ille Gregorius dicat de seipso, qui licet inuitus, & coactus & ignitæ columnæ inditio à Deo probatus ad Cathedrā Summæ Pontificiæ dignitatis ascendisset pristinæ tamen quietis, & quasi securitatis memor, ita commouetur, & timet, vt numquam flendi finem faceret. *Nolite, inquit, vocare, me Noemi, idest pulchram, sed uocate* Ep. 125. ad Leand. *me Marà, quia amaritudine plenus sum, neque enim bonè uir ego hodie sum ille, quē nosti. Multum fateor exterius proficiendo interius cecidi. Prospero flatu nauigagabam in Monasterio: tranquillam uitam ducebam, sed procellosis subito motibus tempestas exorta in sua perturbatione me rapuit, & prosperitatem itineris amisi, quia perdita quiete, mentis naufragium pertuli. Ecce nunc in undis uersor.* Hæc pericula, si ijs imminent, qui legitimè vocati sunt, quantum ijs timendum est, qui in animarum curam honoris, vel lucri cupiditate cæcati sese præcipites intrudunt.

Ex quo, & hoc malum sequitur, vt benè aduertit D. Chrysostomus. Homil. 34. in Mat. *Quod si illi, qui ad curam animarum necessitate compelluntur, nullum tamen poterunt habere refugium, nec vllam excusationem reperierint, dum res malè tractauerint, administrationem gesserint suam negligenter: Nam, & Aron necessitate compulsus est, & tamen in periculum venit: multò igitur seuerius illi puniendi erunt, qui studio, & ambitione hanc curam procurarunt, quam excusationem, pro se afferre, & prætendere poterunt? nonne vltrò se tam euidenti exposuerunt periculo?*

Verùm, & si hæc omnia damna, & pericula abessent, adhuc tamen Ep. 85. illud D. Leonis Papæ sapiens dictum, perterrefacit. *Principatus, quem seditio extorsit, aut ambitio occupauit etiam si actibus, & moribus suis non offendat ipsius tamen initij sui exemplo perniciosus est, & difficilè est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Et illa quoque Domini vox. Osee 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & ego ignoraui.* Idest vt interpretatur Gregorius. *Ex se, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis* 1. par. Past. cap. 1. *fulti virtutibus, nequaquam diuinitus vocati, sed sua cupidine accensi culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur, quos tamen æternus Iudex, & prouehit, & non cognoscit, quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat.* Quare illud idem istis contigit, quod Dauidi Saul imprecatus fuerat. *Dabo ei Michol filiam meam, vt sit ei in scandalum, & sit super eum manus Philistinorum.* 1. Reg. 18.

Atque

Atque hinc facilè apparent Ecclesiæ, & animarum detrimenta, nam qualis est ordo in appetitu, talis est etiam in opere, quare si vel honoris cupido, vel auaritiæ stimulus eius generis hominem traxit ad curam animarum quid faciet, vbi primum votis potitus fuerit? Est sententia D. Chrysostomi. *Qui ad principatum adipiscendum vehementi honoris, vel commodi affectu rapitur, eo adepto, in potentiorem vim flamma ascendet, cuius vi tandem captus vt sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato seruiat.* Quamobrem nullum facius suis adeò nocet auctoribus, & alijs quoque, sicut hæc cæca libido Ecclesiastici gubernaculi.

Lib. 3. de Sacerd.

Nec desunt, qui culpam in aliena exempla reijciant, dum aiunt, abijsse aurea illa tempora, in quibus cum solius virtutis, & meritorum habita ratione Ecclesiastica beneficia committerentur omnibus, exclusis obsequijs, & fauoribus, trahebantur, & compellebantur intrare, è contra verò, se in ea incidisse, quibus hæc viget assuetudo, vt quisque qua potest, via sibi aditum ad Ecclesiasticas curas aperiat; alioqui si spontanea Prælati voluntas, & ordinatio expectanda esset, semper illis esset in otio standum, & in tenebris delitescendum. Sed parum illis excusatio suffragatur, plerumque enim exempla huiusmodi errore nituntur, nam & si negari non potest, magnam vim esse ad errandum in quotidianis exemplis, tamen si hæc in aperto, & proximo labendi periculo statuant, qua quæso lege ad ea sectanda cogimur, quemadmodũ illi euenit, qui vltrò se non in curam animarum ingerit, sed in eos potius oculi conuertendi sunt, qui numquam in Ecclesia defuere, qui ab hoc affectu non se modo vacuos, integrosque seruauerunt, at compulsi & coacti venerunt etiam hac nostra tempestate, & vbi venerunt animabus, & Ecclesiæ vtilissimi fuerunt, sed potius talia virtutum ornamenta, sibi studeant comparare, vt à suo superiore digni iudicentur, quibus animarum præfectura digne committatur.

Verùm demus istos, numquã vocatum, aut promotum iri, quid inde? Anne inconueniens? imò si res ipsa æqua lance pensetur, discere quis potest non esse Dei voluntatem, si enim vellet, vocaret, non vocat autem, quia non vult, non vult verò, quia optimus pater, cui cura de omnibus est omnesq; vult saluos fieri, illorum saluti tale munus haud expediens ducit. cuius immensa erga ipsos clementia agnoscenda est, quod illos per iter magis planum absque tot periculis, & oneribus ad se trahat. Quod si modo sæculi præsentis amore capti non intelligunt, venient dies & cito venient, quando hoc ipsum etiam ipsis sensibus percipient, cum nudi, & soli ex hac vita migrabũt, cum transeuntibus cunctis rationem de tot animabus reddere cogentur Deo, qui minutissima quæq; disquiret, tunc pauperẽ, & priuatã vitã degisse, & in cauernis, & spelũcis delituisse potius maluissent. Quare magnum beneficiũ est in tali, & tanto periculo de suis tantum, & non de alienis examinari peccatis, atq; ita diuino beneplacito aquiscẽdũ est.

Si quis verò esset, qui zelo salutis animarum incensus congrue eruditus, & morum integritate præditus, se opis diuinæ suffragio vtilem Ecclesiæ Dei futurum speraret meo quidem consilio, non hanc propterea, vel illam animarum curam affectet, atqui magis tutum, & salutare erit; si se-

si seipsum suo Episcopo offerat, illiusque iudicio se committat, paratus iuxta illius voluntatem eam Ecclesiam administrare, quæ sibi ab ipso sponte assignabitur, nam qui solo diuinæ gloriæ, & salutis animarum studio ducitur, is non considerat, quis sit locus nobilior, & redditus pinguior, ast vbi maior est spiritualis necessitas, & vberior fructus colligi potest. Talis erat sensus S. Caroli, cum diceret. *Quam libenter bono Episcopo deditus, nulloque stipendio, certoue hospitio nixus, huc illuc animarum causa mitterer, nulla cuiusuis incommodi, vel laboris habita ratione*, propterea illorum Sacerdotum conditionem videbatur expetere, qui in agrestibus, asperisque locis paupertimè laboriosè in animarum cura vitam traducebant, quia ibi vera charitas exercetur, vbi nihil humani desiderij, commodiue planè commixtum est. *Car. el. Epi Nouar. in vita lib. 7. cap. 23.*

Præterquam quod qui à suo superiore vocatus regimen animarum suscipit duobus præcipuè potitur bonis. Alterum est propriæ conscientiæ quies & tranquillitas, quod in eo statu vocationis sit, quem sibi maximè diuina voluntate præscriptum credit. Alterum est, quòd, qui Deo duce, hanc tantis expositam procellis mercaturam aggreditur, cũ illo cuncta prospere, & feliciter peragi necesse est. *Quia*, inquit D. Chrisostomus, *nisi vehementer pigri, & negligentes fuerimus, sed quæcumq; ad nos pertinent simul attulerimus in his, quæ ignoramus manum suam porriget Deus*: ad herum namque non solum spectat iussa dare, sed etiam imperata debitis iuuare obsequijs. *Homil. 26. in epist. ad Rom.*

Existimo autem, nullum maius præsidium esse ad hunc errorem, qui tam latè serpit tollendum, quàm si, cui talis distributio beneficiorum incumbit, quæ suæ sint partes in hoc tam graui negotio perfectè calleat; si enim rectè sapit, si sibi commissas Ecclesias, & animas pariter verè diligit, haud difficulter intelliget, se in præficiendis Rectoribus animarum vigilantissimum, & fidelissimum esse oportere, alioquin, si nulla præmissa diligentia si fauoribus se potius, quàm meritis flecti patiatur, si minus dignis, aut etiam immeritis, omissis idoneis, curam animarum iniungat, hic planè diuinum numen offendit, grauissimè lædit Ecclesiam, iustitiæ leges violat, & denique se omnium delictorum reũ constituit, quæ ex mali Rectoris culpa, & negligentia oriuntur. *Etsi dicat* inquit D. Chrisostomus, *se eorum vitia, vel imperitiam ignorasse, imò ex hoc grauius crimen efficitur, quoniam absoluit, vel promouit eum, quem ignorabat, atque ideò quod putabatur excusatio, fiet accusatio*. Ritè autem officio suo fungetur, si nullius precibus obsequijsuè cedat, si præterea mores, & ingenia cognoscat, & quos vel ex longa consuetudine, vel ex proborum hominum testimonio dignos, & idoneos repererit, horum delectũ apud se habeat, & iuxta cuiusque vires, & merita sponte vocet, beneficia conferat, compellat etiam inuitos, vltro verò accurrentes, tamquam suspectos, & mercenarios ab ouili propulset. Hac in re, sicut in cæteris insignis fuit S. Caroli diligẽtia, & solicitudo, vt ex eiusdem vita colligitur. Beneficia omnia ita contulit, vt amicitię, gratiæ, vel propinquitatis causa numquam moueretur. Si quempiã alicuius cõmendatione, gratiauè vti, vel ambitiosè quærere animaduertisset, ea ipsa de causa indignum iudicabat. Ipse verò suos nouerat, omniumque vitam, studia per se, ac *Lib. 2. de Sacerd.* *Carol. epi. Noua. lib. 7. c. 35. in vita.*

D per

per ministros obseruabat: & cum locus daretur, ipse præter illorum spē, eos vocabat, sacerdotiaq; committebat. Ac illud in Carolo multis admiratione fuit, quod etiam de facie suos ferè omnes, vel infimos clericos agnoscere videbatur. Optima temporum conditio; ad honores, cæteraq; virtutis præmia, gratiæ, audatiæ, ambitioni aditus esse interclusos: probitati verò doctrinæq; sic apertos, vt vltrò etiam inuitaretur. Sic igitur faciendum, ita enim facilè inordinatus hic affectus à multorum cordibus euelletur, vt soli virtuti locus relinquatur.

De temeritate illorum, qui imperiti veniunt ad curam animarum. Cap. VII.



EX hac prætereà concupiscentia honoris, & lucri temporalis in animarum regimine id mali, & quidem grauissimi suboritur, vt nonnulli seipsos minimè metientes artem hãc omnium difficillimam, profiteri præsumant, quam ne de facie quidem norunt, cùm tamen ars alia nulla sit, ad quam dignè tractandam, & exercēdam tanta in homine mentis præparatio, & scientia, tantusq; virtutum cumulus requiratur. *Ab imperitis Pastoribus* ait D. Gregorius, *magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars artium est regimen animarum, & tamen sæpè qui nequaquam spiritualia præcepta cognouērunt, cordis se medicos profiteri non metuunt*, & Rabbanus de clericorum institutione turpissimum, esse asserit tunc discere, & studere velle, cum iam necesse est docere, & periculosum est magisterij pondus eum subire, qui non scientiæ præsidio fultus potens sit illud sufferre.

1. par. Past. cap. 1.

Sanè hoc primo loco repugnat humanæ prudentiæ, quæ cum sit, teste Aristotile, humanarum actionum lumen, & regula, nequit sine prudenti consilio, iudicioq; maturo consistere; hæc autē præcipit, ne quis aggrediatur opus, cuius exactam cognitionem antea nō habuerit, hac enim, si fortasse careat, artem tamen sibi penitus ignotam temerè consectetur, vix fieri poterit, vt meritam omnium derisionē effugiat: ideò naturale homini ingenium tributum est, & acumen ad prospiciendum, ne quid moliatur, aut agat, quod rationi prius non probetur, & virium suarum experientiam habeat, atque ad earum modulum, vt docuit Io. Cassianus, quam libuerit disciplinam arripiat, quia quamuis omnes vtiles sint, tamen aptæ cunctis cunctæ esse non possunt. Imprudens ergo sit ille necesse est, qui absque prudentiæ regula adeò præceps in pericula ruat. Facit ad hoc illud D. Chrisostomi. *Iam domum se aliquam ædificaturum nemo audet polliceri, qui idem architectus non sit, neque ægrotantia contingere corpora quisque aggreditur, qui medicinam non didicerit. At verò cui tam multarum animarum cura credenda sit, non prius seipsum examinabit? Quin potius, vel omnium imperitissimus munus ipsum suscipiet? & quonam ille pacto se se vna cum illis in præsentaneum non conijcit periculum?* Si ergo vbi modicis rebus periclitamur, tantam solertiam adhibemus, vt incommoda effugiamus, quæ imperitis artus imminent, cur vbi æternum manet supplicium,

Lib. 6. & cap. vlt.

Col. 24. c. 8

Lib. 4. de Sacerd.

plicium, temerè in tantum nos conijciemus periculum? Deplorat hanc ipsam Ecclesiæ calamitatem D. Gregorius Nazianzenus, dum ait. *Non virtute magis, quàm malitia, & fraude sacerdotij dignitas paratur, nec meliores, aut digniores thronis insident, sed potentiores. Cumq; nec medici, nec pictoris nomen quisquam obtineat, nisi prius morborum naturas expenderit, aut multos colores miscuerit, variasq; formas penicillo expresserit: Antistes contrà facilè inuenitur non elaboratus, sed recens quantum ad dignitatem simul satus, & pronectus, quemadmodum gigantes poetæ finxerunt. Vno die sanctos fingimus, eosq; & sapientes, & eruditos esse iubemus, qui tamen nihil didicerunt, & ad sacerdotium nihil contulerunt, præterquam velle.* Quibus verbis nostrorum temporum miseriã deflere licet, in quibus homunciones aliqui nullo scientiæ præsidio fulti, nulla virtutum exercitatione, sola honoris, & lucri cupiditate ducti prodeunt in medium, & palam, *id docent quod numquam didicerunt. Lætiores aliquando* (inquit D. Bernardus) *quod virgas euaserint quam quod meruerint principatum.* Rectè igitur concludit Cassianus, *valdè periculosum esse imò magnæ præsumptionis, & temeritatis de rebus, nec ritè discussis, nec certa ratione collectis ac de earum natura proponere, & definire.*

Or. in laudē Basilij.

Ep. 42.

Col. 7. c. 4.

Verùm vlterius inest peccatum, & non leue in hoc, cum imperitus Sacerdos, & imparatus pariter, huiusmodi tamen in se suscipit magisterium. Docent hoc disertè D. Thomas, S. Antoninus, & quamplurimi alij, communiter sentientes, teneri quemlibet ea scire, quæ ad suum statum, & officium spectant, ita vt si quis huiusce cognitionis expers sit, teneatur eo se munere, aut beneficio sponte abdicare. Cum enim ignorent muneris sui dignitatem maxima cum obligatione coniunctam, nec etiam finem percipiant ad quem tota ars pastoralis dirigitur, eo fit, vt diuersum, imò & præposterum scopum sibi ipsis fingant, sua nimirum priuata commoda, vel familiæ incrementum: Hoc autem prauo fine posito quid dignum, quid Ecclesiæ, & animabus vtile, expectari potest, nam cum ex amore studium, & desiderium nascatur, fit, vt cum mercenarij isti ingrediuntur in ouile, ad sua tantum commoda parati veniãt; de animarum autem salute nihil omnino laborent. Hincq; propterea euenit, vt gregem non curent, sed derelinquant, & dæmonũ faucibus commissas animas interire sinant; id quod & ipsi nefarij spiritus optimè norunt. Qui læti propterea Rectoribus huiusmodi gratias agere non desinunt. Refert enim Cantip. lib. 1. cap. 20. p. 8. Clericum quendam in Synodo Episcoporum prædicare compulsum, valdè angi solitum, quòd quidnam coram tot Ecclesiæ Prælatis diceret, non satis suppeteret. Cum veniens ad eum diabolus, dixit. *Quid angustiaris istis Clericis prædicare? Dicas eis istud & non aliud, Principes infernalium tenebrarum Principes Ecclesiarum salutant. Læti omnes nos gratias referimus eisdem, quia cum ipsis Prælatis nobis eorum subditi deuoluuntur, vel offeruntur, & per eorum negligentiam ad nos ferè pariter deuoluitur totus mundus. Inuitus quidem tibi dico, quod dico* (subdit diabolus) *sed altissimi iussione coactus.* Respondit Clericus: *Mihi quidem* (Cantipatrani verbis vtar) *si hac narrauero non credent. Tunc diabolus tangens maxillam eius: ecce ait, signum, nigredo insolita faciei. Hanc antequam prædices non contingas; quia frustra, post prædicationem vero aqua benedicta delebis. Processit Clericus prædicaturus in Synodo, & admirantibus*

1. 2. q 76. à 1. to. 1. c. 2. sess. 4. Nau. in Manua li. c. 25. nu. 135.

tibus cunctis in signo indito faciei, illa quæ sibi iussa sunt recitauit, & ad horrorem maximum cunctorum corda permouit. Quæ omnia anno Domini 1248. *fuerunt Parisijs coram omni populo, & clero solemniter recitata.*

Propterea Paulus Thimoteũ admonet citò nemini manus imponat, quod verè tunc accidit, vt inquit Leo Papa, *cum non solum ante ætatis maturitatem, & ante temporis examen, sed etiam ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem dignitatem confert non probatis.* Quod quidem Pauli monitum S. Carolus in initiandis accurate præstitit, neminem enim ad sacrum ordinem, vel ad sacra munera promouebat, de cuius moribus, & scientia diligens disquisitio non præcessisset, senserunt hoc idem Aegyptij, qui non aliter Sacerdotes suos ad sacerdotium admittebant, nisi prius per multos annos literarum studijs vacassent, & peritissimi euasissent quam ob causam adeò illustris, & celebris fuit Sacerdotum illorum scientia, vt multi ad ipsos confugerint, vt morum instituta, & disciplinam illorum perciperent, sic à Babylonicis, & Chaldæis, vt auctor est Diodorus Siculus, Sacerdotes ad cultũ, & ministeriũ Deorum non deputabantur, qui Philosophi non essent, & rerum diuinarum notitia insignes. Quod ipsum & Persis in more fuit. Sanè & sacrosancta Tridentina Synodus huic tanto malo mederi uisa est cap. 1. de reformat. sess. 25. vbi ait. *Optandum est, vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiũt, quæ suæ sint partes agnoscant, atq; in hoc præsertim in admittendis, scilicet ad sacros ordines, & curam animarum, ijs tantum de quorum integritate, & doctrina periculum iam factum fuerit, ex hac enim diligenti inquisitione pendet magna ex parte populorum salus.*

Quis sit finis curæ animarum. Cap. VIII.



VBI Præfecturæ huiusce pericula, & difficultates hactenus tetigimus, aliqua hoc loco de fine illius subdere operæpretium visum est. Et quamuis ex supradictis facilè appareat curatoris animarum scopus, quoniam tamen hoc plurimi interest, ne sit ille tamquam imprudens sagittarius, qui quia scopum oculis minimè perlustrat, operam ludit, ideò res clariùs indicanda est.

Finis igitur, qui cuique Pastori animarum propositus esse debet, in eo consistit (vt docuit D. Bernardus) vt in omnibus actis suis, vel dictis, nihil suum, sed tantum, aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut vtrumque simul quærat. *Fidelis Pontifex,* inquit, *non requirit populi datum, sed lucrum animarum; Acceptum talentum partitur nummularijs, à quibus, & vsuras recipit non sibi, sed Domino; non habet foueam, vt vulpes, non tamquam volucres nidum, non loculos, quomodo Iudas. Non valet Dei, & proximi quærere lucra, qui propria non contempserit.*

Ad Senon. Archiepis. ep. 42.

In primis itaque ea mente esse debet Sacerdos, vt quidquid agit, & molitur, id totum ad honorem Dei, gloriamq; referat, nam si in omnibus rebus Deus ipse finis esse debet, quanto magis in cura animarum, quæ Dei negotium est, & ad ipsius gloriam præsertim ordinatum. Neq; hoc animo sit tãtùm, cùm regimen animarũ suscipit necesse est, sed etiã

dum

dum illud idē administrat. Neq; hoc solo quodā generali proposito, ve rū etiā, quoad fieri potest, actiones singulas in hūc finē dirigat, vt optimè D. Petrus monuit. *Vnusquisq; , sicut accepit, gratiā in alterutrū illā administrātes, sicut boni dispēsatores multiformis gratiæ Dei: Siquis loquitur, quasi sermones Dei, si quis ministrat, tāquā ex virtute, quā administrat Deus, vt in oībus honorifi cetur Deus.* Quāta igitur erit Sacerdotis infidelitas, qui se Dei profitetur operariū, & copiosa mercede cōductus est, vt Dei sui honorē, & seruitiū quærat, si commodi sui magis, quam diuini honoris rationem habeat? Quis vel vno die eum famulum domi suæ aleret, qui cuicumque alteri studiosiùs, quàm Domino suo, à quo tamen victum, vestitum, & luculen tam mercedem habet, inseruiat? Fides in seruo primo loco requiritur, hæc autem in hoc posita est, vt domini sui semper obsequium non propriam voluntatem quæritet: Sacerdos qui secus facit, ministerium suū deprauat, nec verus Dei seruus, ac minister dicendus est, si D. Gregorio credamus. *Qui de bono opere* (inquit ille) *temporalem mercedem expetit, Deo in veritate non seruit, quem falso proposito in sua operatione diligit: qui autem in veritate Deo seruire cupiunt, totum cor in diuinis obsequijs ponere iubentur, vt sic, quæ Dei sunt, agant, vt quid quod contra Deum non sit non retineant.* Et verè quid turpius, quàm si animarum rector, qui dominum tam munificum, & liberalem habet, aliò flectat, quam ad ipsius seruitium, & famulatum. *Audite* (inquit Dominus per Hieremiam) *verbum Domini, domus Iacob, & omnes cognationes domus Israel; Hæc dicit Dominus, quid inuenerūt in me patres vestri iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? & non dixerunt, vbi est Dominus qui ascendere nos fecit, de terra Aegypti, qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, & inuiam, per terram siis, & imaginem mortis, per terram, in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo: & induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & bona illius, & ingressi contaminastis terram meam, & hæreditatem meam, posuistis in abominationem.* Quæ omnia optimè Sacerdotibus illis conueniunt, qui à Deo ex hominibus assumpti, vt illi soli inseruiant, ipsi tamen *diligunt vanitatem, & quærunt mendacium.*

1. Pet. c. 4.

In lib. 1. Reg. c. 2.

Hierem. 2.

Insuper hoc etiam maximæ amentiæ est, vt docet D. Gregorius. *Laboriosa agere, & auræ humanæ laudis inhiare, forti opere præceptis cælestibus inseruire, sed terrenæ retributionis præmium quærere, hoc est, rem magni momenti vili pretio venalem constituere.* Ita Curator animarum, die nocteq; laborat, æstuat, angitur, quia tamen haud quaquam actiones suas in proprium, & legitimum scopum nempè Dei gloriam collineat, sempiterna bona & immortale præmium in lucrum marcescibile commutat. *Quanta igitur* (concludit D. Hieronymus) *apud Deum merces, si in præsenti præmium non expectaretur.*

Lib. 8. mor. cap. 25.

Ep. 3.

Præter Dei gloriam, scopus Pastoris esse debet salus animarum, ad quam totum ipsius vitæ curriculum ordinandum est, nam etsi salutis animarum primus, & solus auctor est Deus, Augustino dicente. *Voluntatem hominis ad malum quidem priorem esse, vel bonum verò posteriorem, priorem autem voluntatem creatoris.* Quod & agnouit Apostolus. *Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat,*

Lib. 23. de ciuit. Dei. cap. 6.

1. Corin. 3.

gat,

gat, sed qui incrementum dat, Deus. Opera tamen pastoris necessaria est, & cunctæ eius actiones ad hanc salutẽ procurandã dirigendæ sunt, quia adhoc vocatus est quemadmodũ ipsius Christi testificatione constat. Io. 20. *Sicut misit me pater*, inquit Apostolis. *Ego mitto vos*: hoc est: *sicut ego à patre missus sum, vt peccatores saluos facerem, & quærerem, quod perierat, hoc idem & vos præstare debetis, hæc eadem salus vobis proposita sit*. Quod Paulus se op- 2. Cor. 12. timè præstitisse testatur cum dixit, *Non quæro, quæ vestra sunt, sed vos; non enim filij thesaurizant parentibus, sed parentes filijs*. Ex quo loco optimum argumentum desumit D. Thomas sicut tota parentum cura est in ditandis filijs, ita tota Pastoris opera esse debet in ditandis filijs cœlestibus diuitijs. Sed adhuc clarius ex Christi verbis hic finis liquet, cum Petro, & Andreæ, & in eorum persona, quibuscumque sortem huius ministerij Matth. 4. sortituris dixit. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*. Non honoris, non pecuniæ, non inanis gloriæ, sed animarum. Hæ itaq; sunt merces Pastoralis mercaturæ, hæc debet esse ipsius negotiatio, hæc lucra: *Da mihi animas*. (Rex Sodomorum Abrahæ Patriarchæ dixit, cum Gen. 14. interfectis Regibus spolia diuidenda erant) *cætera tolle tibi*, Sic & probi, & cordati Sacerdotis hoc votũ sit, vt nihil præter animarum salutẽ concupiscat, & earum intuitu, quidquid in mundo est despiciat.

In eos, qui curam animarum affectant, vt ditentur. Cap. VIIII.



CVM is igitur sit curæ animarum finis, facilè erit, quinam ij sint, qui ab hoc scopo latiùs declinant, agnoscere; Ij verò primo loco sunt, qui ad curam animarum veniunt, non vt animas, & quæ Christi sunt, sed vt sua tantum exquirant: quiquè non zelo salutis, sed auri libidine cœci trahuntur. *Quid hoc tantæ temeritatis, & insa-* Hom. ecce nos reliquimus. *niæ?* Inquit D. Bernardus, *sponsa, nec cubiculum ingredi, nisi Rege introducente præsumit, tu verò irreuerenter irruis, nec vocatus, nec introductus: trahe me post te, ait illa, nunc verò trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes quæstum æstimant pietatem, quorum certa est damnatio*. Nam quis negare possit, quin Pastor animarum à Christo Domino institutus sit non vtilitatis, & commodi sui temporalis gratia, sed ob spiritualem animarum salutem, ita vt totum quod in ipso est, vel ipse sanguis, pro illarum salutẽ, vel tuenda, vel post iacturam reparanda si ita necessitas tulerit effundi debeat? Et tamen sæpè fit, vt quis in Ecclesiam ingrediatur ad regendas animas, vt auaritiæ studeat, & lucra temporalia sectetur, satis hoc Io. 10. declaratum fuit illis Domini verbis, *cum bonus Pastor*, inquit, *animam suam dat pro ouibus suis, &* cum longè melior sit, anima, quà viuimus, quàm quæuis alia terrena substantia; si Pastor dare debet animam, multò magis terrena. Atque in hoc potissimum Pastor animarum à Pastore muti gregis distinguitur; in hoc enim oues sunt propter Pastorem, secus in pastore animarum. Hoc ipsum est de quo Bernardus Ep. 237. Eugenium Papam admonuit. *Si Christus te misit, existimabis, te non ministra-*

ri,

ri, sed ministrare venisse, & ministrare non solum substantiam, sed ipsam quoq; animam. Quod à Paulo optimo Pastore didicerat, qui libentissimè impendi, & superimpendi cupiebat, pro animabus, sibi commissis. 2. Cor. 12.

Deinde etiam certum est Ecclesiasticos redditus sacerdotibus assignatos esse, non vt ex illis ditentur, sed vt decenter viuant, & in altaris ministerio commodiùs perseuerent, *propterea dictum est Petro*, inquit, D. Bernardus, *pasce oues meas, sed non mulge, seu tonde, idque tertio repetitum est, quia non sunt pascendæ oues, vt vel tondeantur, vel mulgeantur, sed tondendæ, vel mulgendæ, vt pascantur, non pascunt probi Pastores, vt comedant, sed comedunt, vt pascant,* & in eodem sermone. *Conceditur, vt si altari deseruis, de altari viuas, non autem, vt de altari luxurieris, & de altari superbias, & quidquid præter necessarium victum, & vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Quod etiam Apostoli testimonio perspicuum fit. *Quis militat suis stipendijs vmquam?* Vbi necessarium tantum quærit Apostolus, non superfluum: neque enim dixit, quis militat, & non ditescit, neque dixit, quis plantat vineam, & non colligit aurum? sed de fructu eius nō edit, neque dixit, quis pascit gregem, & non vendit agnos? sed de lacte eius non manducat, *quia pauco lucro*, inquit hic D. Chrisostomus, *magister animarum contentus esse debet.* Quæ si vera sunt, necessariò sequitur, Sacerdotem illum, qui hoc animo animarum curam suscipit, vt sua tantum quærat, non pastorem vocandum, cuius est oues pascere, sed mercenarium vt ipse tantùm pascatur, quin & furem, vt rapiat; Sic enim eos appellat D. Hieronymus in illa Ezech. 22. *Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, vt auare sectentur lucra:* ac propterea dignum esse qui à Pastorali officio repellatur, sicut filij Eli, qui quòd sacerdotale officium obirent ad terrena potiùs, quàm ad cœlestia lucra captanda, à Deo puniti sunt, ne sacerdotio fungerentur coram ipso. *Quicumque enim immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, & omne, quod leuabat fuscinula tollebat Sacerdos sibi.* Fuscinulam tridentem habet is Sacerdos, qui non animarum, sed rerum terrenarum desiderio flagrat; Fuscinula namque tridenti significatur triplex cupiditas, auri scilicet, honoris, & voluptatis.

Hom. ecce nos reliquimus.

1. Cor. 9.

1. Reg. 2.

Ex quibus intellige eorum amentiam, qui tam modico fructu, in tantum sese salutis discrimen conijciunt, maximè autem cùm nec tales prouentus ex animi sententia possint profundere, sed fideliter administrare teneantur, de illis exactissimam rationem reddituri. Vt rectè illud dictum sit à D. Bernardo. *Quid tibi insipiens delitiæ sapiunt? quid diuitiæ illę cæcos delectant oculos, quibus mercaris tam grauè iudicium, tam duræ temetipsum obligas rationi.* Est ergo hoc primum malum, ex Bernardi sententia, ex hac habendi cupiditate, sed suppetunt alia. Quid enim turpius, & detestabilius, quàm vt Sacerdos, cuius Dominus pars hæreditatis est, tot tantisq; honorificis muneribus insignitus, qui omnia arbitrari debet, vt stercora vt Christum lucrifaciat, terrenis tantum inhiet curis, & lucris temporalibus? *Si Ethnicus esses*, inquit Chrisostomus de omnibus Christifidelibus communiter loquens, *& nihil post hanc vitam sperares, difficilè forsan esset rerum terrenarum, affectionem deponere. Nunc autem egkum*

Hom. ecce nos reliquimus.

Hom. 7. in Acta Ap.

lum expectas, & ea, quæ in cœlis sunt, hoc tibi difficilè videtur iniuriam tibi face-
Lib. 3. de *rem si proposito auro, & preciosis lapidibus, plumbū tibi appetendū dicerē. Si totam,*
ira ca. 33. (familiare Senecæ dictum erat) *mihi ex omnibus metallis pecuniam proferas, & in medium proijcias, quidquid thesauri tegunt, omnem istam congeriem dignam non putem, quæ frontem boni viri non contrahat.* Igitur si ex sententia Senecæ quidquid in mundo est pecuniæ, ne tantillum quidem commouere debet virum probum, quid decet Christianum, quid Sacerdotem Pastorē
Thren. 4. animarum. De hoc ipso Hieremias querebatur illis verbis. *Qui vescebantur voluptuosè interierunt in vijs, & qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Porrò illustre de terrenarum rerum contemptu exemplū nobis
Carol. Epi. S. Carolus reliquit, cui cum aureorum quadraginta millia ex ijs, quæ ex
Noua lib. 7 agro Neapolitano vendito allata essent, ita illa exhorrescere visus est,
c. 7. in vita vt si anguis esset oblatus, cubiculoque egressus, ea statim auferri, & in pauperes distribui iussit.

Huic habendi cupiditati accedit plerumq; stupor quidam mentis, & summa quædam in suo munere ritè exercendo negligentia, rerum temporalium studio animum in diuersas partes trahente, ex qua occupatione subrepit paulatim Dei obliuio; ex ea autem cæcitas & contemptus oritur, cum non possimus duas artes inter se longè dissidentes simul exercere, neque duobus Dominis seruire. Inter cæteros planetas sola Luna Ecclypsim, & deliquium patitur, nec ob aliam rationem, nisi quod omnium sit infirma, & terræ quā proxima; Sacerdotes astra sunt, vt alios irradient, sed si nimis ad terram accedant, & studeant auaritiæ, splendorem ammittunt, & mentis deliquium in Dei seruitio procurando patiuntur. Et quod Dauidi cum Gigante decertaturo contigit, vt quo magis nudum corpus armis Saul onerabat, eo magis ad motum, & incessum se tardum sentiret, idem etiam penitus euenit
Homil. 46. Sacerdoti. Hancq; fuisse causam rectè iudicauit D. Chrysostomus, cur
in Io. Apostoli tam breui annorum curriculo totum mundum vnius Christi ditioni, & imperio subegerint, quia terrenum nihil vmquam spectarūt, sed mundum ipsum cum suis præmijs penitus despexerunt. *Quid est,* inquit, *quod Apostolos magnos ostendit, Pecuniarum contemptus, gloria despectus, ab ominibus huiusmodi negotijs ereptio, quæ si non habuissent, etiam si mortuos suscitassent, non solum nullos iuuissent, sed etiam seductores existimati fuissent.* Quare Chrysostomus maiorem adflectendos animos mundi contemptui, quàm miraculis tribuit. Quantum ergo auctoritatis, & fidei, ad proximi ædificationem diuitiarum, despectus, addit; tantumdem adimit illarum cupiditas; Quamquam, & id addi posset affectum, scilicet proprij commodi libertatem in dicendo, & arguendo auferre, nam auarum animo pusillum esse oportet, nec potentibus resistere, audet, ne cui displiceat, ne diuitum, & aliorum amicitiam, ac proinde emo-
1. Reg. 15. lumenta, & lucra deperdat. Qua in re auarus Sacerdos Saulem imitatur, cui quamuis à Samuele præceptum esset, vt percuteret Amalech, & demoliretur vniuersa illius, nec parceret, ei, & non concupisceret ex rebus illius aliquid, tamē captus auaritia, pepercit optimis gregibus ouiū, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis, quæ pulchra erant; quidquid verò vile fuit, hoc demolitus est. Sic Sacerdos non omnes

malè

Malè agentes arguit, non omnia scandala tollit, non omnibus proterruis fortiter se opponit, non eundem se præbet pauperibus, & diuitibus, sed est personarum acceptor, quia lucra, non animas quærit. Imò quod detestabilius est proprijs tantum incommodis mederi studet; in hæc stomacabundus inuehitur; Christi autem offensas, & iniurias nō curat; quod quidem peccatum vti proprium auari Sacerdotis in ministria antiquæ legis animaduertit D.Chrysostomus his verbis: *Sacerdotes auaritia pleni, si quis de populo decimas nam obtulisset, ita eum corripiebant, quasi magnum crimen fecisset; Si quis autem de populo in Deum peccabat, aut lædebat aliquem, nemo curabat corripere eum, quia in Deum peccabat, quasi nullam culpam fecisset.* O miserandam sponsam talibus creditam paranymphis. O miserum gregem talibus commissum Pastoribus. *Si instar mei, qui ouis sum*, argumentatur D.Bernardus, *Pastor meus, & ipse curuus graditur, vultum gerens deorsum, & terram respiciens, & soli ventri, mente ieiunus pabula quærens, in quo discernimur? Veh si venerit lupus, quia non erit, qui prouideat, qui occurrat, qui eripiat; Dicet nè, Pastorem; pecudum more, sensibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis, & non potius erectum stare, vt hominem cælum suspicere, quæ sursum sunt sapere, & quærere, non quæ super terram?* Homil. 44. in Mat. Ep. 42. ad Episc. Seno.

Tandem quid dicemus de damno etiā corporali auari Sacerdotis? instar omnium, quæ adduci possent, sint varij euentus, ijque deplorandi, qui Sacerdotibus huiusmodi etiam hac nostra tempestate acciderunt, qui dum sibi opes, & diuitias cumularunt, mortem ipsam sibi parauerunt, non quidem tantum ab extraneis, sed ab ipsis consanguineis, eò solum nomine, vt cumulata pecunia celerius potirentur: quare sacerdotes istos vermiculis sericarijs ritè comparauerim, qui ramusculos ascendentes, dum miro labore, & industria sericum conficiunt, casulam pariter, in qua morituri sunt nescij construunt. Vnde Salomon. *Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* Sap. 5.

Quod profectò malum, & habendi fames non in diuite tantum Sacerdote locum habet, sed in misello quoque. *Qui volunt diuites fieri*, inquit Apostolus, *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & in perditionem.* Quæ quidem damna, vt videre est, non opum abundantiæ, sed inordinato affectui adscribit, qui tam in minimis rebus, quàm in magnis facilè alitur. Vnde & Petrus Damianus humanam naturam ita circa minima occupari, sicut erga multa asserit: Et Iudam non multum auri pondus, sed pauci admodum nummi cum magna cupiditate habendi in saluatoris proditionem præcipitauit. Satis itaque apparet, quàm execrabilis sit hæc auaritiæ pestis in Rectore animarum, vt quę & ipsum, & alios ita inficiat, vt verè de eo idem sequatur, quod de Moyse legimus, qui quousque virgam à Domino sibi traditam præ manibus habebat mira quędam operabatur, quibus populum Dei tueretur; sed vbi eam in terram proiecisset, vertebatur illa statim in colubrum; ita prorsus, si Sacerdos auctoritatis virgam sibi à Deo concessam manibus tantum teneat à terra eleuatam, nihil nisi Dei gloriam, & salutem animarum intendens, animas ex Aegyptiaca seruitute facilè redimet, & satanæ regnum euertet, si verò virgam, in terram declinet terrena tantum spectans, fiet vir- 1. ad Tim. 6. In Apolog. cap. 7.

ga coluber, sibi scilicet pernicies, & alijs scandalum.

Ep. 28. Quare firmiter animarum Curator ea exequi statuat, quæ D. Gregorius ad Marianum Episcopum scripserat. *Instanter*, inquit, *te admoneo, vt quod sit rectum bene consideres, vt non plus pecuniæ, quam animabus studeas: illud à latere respiciendum est, ad hoc autem tota mentis intentione laborandum, ac vehementius enitendum: huic rei operam, & solicitudinem impende; quia Redemptor*

Cant. 1. *noster à Sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas*; & dicat, quod in Canticis legitur *Posuerunt me custodem in vineis, & vineam meam non custodiui*. Non ego animarum curam mihimetipsi arrogaui, non ego à me ipso assumpsi honorem, sed posuerunt me custodem, vocatus veni, nec tamen vineam meam custodiui hoc est meis vtilitatibus non inseruiui, vt interpretatur Bernardus hic cum ait. *Ille idoneus, & planè dignus est, qui ponatur custos in vineis, quem propriè cura vineæ à commissarum animarum diligentia, & solicitudine non impedit, & retardat, dum non quærit quæ sua sunt, neque quod sibi vtile est, sed quod multis*. Tales maximè exoptabat Ecclesiæ

Ep. 237. ad Eug. ministros, & custodes animarum illis verbis idem Bernardus. *Quis mihi det antequam moriar videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam, non argenti, & auri, sed in capturam animarum.*

Act. 8. *Quam cupio illius te hæreditare vocem cuius adeptus es sedem. Pecunia tua tecum sit in perditionem. O vox tonitrui: O vox magnificentiæ, & virtutis ad cuius terrorem confundantur, & conuertantur retrorsum, omnes, qui oderunt Sion.*

In eos qui curam animarum accipiunt, vt ditent consanguineos. Cap. X.

Eccl. 4. *Onsiderans reperi, et aliam vanitatem sub sole*, inquit Salomon, *Vnus est, & non habet secundum, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat, dicens cui laboro, & fraudo animam meam bonis*. Perstringit hic sapiens Sacerdotes illos, qui tam in ordinato se cognatorum affectu excæcari sinunt, vt Christi patrimonio coniunctorum statum amplificent, & libidines expleant, quod adeo locum obtinet, vt nullus sit, qui in hoc errare se intelligat, tum propter multorum exempla, tum propter insitam suos augendi, & locupletandi propensionem; Quæ tamen omnino vincenda est, vbi Deum offendendi, & animæ perdendæ periculum subest. Non tamen idcircò affines, & propinquos à Sacerdotibus deserendos, penitus, & negligendos dixerim, sed non in hunc finem animarum curam suscipiẽdam esse, nihilque Deo anteponendum, nihil in animæ suæ, Ecclesiæ & pauperum perniciem faciendum. Quid autem sit illud, quod de Ecclesiasticis redditibus in suos consanguineos erogare possit, paucis attingamus.

Fuit hoc à sacrosancta Tridentina Synodo apertè definitum, posse aliquid de prouentibus Ecclesiasticis consanguineis dari modo pau-

Sess. 25. c. 1. de reform. peres, & egeni sint. *Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresuè suos augere studeant: cùm & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes*

sint,

sint, iji vt pauperibus, distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa, imò, quam maximè potest, eos sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosq; carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quod antea à Sanctis Patribus communiter traditum fuerat, quos prudens prætereo, vnius Ambrosij auctoritate contentus, qui idipsum argumenti tractans, ita concludit. *Est etiam illa quoque probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas; melius est enim vt ipse subuenias tuis, non tamen, vt illi ditiores fieri velint; neque enim propterea te Deo dicasti, vt tuos diuites facias, sed vt vitam tibi perpetuò fructu boni operis acquiras, & pretio miserationis peccata redimas tua. Putant se parum poscere, pretium tuum quærunt, fructum vitæ tuæ adimere contendunt; Et accusant, quòd eos diuites non feceris, cùm te illi velint æternæ vitæ fraudare mercede.* Hæc Ambrosius, quæ quidem licentia ne offendiculũ fiat infirmis attentius cõsideranda est; etenim facultatem egestati cõsanguineorum de fructibus Ecclesiasticis subueniendi, non autem illorum cupiditates explendi, neque illorum conditionem augendi concedit; cùm enim pauperes sint, & Ecclesiastica bona sint Christi patrimonium, & bona pauperum, cur illis à suo Sacerdote neganda erunt; & ideò addit *melius est enim, vt ipse subuenias tuis*: vult tamen Ambrosius, vt in hac ipsa re Sacerdos ducatur sola charitate, non autem nudo carnis affectu, vt sit vera eleemosina, nec careat æterna mercede: Deinde adiungit, *quod vtinam propinqui Sacerdotum, qui de bonis Ecclesiæ impinguari, ditariq; contendunt, considerarent; scilicet; fraudare se Sacerdotem suum æterna mercede, dum ea sibi bona dari procurant, quæ si Sacerdos in pios vsus, vti debet, distribueret peccata redimeret sua, & mercedem sibi cumularet in cœlis.* Hos igitur parentes, & agnatos, hostes potius Sacerdotis libenter nominarim. Sic D. Bernardus his ipsis verbis. *Non sufficit vobis, quod me in hanc seculi miseriam miserum induxistis, quod in peccato vestro, & peccatores peccatorem genuistis, quod de peccato natum de peccato nutristis, nisi etiam in videndo mihi misericordiam, quam consequutus sum ab eo, qui non vult mortem peccatoris, filium insuper gehennæ faciatis? O durum patrem, ò sæuam matrem, ò parentes crudeles, & impios, qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis.* Neq; obijcias loqui hic Bernardũ de parentibus, qui filium à religione auocare nitebatur, nam maius damnum euidentiusq; periculum æternæ damnationis, hic vrget; in seculo enim, etiam extra religionis claustra, quis suam salutẽ tueri potest? at si parentibus de redditibus Ecclesiæ à Sacerdote concedatur, quod tuta conscientia dari non potest, nonnè hoc est, illum in statu æternæ damnationis constituere. sensit hoc optimè Laurentius Iustinianus primus Venetorum Patriarcha, quem cum aliquando ex consanguineis suis quidam non admodum pauper enixè rogaret, vt se iuuaret pro dote filiæ, respondit Laurentius. *Considera quæso frater, si parum dedero, non est, quo opus habes; si multum, defraudabo multos, vt vni satisfaciam; & propterea quidquid illud est, certè ad Ecclesiæ ornatum, & ad cibum pauperum non verò ad intortos crines ornandos, aut margaritas, ab Ecclesia traditum est. Igitur ignosce, si dare non possum.* Quamobrem magna cautione opus est, ne cum graui suo damno, cæteris benefaciat, & ne potius praua expleatur cupiditas, quàm propinquorum subleuetur necessitas.

l. 1. Off. c. 30.

Epist. 111.

Sur. in vita.

Præterea etiamsi consanguinei non egentes sint; quod sua parsimonia suo ipsius victui detrahit, id totum consanguineis erogare potest; si enim Monacho iter agenti conceditur, vt possit de eo eleemosinam dare, quod de suo victu sponte sibi adimit, cur hoc ipsum pastoribus ecclesiasticis concedi non debeat? Idem prorsus dicendum de ijs bonis, qui non ex Ecclesia ad Pastorem, sed ex patrimonio, aut ex hæreditate, seu etiam propria industria peruenerunt. Cæterum de Ecclesiæ redditibus propinquos ditare omnino vetitum Sacerdoti est, quia inquit D. Hieronymus. *Si amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est; accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, vel cautum esse, aut timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere omnium prędonum crudelitatem superat.* Quæ omnia ea potissimum ratione nituntur, quia Ecclesiasticum dispensatorem siue is dominium habeat fructuum Ecclesiasticorum, siue non habeat, & sit tantum administrator, certè non illis abuti, ad libitum posse, sed ad eum finem tantum insumere teneri, ad quem Ecclesiæ redditus instituti sunt, nemo est qui dubitet: nam si sit tantum administrator, in eo primo loco fidelitas requiritur, vt scilicet fideliter rem tanquam alienā dispenset, atque administret non autem pro libito suo profundat; si autem dominiū habeat etiam hinc planè sequitur, vt ea, quæ vitæ, & statui superflua sunt, in pios pauperum, & Ecclesiarum vsus erogare teneatur, quia in hunc finem Christi patrimonium ordinatum est, ex quo maximā timendi causam ecclesiasticis omnibus, qui hac in re se minimè fideles præstant, indixit D. Bernardus. *Timeant*, inquit, *Clerici, timeant ministri Ecclesię, qui in terris sanctorum quas possident, tam iniqua gerunt, vt stipendijs, quę sufficere debeant, minimè contenti sint, superflua quibus egeni sustentandi forent impiè, sacrilegèque sibi retineant, atque in vsus suę superbię, atque luxurię victum pauperum consumere non vereantur, duplici profectò iniquitate peccantes, quòd & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus, ac turpitudinibus abutuntur.* Quod onus ecclesiasticis bonis inseparabiliter annexum, dum aliqui serio cogitarunt, causa fuit vt ecclesiastica beneficia recusarent, ne se tanto vinculo obstringerent, neuè fierent pauperum procuratores, cum tam ingenti animæ suæ detrimento, vel saltem periculo. Sed de his hactenus. Illud potius ostendendum, quam parum in hoc negotio valere debeat, illud ius, quod à consanguineis interdum à Sacerdote prætenditur ob vinculum originis, vel consanguinitatis, etenim qualecunque illud sit, hoc certum est, nihil nos debere, vel parentibus, vel consanguineis, vel quibuscunque quod Dei voluntati aduersetur, & animæ propriæ profectum impediat, at expressè contra Dei præceptum est, quod in Ecclesię ornatum, & in cibum pauperum insumendum est, illud in emendis possessionibus suis consanguineis iisdemque locupletandis expendi? *Igitur honorandus est pater*, inquit D. Augustinus, *sed obediendum est Deo; amandus est generator, sed preponendus est creator, hoc audiuimus in Cantico canticorū, dicente Ecclesia. Ordinauit in me charitatem, hoc est facite gradus, & cuique quod debetur, restituite, nolite anteriora posterioribus subdere, amate parentes, sed preponite Deum parentibus.* Præterea mutatur status cum ecclesiasticæ militiæ quis nomen dat, & eo magis si curam animarum suscipit, quia

Hier. Plat. de eff. Car. c. 24.

Ep. 2.

Serm. 23. in Cant.

Serm. 7. de verbis Domini.

sacrum

sacrum quoddam connubium cum sua Ecclesia contrahit, propter quã relinquendus est pater,& mater, & adhærendum vxori suæ. Quamobrẽ facilè crediderim D. Carolum,nõ se Borromæum, sed Sanctæ Praxedis Cardinalem nominari voluisse,consulto Summo Pontifice: huiusq; illa Dauidis tanquam causam adiunxisse. *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filys matris meę*: illud enim D. Laurentij Iustiniani mente retinebat. *Quando in mundo sumus debitores nos constat esse parentum; postquã verò ad Dei seruitium vocati sumus, ab eorum necessitatibus cognoscamus, nos esse solutos.* *In ligno vitæ tract. de obed. c. 3.*

Sed quoniam hic locus adeò lubricus est, vt multi etiam insignis integritatis Sacerdotes labantur, propterea Sacerdotis pectus contra tam acrem, & vehementem carnis, & sanguinis pugnam quibusdam monitis roboremus: hoc enim omnino sibi constituendum est, vt nisi nimium hunc affectum in propinquos temperet,omnes eius actiones fore carnales, contra verò si temperauerit facillimum ei futurum munus suum,ac dignitatem tueri.

Primò itaq; Sacerdos, quantũ potest,consanguineorũ cohabitationẽ fugiat necesse est,oculi enim sicut dolorem,ità pariter amorem augent. Ideò Deus Abraham patrem multarum gentium facturus primùm egredi,iussit,de terra sua,de cognatione sua, & de domo patris sui. In quo Laurentius Iustinianus probatissimum huius circumspectionis exemplum præbuit, qui postquam Episcopus creatus fuit, perpetuò paterna domo,abstinuit,semelquè illam,vt matris morti interesset,& vt Marcũ fratrem extremum spiritum agentem inuiseret,intrauit; sic enim Sacerdos facilius multis curis, & vinculis se expediet. Affirmabat de se ipso D.Carolus,se numquam cognatorum suorum domum adire(adibat autem per raro)quin aliquo modo diuinarum rerum studia, ac desideria retardari animo suo sentiret. *Gen. 12.* *Sur. in vita c. 3. 8.*

Secundum est,ne consanguineorum negotijs se implicet, quia Deo militans non implicat se negotijs secularibus, ideò enim à fidelium charitate de necessarijs ad victum illi prouisum est,ne solicitudo seculi huius illum ab animarum seruitio, & ministerio auocaret, nihilque adeò indignum est, quàm si Sacerdos magis negotiationibus agnatorum deditus sit,quam diuino seruitio. Necesse etiam est ijs agitari fluctibus, eadem naui vehi,& ijsdem se laqueis innecti, quibus seculares ipsi, quæ omnia spirituali Sacerdotis saluti valdè officiunt.

Tertium est, vt attentè consideret Sacerdos nimium affectum ergo consanguineorum commoda quãdoq; eorundem ruinam esse,tum quia dum illos ex Christi patrimonio nutrit, dum illorum opes auget, otio sese tradunt,neque volunt officium aliquod,aut exercitium,quò decenter se ipsos sustentet, addiscere, quia de bonis Ecclesiæ impinguantur. Interim verò moritur Sacerdos,cedere successori coguntur Ecclesię redditibus,& domo,& simul,ac semel Sacerdote priuantur,& victu;& ignaui cùm sint, vel coguntur mendicare, vel ne de sui status qualitate, in qua à suo Sacerdote positi sunt, quidquã minuant, quandoq; etiã victũ iniuriosè,& indecorè perpetuò facere. Tum vero etiam, quia Ecclesiæ opes in propinquorum manibus, diu durare nequeunt, sed tanquam

ignis,

ignis, etiam bene partum penitus adducunt; Fit enim hic, vt aptissimè Gerson de vita contemplatiua scripsit; sicut de delinquente, qui quãdiu est in loco sacro, à ministris iustitiæ non apprehenditur, at si ex eo egrediatur, à potestate sæculari capitur, ita bona Ecclesiæ, quæ sunt bona peccatorum intra Ecclesiam, & sacris, & pijs vsibus applicata tuta manent; At vbi in consanguineos collata profanis vsibus destinantur, tanquam è sacro asylo extracta statim ab inuasoribus diripiuntur.

Quartum maximè salutare erit, si qualis sit consanguineorum amor erga seipsum examinet; nam omnis famulatus illorum, & quodcumque obsequium ad propria tantùm commoda dirigitur; cuius rei confirmationem non est, cur aliundè petamus, quàm ab eo, quod omnibus ferè horis in omnium prospectu est. Constituamus Sacerdotem in extremo vitæ discrimine positum, tunc qualis sit in eum amor propinquorum, facilè apparebit, non enim cæteris lugentibus, & dolentibus dolent, sed scientes, quia ad vltimum ventum est suis tantum commodis intenti Sacerdotem spiritualibus subsidijs fraudant, victui necessaria etiam aliquando subtrahunt, quin etiam, vt de multis accepimus stratum ipsum à semiuiuo corpore per summam crudelitatem subtraxere. Huic si ad vitam iterum redeundi daretur facultas, profectò longè diuersum in propinquos affectum indueret, factis comprobans, illud Prophetæ. *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & qui me iuxta erant, de longè steterunt.* Et illud quoque. *Inimici hominis domestici illius.*

Psal. 37.
Mich. 7.

Postremò mortis quoque casus magnoperè confert ad hunc inordinatum in agnatos affectum deponendum, qui, vt solent omnibus seculi amatoribus esse formidabiles, ita Sacerdotes istos grauiter cruciant, qui sicut in vita suis agnatis, & eorum commodis vsquequaq; affixi fuere, ita etiam stultum hunc affectum in morte retinent, & moribundi magis de carne, & sanguine, quàm de sua salute cogitant. Quocirca meritò hac animaduersione à Deo percutitur Sacerdos, vt qui viuẽs obli tus est Dei, & Ecclesiæ, sui quoque moriens obliuiscatur. Quæ cùm ita se habeant, nulla maior potest esse stultitia, quàm terrena, & mortalia agnatis cumulare sibi verò æternum interitum comparare.

In eos, qui animarum præfecturæ inhiant, vt à laboribus immunes fiant. Cap. XI.



ALII sunt etiam qui Pastoralis laboris ignari munus hoc, ex sui natura per arduum, & laboriosum rerum specie decepti tamquam otij, quietisque sedem affectant; qui quanto in errore versentur satis indicat Augustinus vbi ait Pastorali munere nihil esse iucundius, & optabilius, si perfunctoriè tantum res agatur, nihil verò laboriosius, si sedulò, & fideliter exerceatur. Retexit Hugo doctissimus Cardinalis hominum istorum ingenium his verbis. *Facto multi dicunt hodie illud. Dimitte me, obsecro, ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam bucellam panis; officium sacerdotale duas habet partes, vna est cura animarum perpetuo*

Ep. 147. ad Valer.
In 1. ep. D. Iacobi.
1. Reg. 2.

petuo cum labore coniuncta, alia est temporalium rerum sustentatio; Prima est principalis; Secunda accessoria, sed de accessorio fit hodie principale: quo etiam pertinent illa D.Bern. *Habent singula operum genera laboris aliquid, aliquid voluptatis; sed aduertere est prudentiam aliquorum, & mirari, quemadmodum nouo inter hæc artificio discernentes, & ad inuicem sequestrantes ea, totum quod delectat eligunt, & amplectuntur, quod verò molestum est, & laboriosum fugiunt, & declinant.* Sic isti in vineis Domini se ingerere non verentur, non quidem ad operandum, sed ad vindemiandum, non ad laborandum, sed ad otiandum. *Quid istud temeritatis est, fructus vineæ velle percipere, & tamen vineæ cultura intermissa debitam operam præstare nolle? Sumptus Ecclesiasticos gratis te habere putas.* Ait D.Bernardus eodem loco; *cantando, vt aiunt tibi prouenire videntur; sed bonum erit magis fodere, aut etiam mendicare.* Sed enucleatius, hic error etiam cõuinci potest ex varijs nominibus, quibus animarum cura, quæ perpetuam solicitudinem, & anxietatem coniunctam habet, aptissimè nuncupari solet, quæ cum synonima non sint, multiplicem illius solicitudinem, & laboris varietatem, non obscure significant, si quidem præconis nomen aliquando animarum curatori tribuitur. *Clama ne cesses, & tamquam tuba exalta vocem tuam*; nec enim qualicumque voce opus est Pastori, sed ea, quæ magnam pectoris, & laterum conatum habeat, & quæ nullo tempore intermittatur, *tamquam tuba*, inquit Propheta, quia sicut tuba in igne prius cõflatur, deinde verò varijs ictibus mallei ducitur, sic ecclesiastici curatoris anima in fornace prius amoris diuini perficitur, tum deinde corpus ipsum varijs laborum, pœnitentiæq; ictibus torquetur, ne dum in ministrando diuino verbo exercetur, perdat operis meritum Pauli exemplo, qui dicebat. *Castigo corpus meũ & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Dicitur etiam speculator, vt est apud Ezechielem; *speculatorẽ dedi te domui Israel.* Cuius quantus sit labor, optimè declarat D. Bernardus. *Quam boni vigiles, qui dormientibus nobis, ipsi peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris. Quam boni custodes, qui vigilantes animo, atque in oratione pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, & eludunt tendicula, reticula dissipant, machinamenta frustrantur. Hi sunt fratrum amatores, & populi Christiani custodes, qui multum orant pro populo, & vniuersa sancta Ciuitate, hi sunt, qui multum solliciti pro sibi commissis dominicis ouibus, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos.* Et multis interiectis addit, tripartitam esse debere, spiritualis speculatoris, custodiam; nempè à vi tyrannorum, à fraude Hæreticorum, & à tentationibus Dæmonum. Ex quibus satis apertè conijcitur, qualis sit Rectoris animarum labor, qualis exigatur custodia, quales excubiæ; numquam enim deponenda sunt arma, numquam dandus somnus oculis, ob continuos timores, & eò magis, quia speculatori huiusmodi, & sibi & alijs inuigilandum est, id quod ab Apostolorum Principe præceptum fuit. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos regere Ecclesiam Dei.*

Serm. Ecce nos reliquimus.

Is. 58.

1.Corin.9.

Ezech.3.

Bern. serm. 76. in Cãt.

Act.20.

Clarissimè autem, & apertissimè Saluator sub Pastoris nomine hoc ipsum insinuat; quidquid enim est in hoc munere, id totum summi laboris, & vigilantiæ esse optimè cõsiderauit D. Hieronymus, sicut Iacob

Zach.11.

de se

de se ipso apertè testatus est. *Viginti annis fui tecum*, inquit ad Laban; *oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam, quidquid furto peribat, à me exigebas, die nocteque æstu vrgebar, ac gelu fugiebatq; somnus ab oculis meis*. Ecce quantus labor, & solicitudo, in custodia pecuarij gregis, cuius iactura paruo auro reparari potest; quid erit in custodia dominici gregis? Ex quo infert D. Chrysostomus. Non Pastoris esse boni quiescere, sed circumquaque percurrere, in numerisq; mortibus se ipsum pro ouibus exponere. *An ignoras*, inquit, *gregis huius dignitatem, an illius gratia, Dominus tuus innumera non fecit? An non postremò sanguinem suum fudit, tu verò requiē quaris?* Verè ars Pastoralis est officina laboris, in qua continuò laborandum, modò tribuli spinæq; euellendæ, modò surculi colligendi, modo lasciuientes palmites amputandi, & vt summatim dicam, *finiunt pariter renouantque labores*. Præstitit hoc strenuè S. Carolus vigilantissimus, & fidelissimus Pastor, cuius vita perpetui laboris, & solicitudinis, curriculum fuit ob assiduas, & nouas laboris causas, quas quotidie pro gregis sui salute meditabatur. Quin imò, cùm Episcopus, qui ad eum scribens significasset, sibi parum esse negotij in sua Ecclesia, vocē eam, vt Episcopo prorsus indignam, & turpem grauibus ad eum literis datis acriter, lateq; reprehendit, non enim animo suo capere poterat, qua ratione Pastori in cura animarum esset otiandi locus. Dicebatque duo notatu quidem dignissima. Tantum esse Episcopo negotij, quantum ipse velit, hoc est, pro eius studio, vel negligentia; & Episcopum decere pro Ecclesia sua laborantem, mortem optare; non posse satisfacere suo muneri, si valetudini parcat, & earum rerum obseruationibus teneatur, quæ nocere corpori, prodesseuè possint. Hic etiam erat animi sensus S. Thomæ Episcopi Cantuariensis, vt est apud Surium, qui cū se iniustis legibus Regis opponeret, moneretur q; à Gilberto Londmēsi Episcopo, vt mitius cum Rege ageret, respondit, *Nauis clauum teneo, & ad somnum me vocas?* Quàm præclarè cum Ecclesia ageretur, si ministri omnes caperent hunc sermonem. *Sed ecce*, inquit, *magnus Gregorius mundus sacerdotibus plenus est; Sed tamen in messe Dei rarus valdè inuenitur operator quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed opus officij non implemus*. Verū ex ipso Saluatoris testimonio discimus, quod nam sit verum, & peculiare pastoris munus, cùm deperditam ouem humeris lætabundum gestare per exemplum tradit. Igitur Pastoris officium est onus, & pondus, & portandæ sunt oues à Pastore, non verò Pastor humeris ouium sustinendus est, vt de Saluatore ipso dictum est. *Factus est principatus, super humerum eius*, & de Moyse. *Cur Domine imposuisti pondus vniuersi populi huius super me*. Si igitur animarum regimen pondus est, & adeò graue, quæ maior insania quā si illud otiandi animo, & quiescendi appetis, & quæritas? Verè talibus fabulosum illud poetarum de Atlante obiectari potest, orbem super humeros suos gestante, vt quiesceret, imò Sacerdotes isti, qui in tali pondere quietem, & otium quæritant, maius onus conscientiæ nimirum addunt.

Homil. 29. in epist. ad Rom.

Carol. Epi. Neuar. in vita lib. 1. cap 5.

Hom. 7. in Euang.

Is. 9.

Num. 11.

Nam quantæ sit damnationis mercedem laboris accipere ex supra citatis locis manifestum est, quid enim sunt aliud ecclesiastica bona,

res Deo dicatæ, atque ob id dicatæ, vt ipsius Ecclesiæ ministri alantur? Quem autem ad finem alantur? nisi vt in Ecclesia laborent, eique inseruiant qui secus faciunt piam fidelium mentem defraudant, & sibi perpetuum exitium parant, hoc potissimum argumento ad se ipsum, & alios ad laborem, & solicitudinem excitandos vsus est D. Greg. cũ ait *Sed quid nos (quod tamen sine dolore dicere non possumus) quid nos, ò Pastores, agimus, qui & mercedem consequimur, & tamen operarij nequaquam sumus? Fructus quippè S. Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia in prædicatione minimè laboramus. Pensemus, cuius damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris: Ecce ex oblationibus fidelium viuimus, sed non pro animabus fidelium laboramus. Illa in stipendium nostrum sumimus quæ pro redimendis peccatis fideles obtulerunt; nec tamen contra peccata eadem, vel orationis studio, vel prædicatione (vt dignum est) insudamus.* Et si tam grauiter de se ipso queritur magnus ille Gregorius, quid nos, qui Gregorio diligentia, solicitudine, omni deniq; virtutum meritò adeò inferiores sumus? Per otium, atque desidiam torpescit Pastor, & lupus ouium strage grassatur, cùm vineæ custos iners, & otiosus iacet, ipsa vinea rudis, & inculta remanet, & à transeuntibus vastatur. *Per agrum hominis pigri transiui*, inquit Salomon, *& per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa est.* Quam ob causam D. Bernardus interiorum culpas ad nullos magis, quam ad desides & incuriosos Pastores esse referẽdas putauit: dormientibus enim oculis, totum corpus consoporatur.

Hom. 17. in Euang.

Prouer. 24.

Lib. 2. de cõsideratione

Neque hoc loco illi audiendi sunt, qui suo se muneri fecisse satis arbitrantur, dum idoneo suffragatur quæsito in eum curam omnem transferunt, ipsi verò, vel vagantur, vel si resident in Ecclesia sua, tamquam in tranquilla statione permanent, molestijs omnibus, & curis à se longius abdicatis. Nam isti facilè ostendunt, muneris sui conditionem ignorare; cui enim Ecclesia, & cura animarum commissa est, cum Pastores crearentur? cui percipiendorum redditũum facultas data? ipsis ne, an exteris? Ergo & supra ipsorum humeros onus primo impositum fuit, & vt portent, non vt deponant ipsi rationem reddituri erunt: ab ipsis preciosum hoc animarum depositum exigetur, ipsi patres, & Pastores ouium suarum. Sed si Pastores, cur oues suas alijs pascendas, & regendas tribuunt? Hoc profectò non est curam animarum gerere; sed potius spernere, quæ nempè nobis cara, & preciosa sunt, nos curamus ipsi, & quàm possumus diligentissimè custodimus, quæ verò vilia, & vt nullius ferè valoris ducimus, alijs facilè credimus. Hoc D. Bernardi animum permouebat; *facilè inueniunt Episcopi*, inquit, *cui concredant animas Christi sanguine redemptas; non autem cui concredant facultates suas. Optimi sanè æstimatores rerum, qui magnam de minimis, nullam de maximis curam gerunt; liquidò datur intelligi, quod patientius ferimus iacturas Christi, quàm nostras, detrimenta gregis Dominici nescimus, expensas autem nostras quotidie scrutamur, tractamus cum ministris de pretijs escarum, vix autem loquimur cum Presbyteris de peccatis populorum.* Hæc D. Bernardus. Quare de his illud prorsus iudicandum est, quod de mulieribus vulgatis incontinentibus, quæ vbi primum infantem ediderint, in publicum exponunt, vt

Lib. 4. de cõsideratione

F alieno

alieno lecte, & labore alatur, & sibi aptius vacare libidini datum sit; haud secus Sacerdotes huiusmodi in accipienda animarum cura anxios, & solicitos se præbent; at vbi voti compotes euaserint, molestias, & labores alijs facilè remittunt, interea sibi quod pingue, quod opulentum est reseruantes. Alius igitur esse debet animi sensus in Pastore, imò hoc sibi firmiter statuendum, non ad otium se, sed ad laborem vocari, quia si caducis, & terrenis in rebus, nihil quod ex suo genere præclarum sit sine industria, & labore comparari potest, quanto magis laborandum erit, vbi de æterna salute agitur? quod si nemo in Aurificis officinam ingrediens ægre ferat, ibidem Artificem videns nigros carbones manibus tractantem, & circa fornacem ignis æstuantem, optimè conscius, non alia ratione pretiosam ex auro, & argento suppellectilem conflari posse; ita in arte Pastorali sibi Sacerdos persuadeat opus est, salutem animarum nisi assiduo labore, & diligentia procurari non posse.

Ad eos, qui in cura animarum præesse concupiscunt, non prodesse. Cap. XII.



Refellendus est, & illorum error, qui pastorale pondus in honorem, & fastum conuertunt, & hanc ingenuam seruitutem sibi tanquam dominium, & principatum asciscunt; *Licet in Ecclesia Dei sit distinctio graduum, vt vnus sit pastor, & præsul, alius autem sit subditus, & minister, contumacia tamen carnis coegit* (inquit D. Chrysostomus) *& peruersitas mundi, & operatio inimici, vt honores videantur esse, sed re uera non sunt, nisi ministeria. Sicut de seipso testatur Apostolus. Cum liber essem omnium me seruũ feci, vt omnes lucrifacerem. Et alio in loco. Accepimus Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus non ad imperandum.* Cuius erroris causam assignat D. Gregorius. Quia scilicet pensamus tantum, quæ circa nos sunt; negligimus autem pensare quid ipsi simus, infirmitatem nostrã, & summam obligationem his ministerijs, & gradibus inseparabiliter annexam. His igitur demonstrandum est, quam longè à fine veri pastoris aberrent, cum aliud docuerit, & Christus, & Patres, & ratio ipsa euidenter conuincat.

Lib. 3. de Sacerd.

Rom. 1.

Hom. 28. in Euang.

Ac primo quidem occurrit expressum Christi præceptum, postulans namque mater filiorum Zebedei, vt iuberet duos filios suos sedere vnũ ad dexteram, alterum ad sinistram, indignantibus reliquis discipulis, & ægre ferentibus, quod primas sedes postulasset, (nondum enim Spiritus sancti ignis immoderatas animorum affectiones in ijs absumpserat) aduocatis ad se discipulis, quales esse deberent, qui Ecclesiæ præficiuntur, ostendit. *Scitis*, inquit, *quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos primus fieri, erit vester seruus: Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam redemptionem pro multis.* Ex quibus non tantum infertur, Ecclesiasticam dignitatem à seculi principatu in hoc distare,

Matth. 20.

ſtare, quod cum ille terrenus, & carnalis ſit, imperio, faſtu, & magna quadam auctoritate exerceatur; hæc verò quoniam ſpiritualis eſt, cæleſtibus ſpiritualibusq; diuitijs, niti debet; ſed etiam qualis eſſe debeat eorum ſenſus, qui in Eccleſia præſunt, & quale ipſorum exercitium aperte declarauit, miniſtrandi, ſcilicet, & ſeruiendi ijs, quorum curam gerunt, ſicut & ipſe Chriſtus qui ad miniſtrandum humiliter non verò ad dominandum venit. Hoc ſenſu D. Bernardus eadem verba Saluatoris intellexit. *Audiamus*, inquit, *edictum. Qui maior eſt veſtrum fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. Forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio, quæ et cõmendatur ipſius exemplo legis latoris, qui ſecutus adiungit. Ego in medio veſtrũ ſum ſicut qui miniſtrat. Quis ſe titulo hoc inglorium putet, quo ſuperior dominus gloriam præſigniuit? Meritò Paulus gloriatur in eo, dicens miniſtri ſunt, & ego, & addit, vt minus ſapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. O præclarum miniſterium, quo non id glorioſius principatu? ſi gloriari oportet, forma ſanctorum tibi præfigitur, Apoſtolorum præponitur gloria, parua ne illa tibi videtur.* hucuſque Bernardus, & libro tertio de conſideratione, Prælatum animarum villico & pędagogo eleganter comparat, nam & illi villa, & huic paruus Dominus ſubiectus eſt, & tamen neque ille villæ, neque hic Domini tui, Dominus eſt. *Ita*, inquit, *& tu præſis, vt prouideas, vt conſulas, vt procures, vt ſerues, præſis, vt proſis, vt fidelis ſeruus, quem cõſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Ad quid? vt des illis eſcam in tempore, ideſt, vt diſpenſes, non vt imperes.* Quid clarius dici potuit.

Lib. 2. de conſid.

2. Cor. 11.

Huic autem & D. Bernardi, & aliorum teſtimonio fidem aſtruit ratio ipſa: maior etenim ſi rectè cogitemus loci celſitudo, in quo paſtor inter populum ſuũ eminet, non ſuperbiam, ſicut iſti ſibi ſtultè perſuadent, & arrogantiam, at potius timorem, & trepidationem ex periculi conſideratione, & facilitate caſus importat, ſi D. Gregorio credamus, aſſerenti eminentiorem locum dignitatis maioribus periculis, & mœroribus obnoxium eſſe, ſicut qui præalta domorum, aut arborum faſtigia conſcendit, eo magis periclitatur, quo altius aſcendit, quia cadendi maius eſt periculum, & grauior ruina, *& quo magis honor creſcit* (ait idem Gregorius) *etiam ſollicitudo proficiat, & vigilantia excreſcat neceſſe eſt, & quantum quiſque inter alios eminet gradu, tantum etiam emineat vita. Alioquin ſi altiorem, & non meliorem eſſe delectat non præmium, ſed præcipitium iſte expectat.* Tantum igitur abeſt, vt curator animarum de ſuo ſtatu ſuperbiat, vt potius ſibi timendum ſit, ſicut qui in alto poſitus prægrande habeat obiectum præcipitium; ſitq; facilis ad labendum, quia natura ipſa grauis ad lapſum procliuis eſt, & multi ſunt impulſores.

Lib. 31. mor. c. 19.

Lib. 4. epiſt. 51.

Ser. 33. in Cant.

Accedit præterea, quod iſta dominandi cupiditas totum prorſus ſpirituale ædificium deſtruit. Primo enim ita à natura formati ſumus, vt omnes arrogantes, & tumidos fugiamus, ſicuti è contra facilè humilibus, & modeſtis adhæremus, ideo hanc animi manſuetudinem tantopere Bernardus in Prælatis animarum requirebat. *Diſcite*, inquit, *Prælati matres eſſe non domini, ſtudete magis amari, quam metui, ſuſpendite verbera, producite vbera, cur morſus à ſerpente paruulus fugit conſtientiam Sacerdotis, ad quem magis oportuerat tanquam ad ſinum recurrere matris?* & Dominus apud

Ser. 23. in Cant.

Ezech. 34. Ezechiel enim ouium suarum dispersionem pastorum arrogātiæ, & superbiæ ascribit. *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia, & dispersæ sunt oues meæ dicit Dominus*. Secundo, quia mos est hic Dei, qui infirma mundi, & contemptibilia eligit, vt confundat fortia, vt plus illi Sacerdoti gratiæ concedat, quò ritè munus suum obeat, qui de seipso humiliter sentit, nihilq; sibi arroget, quàm ei, qui munus hoc ipsum elato animo de se nimium præsumens exequitur; nam Christus, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*.

Homil. 27. in Euang. Quare illud D. Gregorij pro capitis coronide vsurparim. *Qui intrant in sanctam Ecclesiam per speciem regiminis, gloriam affectantes honoris, videri doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, atq; attestante veritate, primas salutationes in suo foro, primos recubitus in Cœnis, primas in cōuentionibus Cathedras quærunt, ij tanto magis susceptæ curæ pastoralis officium nequeunt adimplere, quanto ad huius humilitatis magisterium ex sola elatione peruenerunt*, & sicut verus animarum Pastor esse, & dici non potest qui charitate non feruet, ita etiam si hac gemma humilitatis non fulgeat, quæ charitatem perpetuò comitatur. *Rectorem te posuerunt; noli ergo extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.*

Eccl. 35. Scriptum est in Ecclesiastico. *Et cogita non esse tribunitium quoddam, aut ciuicum munus tuum, non imperium quoddam turgidum, non regnum inflatum pompis, & insolens, sed humile, & pacatum ministerium*. Sapienter monuit S. Isidorus Pelusiota.

De grad. Hum. & ep. 41.

De singulari Dei patrocinio in Pastores animarum. Cap. XIII.



Voniam verò quæ diximus de naturali difficultate curæ animarum, & de manifesto eorum periculo, qui præpostero fine hanc eandem procurant, nō eo quidem animo dicta velim, vt quosque ab hoc tam præclaro, & egregio munere deterrerem; cum nullum aliud munus in terris sit ipso præstantius, nullum æque necessarium Deoque gratum; neque vt loquar cum D. Chrysostomo lib. 3. de Sacerdotio. *Ob id sacerdotalem dignitatem malorum istorum fecerim auctorem; absit à me insania tanta, neque enim ferrum cadis, nec vinum ebrietatis, sed eos qui talibus Dei donis abutuntur auctores sunt, sic & sacerdotium meritò nobiscum expostulare posset, si se non ritè, & ordine pertractemus, & administremus; neque enim illi accepta referre debemus mala quæ dixi, sed nobis*. Sed potius is fuit animi mei sensus, vt illorum errori occurrerem, qui tam auide affectant hanc Prouinciam, ac si nullam obligationis periculi, & difficultatis rationem haberet. Cæterum non desunt solatia, & præsidia, quibus muniti, & recreati, maiori qua possunt solicitudine, munus hoc exercentes, possunt perpetuos hos labores non solum cum facilitate, sed etiam cum alacritate superare: etenim si humanum ingenium modos quosdam adinuenit, quibus, quod ex sui natura acre, acerbum, vel amarum est, dulce tamen, & suaue reddatur, sic Deo ipsi naturæ authori ad molliendum, & condiendum quidquid arduum, & difficilè est in cura animarum, leuamina multa, & solatia deesse non solent.

Porrò

Porrò primum,& præcipuum ministerij huius leuamentum est singularis Dei tutela,& patrocinium,qui enim sub adiutorio Dei viuunt,& in protectione eius commorantur omnia illis feliciter, & prospere euenire necesse est, & illa bona sibi affutura sperare possunt quæ à Dauide de adiutorio altissimi copiosius commemorantur. Ex quo illa D.Pauli. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Sed & quis contra Paulum non erat? cũ ipse apertè dicat non esse sibi colluctationem *aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes,& potestates, aduersus mundi Rectores, aduersus spiritualia nequitiæ.* Cur ergo dicit,*quis contra nos?* Sunt quidem contra nos, si crudelem illorum spectemus voluntatem, qui nostræ aduersantur saluti, sed si Deus erit pro nobis, pro nobis etiam erunt inimici, quia his viribus nos corroborabit Deus,vt hostes ipsi magis nobis prosint,quam obsint. *Cum enim nos tutabitur Deus,* (ait Theophilactus.) *Quis poterit aduersari? quoniam vel si terrarum orbis in nos insurgat: diuina sapientia in gloriam nostram hunc omnem vertet insultum.* Neque profectò est, quod animarum pastor de hac cura peculiari, & auxilio diffidat, quia tam certum pignus huius ab eo accipit, vt nullo modo dubitandum sit, sic enim Apostolis pollicitus est Christus. *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi.* Quod diuinum promissum non tantum Apostolis factum fuit, vt optimè intellexerunt D. Chrysostomus, & alij, sed omnibus etiam, qui in illorum locum erant sufficiendi. neque enim vndecim illi, quibus cum loquebatur Christus, vsque ad consumationem seculi victuri erant, sicut annotarunt, Augustinus, & Theophilactus, quibus tamen se præsto futurum Christus pollicitus est, quo quidem promisso,quid carius, & quid efficacius ad pellẽdum omnem animi mœrorem, & cordis angustias esse potest; cum ab eo fiat, cuius sapientiam nihil fugere,cuius potentiæ nihil resistere potest, de quo hoc etiam verum est,dicere *Cælum,& terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

Psal. 90. *Ad Tim. 2* *In Ps. 90.* *Matth. 28.* *Hom. 91. in Matth.* *Ep. ad Damas.* *Prosper de voc. gen. li. 2. c. 2.* *Bed. Euti. h.c loco.* *Lib 6. de Gen. ad literam c. 8.* *Theoph. hic*

Quoniam vero in hoc Dei patrocinio summum Pastoris bonum positum est,videamus, quibus potissimũ de causis, ad id moueatur Deus.

Prima est, quia id diuinæ prouidentiæ ratio postulat; cum enim sapientissimus Deus quemque ad aliquod munus deputat, ea etiam adiungere solet, quæ pro illius administratione congrua, sufficiunt. Hinc Moysi legationem ad Pharaonem recusanti: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem & educam filios Israel de Aegypto, promisit Deus. Ego ero tecum, Nõ te deserant, hoc tibi sufficiat, quid amplius desideras? Ego qui te ad hoc munus elegi tibi etiam necessaria subministrabo? Ego ero tecum, ne sis anxius, neque solicitus,* (vt exponit D. Chrysostomus) *cum suppeditatorem bonorum omnia habeat, ego enim omnium Dominus ero tecum. Quid hoc iusto beatius qui talem promissionem à Deo accepit, quia ero tecum, hoc te declarabit omnibus feliciorem, hoc te affluentem omnibus rebus faciet, hec est summa gloria, hæc est vera securitas, hæc est summa, & caput bonorum, quia ego tecum sum.* Cum autem ars Pastoralis adeò excellens sit, illiusq; finis adeò sublimis, vt humanas naturæ vires omnino superet, certè sequitur, aut pastorem frustratum iri suo fine, si suis tantum viribus relinquatur, aut diuinæ prouidentiæ esse, hunc ipsum sua ope iuuare, illiusq; personam tueri. Quo postea fit, sicut quotidiano experimẽto cognoscimus, vt hoc animarum ministerium, quod huma-

Exod. 3. *Hom. 5. in Gen. tom. 1*

humanas vires metienti, non modo grauissimum, sed etiam impossibile apparet, liberali tamen gratia Dei, & virtute non tantum possibile, sed facilè, & iucundum euadat. Verissima est Augustini vox. *Non est metuendum, ne Deus dare desinat cætera, cũ ea, quæ data sunt cœperimus impendere.*

Lib. 1. de doct. 10.

Altera causa patrocinij est, quia ipse Deus huius operis, & muneris auctor fuit, & Institutor, cum enim esset hoc munus summopere necessarium, idemq; arduum, & difficile, Deus proprium filium, non vt redemptorem solum, sed etiam vt summum Pastorem misit, vt per Ezechielem iam ante promiserat. *Suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas seruum meum Dauid, ipse pascet eas: ipse erit eis in Pastorem*, vt cæteri animarum Pastores haberent quem imitarentur, sicut idem Christus Apostolis dixit. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis*, & alio in loco. *Me vocatis magister benedicitis, sum etenim*; quare non solum voce, & proposito exemplo veram regiminis Pastoralis formam, & ideam expressam reliquit, sed ipse etiam instituit: nam inquit Apostolus. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & doctores ad consumationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* A natura autem comparatum est, vt pater suũ partum, & Artifex opus suum vnicè diligat, & tueatur, quemadmodum pluribus in locis Deus testatus est, tum apud Zachariam. *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei*, parum fuit dicere ad significandam singularẽ prouidentiam, & curam in suos: me tanget, sed eam partem nominauit quæ est in homine carissima, eademq; ad sensum mollissima.

Cap. 34. Io. 13. Ad Eph. 4 Cap. 2.

Tertia causa ex hoc eodem manifestè infertur quod cum Rector animarum ipsius Christi locum teneat, cõmune cum ipso negotium gerit: est enim cura animarum negotium ad ipsius gloriam, & seruitium spectans: quo fit, vt duplici causa protectionẽ diuinam sibi affuturam certò sperare possit, tum quia Deus Pastores iuuando, & protegendo, suũ ipsius negotium, & causam agit, suasq; tuetur partes, cum ad herum spectet non solum iussa dare, sed debitis etiam serui operá iuuare, & tueri officijs, tum etiam ob cõmoda, (& si hoc dicere licet) vtilitatem, quam hinc percipit Deus, quo enim Pastores animarum maioribus auxilijs, & præsidijs muniuntur, plures etiam in dies animas Deo parturiunt, & vberiores fructus in Ecclesia afferunt ad augendam Dei gloriam; quare si militiæ Princeps omnes tuetur, & protegit, qui militant suis stipendijs, eos tamen maioribus cumulat donis, quos præ cæteris viderit in dominij sui finibus ampliandis, & dilatandis animosiores, cur non id potius præstabit Deus, cuius misericordiæ infinitus est thesaurus.

Homil. 69. in cap. 21. Matth.

Huc illud Chrysostomi spectat homil. 69. in c. 21. Matth. *Si quis sua despicit, & nostrorum curam assumit, quieti illius solemus prouidere, quãto magis Deus?* Quod quidem in hac vita maximè præstant animarũ Rectores: etenim dum curam illarum suscipiunt, Dei negotium gerunt, & ita se totos Deo addicunt, vt omnem sui corporis, & voluntatis libertatem exuant, vt suo loco dicitur, qui enim eò non peruenit, vt Deum plusquam se, plusquam suos, & plusquam sua non diligat, ex D. Augustini sententia non est dignus, qui admittatur ad animarum regimen. Cur igitur Dei misericordia, & prouidentia non erit in eos liberalis, qui ita

omnia

omnia ei vltrò cum libertate tribuerint, cum se Apostoli exemplo omnium seruos fecerint, vt omnes lucrifacerent. Hæc singularis Dei prouidentia erat Diuo Carolo comperta ad omnes casus: in qua sibi conquiescendū constituebat: imò certa spe nitebatur, ex omni euentu, Dei benignitate, boni aliquid exiturum, & dicebat aliquando, qui Deo verè seruiret, ei tunc maximè in rebus suis bene operandum, cum extenuata maximè spes humano iudicio putaretur.

Hanc verò singularem Dei protectionem, ne vlli dubia sit, manifestius colligemus si quomodo ipsorum animas, & corpora tueatur, & protegat Deus attentius consideremus. Primo namque cęlestes opes illis abundātius communicat, maioraq; infundit Spiritus sancti dona, siue ad illorum mentem illuminandam, ne cum grege sibi credito à recto tramite deflectant, siue etiam, ad voluntatem prouehendam de virtute in virtutem, quod egregiè obseruauit D. Gregorius in Christi natiuitate. *Quid, inquit, est quod vigilantibus Pastoribus Angelus apparet, eosq; Dei claritas circumfulget, nisi quod illi præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse solicitè sciunt, dumq; ipsi piè super gregem vigilant, diuina super eos gratia corruscat.* Curat etiam animas, non permittens eas supra vires tentari, & manum suam porrigens, vt victores euadant, quod tanquam summum, & maximum beneficium agnoscendū, & prædicandum est; patet enim omnibus, quàm lubricus sit status Pastoris, quippè quem, vti medicus, in tractandis vulneribus, & plagis medendis assidue versari oporteat, quarum aspectus is est, vt auribus, aut etiam oculis haustę, ita intimis cordibus adhærescant, vt sanam mentem immutare, & transformare in deterius possint. Quamobrem Pastoribus Deus illud præstat, quod est apud Esaiam. *Hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israel, noli timere quoniam redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu, cum transieris per aquam tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Et cap. 4. Erit nobis in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine, & pluuia.* Quam quidem curam, ne cui dubia esset, multis euentibus comprobauit, sæpè demonstrauit, cuiusmodi fuit quod S. Vincentio ordinis Prædicatorum accidit, qui accersitus ad audiēdam confessionem à puella morbum simulante in lectulo, relictusq; solus à socio, ad flagitium miro, ac vehementi artificio prouocatus est. Sed diuina gratia adiutus strenuè impudicæ restitit. Quin & S. Bernardinus Senensis, dum panes emeret à fœmina, calumniam minitante nisi concubitu pateretur, nudatam illam strenuè flagellans ad saniorem reduxit mentem, seque ex magnis angustijs eripuit. Quamquam maximè optandum sit, ne in huiusmodi casus incidamus, tutiorem fugam, arripientes, *nam qui amat periculum, peribit in illo.*

Verùm, pręter animam, corpus etiam Sacerdotis diligenter custodit Deus, secundum quod etiam Apostolis promiserat. *Ne terreamini inquit, ab his, qui occidunt corpus, post hæc autem non habent amplius quod faciant, quia nonnę quinque passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro* quāto magis Deus Pastorum, & Sacerdotum corpora tuebitur: sunt enim animarum Rectores vas in honorem & gloriam Dei sanctifi-

Lib. 7. cap. 9. 10.

Hom. 8. in Euang.

Cap. 43.

Et cap. 4.

Pet. Ranaz. lib. 1. vit. S. cap. 12.

Sur. in vita 13. May. 20

Luca 12.

sum erit. De ijs actionibus, quæ Deum proximè attingunt, cuiusmodi sunt orationis, & contemplationis vsus, charitatis, humilitatis, & cæterarum virtutum exercitatio, & quæcumque similia, nihil attinet dicere, cùm eiusmodi sint, vt ad Deum referrantur, satis cumulatam ab ipso mercedem reportent; De illis potius loquendum, quæ causa salutis proximorũ ferè assiduè exercentur, vt sunt sacramẽta ministrare, concionari, ægrotos inuisere, solari merentes, pauperum, ac viduarum patrocinium suscipere adhortari ad pietatem, contumaces corrigere, scandala tollere, adesse morientibus, & alia huiusmodi, in quibus tota pastoris vita, & studium positum est; quæ omnia, si fideliter, & sanctè præstentur duplici fœnore mercedem Pastoris adaugent. Primo quia, dum in his peragendis immoratur, non suam, sed Dei causam, & negotium tractat; ex quo fit, vt omnis opera, & labor à Domino operis, qui est *misericors in millibus*, denario, & mercede compensetur. Secundo quia, vt monuit D. Prosper: *qui pro multis occupatur, vt alij proficiant, ac Deo vacent, illorum profectus eius fructus est, qui solicitudines omnium portat, in illis proficientibus proficit, & gloria illorum gloria illius est.* *Lib. 2. de vita cont. c.16*

Sunt enim singulari modo animarum Rectores participes omnium bonorum operum, quæ fideles per eorum adhortationes efficiunt. Locus est pulcherrimus in epistola, qua Moyses, & Maximinus Presbyteri, & alij Confessores B. Cypriano, qui ipsos ad constantiam cohortatus erat, in hæc verba respondent. *Reddet tibi Dominus pro ista tua charitate mercedem, & huius tanti boni operis repræsentabit debitam frugem. Non minus enim coronæ mercede condignus est, qui hortatus est, quàm qui & passus est, non minus laude condignus, qui docuit, quàm qui & fecit: non minus honorandus est, qui monuit, quàm qui dimicauit; nisi quod nonnunquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum, qui instituit, quàm ad eum, qui se docibilem discipulum subministrauit. hic enim fortassis hoc, quod exercuit non habuisset, nisi ille docuisset.* *Epist. 26.* Ex quibus apparet quantam sibi conflent summam meritorum diligentes animarum Rectores; cum omnium vti dictum est, quæ in Ecclesia fiunt bonorum operum, generale sint instrumentum. De his illud commodè videtur pronuntiare Sapiens: *de fructu oris vnusquisque replebitur bonis*. Non solum enim tunc curator repletur bonis, cùm quæ *Prov. 12.* dicturus est meditatione quasi concoquit, & conuertit in succum suum, suamq; animam sanctis meditationibus saginat, sed etiã, quia fructus, quem ore suo in subditorum cordibus progignit, ad ipsummet redundat, ac redit. Inde Philippenses non solum gaudium suum, sed etiam coronam appellat Apostolus. Addo quæ cum magno huius officij honore apud S. Clementem habentur. *Presbyteris, si assiduè in studio docendi verbum Dei laborauerint duplam esse deponendam portionẽ, in gratiam Apostolorum Christi, quorum locum tenent, vt qui sint consiliarij Episcopi, & Ecclesiæ corona, Concilium, & Senatus.* Nam si de gloria, quam essentialem vocant *Lib. 2. Con. stit. Apost. c.28.* Theologi, agatur; tametsi certum est mensuram eius ex gratia, & charitate sumi; illud tamen quoque satis est manifestum, maiorem quandam occasionem offerri, vberioremque, ac magis perennem suppetere materiam gratiæ augendæ, ac proinde amplificandæ gloriæ Ecclesia-

H tum

rum Rectoribus, quam plerisque alijs: cùm illorum munus in præstantissimis operibus sit, in docendis, iuuandisq; populis ad virtutes, & ad salutem, in sacrosancto Christi nomine celebrando, Deiq; honore illustrando continenter versari.

Quis igitur tantam Pastorum fœlicitatem non inuideat, cùm sit in eo vitæ genere, in quo tam magna inest occasio cœlestes merces congregandi, in quo actiones ipsæ etiam naturales ad tuendam vitam necessariæ, conferunt ad meritum, & ad coronam. Quare Pastori illud idem euenit, quod mercenario, qui vbi, operam suam conuentione facta de denario diurno promisit, nihil sine mercede facit, siue reficiatur, siue aliquantulum quiescat ab opere, vt vires resumat: ita Pastor, quia totũ se Deo addixit in animarum salutem, quæcumque in hunc finem operatur, omnia Deus in lucris reponit.

Tandem Dauid cum Gigante congressurus de victoriæ corona primo sciscitatus est. *Quid dabitur viro, qui percusserit Philistæum?* Sed quid dabitur Pastori, qui non vnam animam, sed plures è Dæmonis faucibus ereptas de victo imperio sathanæ illæsas Christo Domino consignabit? quale præmium, quod tanto operi respondeat, reportabit? certè dignus est, vt Dominus, qui solus animarum dignitatem nouit, *supra omnia bona sua constituat eum*, sed, quid hoc est, nisi æternam illi gloriam dare, quo nihil melius, atque in illa maiorem aliquem gradum assignare?

1. Reg. 17.

Accedit etiam ad tantæ felicitatis cumulum, quod præter essentiale gaudium, quod diximus Pastoribus fore amplissimum, quoddam aliud accidentale etiam super addetur, quod mirum in modum illorum gloriam cumulabit, hoc verò à Doctoribus Laureola nuncupatur, quæ licèt præcipuè in anima sit per redundantiam tamen erit etiam in corpore. Ea Doctores Virgines, & Martyres cohonestabuntur ratione insignis victoriæ, quam de carne, morte, & diabolo reportarunt; quæ si ijs meritò decernitur, cur Pastoribus negari debet, cum & ipsi non longè sint à martyrio si ea spectemus, quæ ad martyrium requiruntur, scilicet voluntatem, causam, & pœnam. Non deest quidem voluntas patiendi, & mortem oppetẽdi, pro Dei gloria, & salute animarum, si opus fuerit, quia hoc primo loco vult à Pastore charitas, vt ponat animam suam pro ouibus suis, & qui temporalem vitam magis æstimat, quàm spiritualem vitam ouium suarum *mercenarius est, nec pertinet ad eum de ouibus:* hanc siquidem Chrysostomus differentiam ponit inter Pastorem, & mercenarium: *hic propria, contemptis ouibus, ille, suis contemptis, ouium salutem curat.* Inest etiam causa martyrij, quæ cum non sola sit fidei, vel profitendæ, vel tuendæ, sed etiam sit in iuribus Ecclesiæ protegendis, in tollendis peccatis, vbi amplior certaminis campus, quàm in cura animarum? cum sæpius decertandum sit contra violatores iurium Ecclesiasticorum, contra inueteratos, & contumaces in delictis, contra potestates tenebrarũ harum. Sic sanctissimus Thomas Cantuariensis Episcopus martyrij corona decoratus est, & Christi præcursor, Herodis incontinentiam arguens, virginitati martyrij laudem adiunxit.

Ant. 3. p. t. 9. c. 8. Pal. in 4. dist. 49. q. 8.

Homil. 59. in Io.

Neque

Neque desunt cruciatus, & pœnæ, & quidem acerbæ, tum animi, quæ acriores sunt, tum etiam corporis; cùm assiduè in laboribus, in vigilijs, & in periculis standum sit, vt de seipso testatur Apostolus. Quas ob causas meritò D. Chrysostomus Pastorem martyri æquauit his verbis, *Pastor bonus, & talis qualem Christus vult, cum innumeris componi potest martyribus, siquidem martyr semel propter ipsum moritur, hic verò millies propter gregem. Sic Paulus: quotidie morior propter vestram salutem fratres.* 1. Cor. 11. Homil. 29. in epist. ad Rom.

Debetur etiam Laureola virginitatis; quia (vt inquit Bernardus, & Epist. 42. fusius suo loco) castitatis cingulum, ad quod perpetuò retinendum sacro se voto astringunt Sacerdotes, singularis est honor ipsorum, & tantæ pulchritudinis, vt castitatem dixerim Sacerdotium honorare, dilectum Deo, & hominibus facere, similemque in gloria sanctorum; quo nitore ablato à Sacerdotis vita, tota ipsius dignitas obscuratur, Cant. 4. dentibus enim comparatur, quia licet in carne sit, carnis tamen illecebris, & voluptatibus reluctans incorruptionem angelicæ puritati parem diuina virtute custodire debet.

Denique Doctorum Laureolam etiam consequentur Pastores, cum ipsi Doctores, & magistri populi sint, & quemadmodum in cœlesti Hierarchia superiores Angeli inferiores illuminant; ita in Ecclesia Pastores in supremo cardine constituti sunt, vt cæteros erudiant, sacrisque informent legibus. Ostendunt hoc euidenter illa Danielis verba. Cap. 12. *Qui docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*; & illa etiã Saluatoris. *Qui fecerit, & docuerit, & hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Matth. 5. Non igitur dubium quin gloria, non solum essentialis, sed etiam accidentalis maxima, & vberrima reposita sit Pastoribus.

Erigant igitur oculos suos ad præmium tam immensum, & tam amplum, ne fatigentur animis suis deficientes. Momentaneum namque, 2. Cor. 4. & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Et (vt sapienter monuit. D. Io. Chrysost.) *Ne cogites ærumnam, sed libertatem, non flagella, sed honores ad modicum temporis labor est, & in seculum seculi requies erit, mitiga spe laborem, & tribulationes lætitia excipiet. Baiuli, & onerarij homines, dum onera gestant, gemunt quidem, & sudant, sed pretij consideratione patienter ferunt, & lætantur.* Homil. 101 ad pop.

Adiumenta Primæ Partis.



IN tot igitur Præfecturæ animarum periculis, ratione cuius tam excellẽs præmiũ seruo fideli, infideli autem tàm ingens supplicium propositum est, in qua de primo; ac summo omniũ negotio agitur, nempè de æterna salute, tum ipsius Sacerdotis, tum etiam animarum, quas regendas suscepit, id primum præstandum duxi, vt antequam gradũ faciã ad vlteriora, & ad praxim iam dicta reducã, hisce duobus monitis præparandus, ac disponendus mihi erit curator noster.

Ne scilicet veniat ad curam animarum nisi à suo Prælato vocatus,

 (quod

(quod etiam aliàs tetigimus) alioquin si ipse, vel ambiat, vel illam aliqua etiam arte affectet, ea sibi obijcienda certò credat, quæ per Hieremiam grauissimè exprobrat Deus. *Non misi eos, neque præcipi eis, neque locutus sum ad eos, ipsi autem currebant, non vocabam eos, ipsi autem respondebant.*

Hier. 14.

At qui iussu sui superioris hoc onus suscipit, maximè de Dei auxilio sperare potest. Nec paucos ego audiui ex his, qui varijs, ijsque difficillimis, & periculosissimis casibus pro recta muneris sui functione vexati, nullum maius solatium, ac leuamen mœroris sui se habere dicebant, quàm cùm recogitarent se, non ex sui electione, non ex cupiditate lucri, aut honoris, sed ex voluntate, & obedientia sui Prælati, curam animarum suscepisse, ideoque magna quadam latitudine cordis sperare se de Diuina ope, & assistentia, quam etiam semper sibi præstò fuisse in omnibus periculis, & difficultatibus asseuerabant. Quod si Prelati electio, seu spontanea illius voluntas quandoque haberi non potest, & verè sentiat se solo zelo salutis animarum moueri, sistat se ante Episcopum, seque illi offerat, omni animi submissione, & illius iudicio totum committat, nulla animi propensione potiùs, in hunc, quàm in illum locum, hoc sibi firmiter persuadens, ad quemcumque locum ab eo mittatur, id totum esse ex dispositione diuinæ voluntatis, quod perinde est, ac regi à Deo, & ab ipso vocari.

Alterum est, vt saltem per dies octo omnibus alijs curis rejectis, colligat seipsum, antequam ad residentiam sui beneficij accedat, & longiori vsu orationis mentalis attentè consideret prouinciæ, quàm suscepit, dignitatem, & eas virtutes à Deo studeat impetrare, quæ tanto muneri dignè obeundo necessaria sunt, neque hoc laboriosum illi videri debet; magna res est, quam tunc aggreditur, magnam animi præparationem requirit, & magna etiam est vis principiorum in vnaquaque facultate, vt perfectus quis in ea euadat. Cui nisi quid melius suppetat ad meditandum, hæc pauca, si libuerit semper præstò erunt.

PRIMA MEDITATIO.

I. A Cognitione tui ipsius incipe Curator, hæc enim est fundamentũ totius profectus spiritualis, teste D. Bernardo. *Si noueris*, inquit, *omnia mysteria, noueris lata cœli, profundum maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento.*

De Consid. lib. 2.

II. Res omnium difficillima est, seipsum cognoscere propterea quòd vnusquisque seipsum amat, & amor sui rectum iudicium peruertit. *Sua quemque latent vulnera*, sapienter scripsit S. Ephrem, & D. Basilius. mentem hominis oculis corporis comparauit; quia sicut isti, quod obijcitur ad videndum, vident, seipsos verò non vident, sic & mens hominis omnia facilè inquirit, se ipsam autem inquirere negligit: Deus ergo suppliciter rogandus, vt adaperiat oculos cordis tui, & ostendat tibi teipsum.

III. Peccata tua, quibus toties Deum offendisti, ante oculos constitue, & innumera mala, quibus per peccatum incurristi, serio recogita.

Vnico

Vnico namque peccati consensu (ait Laurentius Iustinianus) *immensas animæ, & corporis diuitias amittit homo, innocentiæ candorem, immortalitatis stolam, carnis incorruptibilitatem, puritatem animæ, contemplationis dulcedinem, spiritus libertatem, regnum cælorum, Angelorum contubernium, amicitiam Dei.* ô verè lugendam peccatoris conditionem. *In Io.*

IIII. Dignitatem personæ à te offensæ considera, quæ est ipse Deus, creata omnia in bonitate, potentia,& maiestate, transcendens, cuius comparatione tamquam vermis æstimaris; quod si totus mundus Deo collatus, est quasi momentum stateræ, & tamquam gutta aeris antelucani, Quid est vnus homo, si cum mundo vniuerso conferatur, Quid ergo es tu in comparatione Dei ?& tamen toties in Deum insurrexisti, quoties ipsum offendisti. *Sap. 11.*

V. Adde innumera Dei tui in te vnum collata beneficia, Verè de te conqueri potest Deus. *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.*

VI. Et quod etiam dolendum est, neque adhuc fructus dignos pœnitentiæ egisti, imò si conscientiam tuam ritè discutias, ea in teipso reperies, quæ in tepido Monaco his verbis accusat. Bernardus. *Collocauit me Dominus in loco voluptatis, in domo vbertatis, in domo delitiarum; ego verò miser, & miserabilis, inter mensas epulantium fame pereo, iuxta (fontem sitio) ante ignem algeo, & ad neutrum manus extendere volo, tam piger sum, & desidiosus. Ita tempus amitto, quod Deus sua misericordia mihi indulserat ad agendum pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam, gratiam, ad promerendam gloriam, Tamquam arbor sterilis terram occupo, & velut iumentum vile plus consumo, quàm proficio; Alij me pascunt, de laboribus manuum suarum, sicut præbendarium suum; ego verò tamquam pauper, & miser, me nec sicut clericum, nec sicut laicum gero.* *Ser. de int. domo c. 31*

SECVNDA MEDITATIO.

I. MOX immensam Dei misericordiam erga teipsum contemplare. Quæ maior diuinæ charitatis declaratio esse potest, quàm carere tantis malis, quæ peccatis tuis debebantur, & insuper tot donis ab ipso cumulatum fuisse: quot homines propter minora,& pauciora peccata, quàm tu ipse commisisti, Deus iustissimus Iudex æternis mancipauit ignibus, te tamen hucusque ad pœnitentiam expectauit, & ad aliorum salutem procurandam vocauit.

II. Attende huius ingentis beneficij magnitudinem, cum te in pastorem animarum elegit. Quid nobilius, quid pretiosius Christi sanguine ? hunc tibi custodiendum Deus commisit, quid præstantius Christi passione, & morte ? at ne tanti operis fructus depereat, Christus te in suum ministrum,& cooperatorem elegit.

III. Animarum dignitatem considera, quas tanti æstimauit Dei filius, vt pro illarum salute vitam suam infiniti valoris dare non dubitarit, & sanguinem suum pro illarum salute digne impensum iudicauit.

IIII. Hinc collige præstantiam tuæ vocationis. *Feci ego cælum* (sic

Dei

Homil 55. ad pop. Antioc. Dei nomine loquitur D. Chrysostomus) *eadem conditionis facultate te donō vt terram facias cęlum. Accendi ego luminaria, accende ergo & tu: clariora illis, namque potes, in his, qui in errore sunt lucem veritatis accendere: Maius istud beneficium est, quàm solem intueri; hominem facere non vales, at iustum, gratumq; Deo potes efficere, ego substantiam feci, tu exorna propositum. Vide quàm te diligam, qui maiora tibi faciendi potestatem tribuo.* Ita Chrysostomus. Ideo Christus animas pascendas, & regendas, tribuit Petro, Christum plus cæteris diligenti, & summè à se dilecto.

V. Ex his tamquã ex scilice ignem amoris erga Deum, tam munificum excuteres, cum amor nulla meliori ratione, quàm amore compensetur; Præsertim si amantis personam attendas, diuinæ dilectionis magnitudinem, & tui ipsius, qui amaris indignitatem. Vt saltem si fortassis amare te pigeat, redamare non pigeat.

VI. Et quoniam in beneficio reddendo plus animus, quàm census operatur, ex sententia D. Ambrosij, magisque præponderat beneuolentia, quàm possibilitas referendi muneris; (Lib. off. c. 32.) Teipsum totum resigna in manu Dei tamquam inanime instrumentum, vt eo vti possit Deus, sicut voluerit. & in hoc ipso tui regiminis exordio magno ardore animi omnes tuas actiones, & conatus ad Dei gloriam quærendam, & salutem animarum procurandam dirige.

TERTIA MEDITATIO.

I. Atque vt zelus honoris Dei ignescat in te. Considera Dei Maiestatem, ac infinitam bonitatem omni adoratione, ac veneratione dignam; à peccatoribus tamen quotidie lædi, ac contemni tot peccatorum generibus. Quis videat pias sanctorum imagines ab aliquibus conculcari, & lacerari, & prohibere tantum nefas non conetur? Ad hunc Dei honorem quærendum, & tuendum te vocatum existima.

II. Ignesce pariter, zelo salutis animarum, considerans, Dei filium è cęlo venisse, & toto ipso vitæ suæ tempore pro ea elaborasse, ac deniq; mortuum. Si tu Christum diligis, cùm ipsum tam solicitum intelligas, quid te pariter, pro eadem salute animarum facere conuenit.

III. Præsertim cum hæc sit voluntas Dei, vt omnes salui fiant, *neque n. vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.*

IIII. Assiduam, eamque indefessam sathanæ operam in impedienda salute animarum recogita, & pudeat te in eadem salute procuranda, à sathanæ ministris diligentia, & solicitudine superari.

V. Attende quot labores subeant, & quanta solicitudine angantur tam multi in cura rerum temporalium, Auari in cumulandis opibus, Ambitiosi in affectandis honoribus, & dignitatibus. Medici in curandis corporibus, Nonne vnius animæ pretium, & dignitas pretiosa huius mundi quæcumque superat.

VI. Denique considera te esse patrem animarum, quæ tuæ curæ commissæ sunt; Eas paterno affectu, non secus, ac carissimos filios complectere, easdem spiritualiter educando, fouendo, & ad omnem virtutis gradum

gradum prouehendo, pari charitatis affectu, tam erga pauperẽ, quàm erga diuitem. omnes filios suos æquè diligit, qui verus est pater. Apostoli charitatem tibi ad imitandum propone qui dicebat. *Facti sumus paruuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, qui a charissimi nobis facti estis.* Tho. c. 2.

QVARTA MEDITATIO.

I. QVò maior, & eminentior est dignitas Pastoris animarum, eò maioribus est obnoxia periculis, & difficultatibus, & præsertim maximæ illi obligationi, qua tenetur exactissimam rationem reddere pro omnibus animabus sibi commissis, itaut si anima culpa Pastoris pereat, ipse reus constituatur. Et si tam periculosum est vnumquemque de suis tantum peccatis à Domino argui, quid erit pro peccatis aliorum. Quot Curatores animarum sempiternis flammis cruciantur, solùm propter peccata suorum subditorum; quia cùm potuerint corrigere, vel impedire neglexerunt.

II. Nihil Curatori animarum ad æternam salutem prodest innocentia propria, & sanctitas, si negligẽs in suo munere sit, & nisi sanctos etiã eos studeat facere, quantum in se est, quorum curam suscepit.

III. Etsi ob aliena peccata qui præest damnatur, quæ supplicia eundẽ manent, qui suis deprauatis moribus alios ad peccandum inducit, & laqueus fit speculationi. *Verè potentes potenter tormenta sustinebunt.*

IIII. Quanta ergo est illorum insania, qui sola cupiditate lucri temporalis, vel honoris vltrò se tot periculis objiciunt, & in tam aperto æternæ damnationis discrimine constituunt? *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur animæ verò suæ detrimentum patiatur. Stultus* (inquit Salomon) *plaudit manibus, cùm spoponderit pro amico.* Prou. 17.

V. Conscientiam tuam sincere, & coram Deo discute, quo & ipse animo venisti ad curam, animarum; quod si obliquam intentionem in teipso deprehenderis, time tibi; considerans, quod Iudas proditor, licèt à Deo electus, quia tamen præpostero fine Apostolatũ administrauit, & dignitatem perdidit, & vitam æternam, sed si zelus diuini honoris, & salutis animarum ad Curam te traxit, magna cordis latitudine, a cõfidenti animo huic oneri humeros tuos submitte, certus de Diuina protectione.

VI. Ante omnia para teipsum ad labores, ad incommoda, ad ærumnas, non verò ad otium, & quietem. *Miles dormit,* inquit D. Io Chrysost. *non in lecto, sed humi, piscator non dormiens, sed stans aliquando totam noctem peragit, Agricola omnem exhibet vigilantiam, ne vinea Domini lædatur, & Pastor sub dio stans noctem consumit gregem custodiens. Si verò tanta cura de irrationabili pecude, qualis esse debet cura ac rationabili anima solicitudinem gerentis.* Homil. 24. ad pop. Antioc.

PASTO-

DE CVRA ANIMARVM.
PARS SECVNDA.

Pastorem animarum totum esse Deo consecratum.
Caput Primum.



HACTENVS de ijs, quæ curæ pastoralis naturam, & conditionem proximè comitantur: Nunc de his, quibus seipsum munire, & instruere debet Parochus, vt muneri satisfaciat, quo cum ipso Deo obstringitur; cùm animarum regimen, & præfecturam suscepit. Hic enim primus, ac præcipuus respectus est, quò omnia refferri debent. Neque enim dubitari potest, quin tunc peculiari quadam ratione se totum Deo dedicet, & consecret, cui in tanto ministerio se cooperatorem, & ministrum offert: quæ quidem oblatio, etsi non in humili dignitatis colle constituta sit, quia quicquid Deo dicatur, quo strictiori eidem adiungitur nodo, eò altius sibi fastigium aquirit, maximã tamen inducit obligationem, quia si eius vult esse, cuius esse debet, & cui seipsum donauit, ex eius etiam nutu, & voluntate totam vitam, actionesq; singulas dirigere debet: & quoniam hic error est multorum, vt putent etiam in hoc statu licere sibi pro libito vitæ rationes moderari, his planè ostendendum est, quàm longè aberrent à recto rationis tramite.

Hæc autem procul dubio est, se tot rationibus Christo esse obnoxiũ, vt nihil in seipso supersit, quod sine domini nutu, & imperio possit, vel quidem moueri. Pudet hoc pluribus confirmare, cùm pomeridiana luce clarius sit; triplicem enim personam Parochus induit, christiani scilicet hominis, deinde sacerdotis, postremò rectoris animarum. De prima obligatione, quæ omnibus Christi fidelibus conuenit, nihil hìc dicendum, cum nullus ferè sit, qui Dei dominium in seipsum totum non agnoscat, cùm ratione creationis, tum redemptionis, vnde Paulus: *Non estis vestri, empti enim estis magno pretio*: tum ratione premij, quod eiusmodi est, vt totos nos requirat, cùm totum se in eo Deus nobis donet; tum

1. Cor. 6.

tum etiam ratione professionis, quia illi soli nos consignauimus, cùm primo sacro fonte renati sumus, abrenunciantes Diabolo, Mundo, & pompis eius. Hùc spectat illud D. Bernardi de quadruplici debito, *Totum, inquit, quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuo Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi ministrat sydernm cursus, aeris temperiem, fæcunditatem terræ, fructuum vbertatem. Huic re vera totis medullis seruiendum.* Quod si hæc tàm arcta obligatio tot nominibus cuilibet Christiano indicitur, qualis erit sacerdotis, qui ad hoc munus ab ipso Deo institutus est, vt peculiari modo totus foret Deo dicatus, & sacer? fuit hoc satis manifestè expressum illo Numerorum, vbi de Leuitis agens, hæc Moysi præcepit Deus. *Statues Leuitas in conspectu Aaron, & filiorum eius, & consecrabis oblatos domino, ac separabis de medio filiorum Israel, vt sint mei.* Totum Deo consecratum decet esse, quod eius seruitio, & ministerio additum est; quapropter volebat Leuitas primo seipsos offerre, deinde consecrari; denique tanquàm quid sacrum, & diuinum à reliqua turba seiungi, & separari; Quod si veteres Leuitas eo modo expurgatos Deus volebat, quid de nostris sacerdotibus sentiendum est? sanè qui tàm sacrosancta ministeria tractat, totum integrum, & impollutum esse opportet, purum mente ob eminentem sanctitatem, quam dignitas sacerdotalis exposcit, purum etiam corpore, quia illud ore proprio diuinæ Maiestati dedit, & donauit, cùm solenni voto perpetuæ continentiæ seipsum adstrinxit. Duo autem hæc voti obligatio, & necessitas importat, alterum quidem, vt corpus cum suis actibus ita Deo mancipatum remaneat, vt illius motus, & sensus ex diuino imperio dirigantur, alterum verò, vt qui corpus suum commaculat, sacrilegè faciat, quia rem Deo sacram violat, sicut qui vasa sacra diuino cultui dicata in profanos, & inhonestos vsus conuerteret; quare nulli relinquitur ambigendi locus, quin Sacerdotis corpus, & anima sit Deo peculiari quadã ratione sacrata tum ob muneris sanctitatem, tum ob voti naturam, & conditionem.

De quad. deb.

Num. 8.

Cæterùm huic obligationi, quæ oĩbus quidem sacerdotibus propria est, illa etiam superadditur, quæ ex cura animarum trahit originẽ, quæ quanta sit militis, & mulieris exẽplo egregiè explicauit Chrisost. *Nunc, inquit, nihil in te penitus tui iuris est, qui tanto Imperatori militare cæpisti. Nam si mulier corporis proprij potestatem non habet, sed vir: multo magis ij, qui Christo potius, quàm sibi viuunt, conditionem sui corporis habere non possunt;* miles enim vbi militię nomen dedit, ita se Duci suo tradit, vt illi milite suo, tanquam re sua, iuxta militiæ præscriptum, vti liceat; nam, & mittere, & reuocare, vitæ discrimini, vbi belli necessitas vrget, exponere potest, & si reluctetur, vel terga vertat, aut otietur, cùm est in acie standum, grauiter punire potest. quæ dominij ratio illi conuenit, quia miles se illi subiecit, viuitq; suis stipendijs, multo magis Curator animarũ, qui Christi patrimonio alitur, illiq; tanquàm militem sponte se adiunxit ad expugnandum Dęmonem à fidelium cordibus, omnia vitæ suæ studia, vigilias, & labores illi omni prorsus iure debet in hoc tàm præclaro militiæ genere.

Epist. ad Theo. mi.

Præterea sicut in magna domo præter patremfamilias, Matrem etiã esse opportet, quæ filios ablactet, foueat, & alat; ita in Ecclesia præter Christum, qui communis est omnium parens, à quo omne donum optimum, & omnis sufficientia nostra est, sunt Pastores tanquam spirituales matres animarum, qui Christo iunguntur ad spiritualem sobolem fouendam, & propagandam, *Fœlix sanè partus*, inquit, Hieronymus, *in quo peperimus non carnis liberos, sed spiritus, vt ab Isaia dictum est. A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus spiritum*. Concipit Pastor ex Deo, & non sine labore tunc filios procreat, cùm è morte peccati edit in lucem gratiæ. Sicut ergo in vulgaribus coniugijs hoc solenne est, vt mulier non habeat potestatem sui corporis, sed vir eius, vt scriptum est à Paulo. Ita Curator animarum totam corporis sui, & animæ libertatem transfert in Christum, cui perpetuò coniunctus esse debet in hac spirituali sobole procreanda. Itaque non est, quod queratur, si nimio laborum pondere se premi sentiat, non est quod proprij corporis commoditates quærat, quia quicquid est in matre pro viri sui voluntate, & filiorum commodo totum impendendũ est; sic enim considerare debet non esse sui iuris, sed omnia corporis membra esse Deo dicata in animarum commodum. Hæc si vera sunt de corporis oblatione, quæ terrea moles est, quid de anima cum suis actibus, & potentijs, cuius cælestis est vigor, & origo? Primo namq; Parochus qui animas regit, tradit Deo voluntatem, quod est omnium maximum tum ob frequentes, & penè assiduas abnegationes, quæ passim occurrunt, tum quia, cùm Dei voluntas sit regula recti, & iusti, nisi Pastor in hoc tam difficili, & laborioso opere velit à linea deflectere, iuxta hanc Dei voluntatem, actiones suas dirigere debet. Donat vitam, quam totam pro Dei seruitio tot periculis, & laboribus exponit; donat opera omnia vitæ studia, vigilias, labores, exercitationes, denique, & animam suam, cùm pro Dei obsequio, & salute animarum tanto oneri supponit: quid igitur restat in Pastore, quod non sit Deo dicatum? Quamobrem in hac tam perfecta oblatione Pastoris fit illud idem, quod in holocausto fieri solere sacræ literæ tradiderunt, quod pro Leuitis offerebatur; illo enim non vacca, seu aliud quoduis animal immolabatur, sed bos masculus, & immaculatus, quem offerens ad ostium tabernaculi ducebat, & impositis manibus super caput eius, quasi se abdicãs dominio hostiæ in signũ diuini amoris, & in reuerentiã infinitæ maiestatis iuri, quod super oblatum bouem habebat, spontè, & liberaliter remittebat, deinde Sacerdos immolabat victimam, cuius sanguinem filij Aron accipientes per altaris circuitum effundebant, & in hac ipsa effusione libabant. Tandem detracta pelle hostiæ, & artubus eius in frusta concisis, aqua lotis, & super struem lignorum non sine ordine collocatis, ignis subijciebatur, qui hostiam adoleret, & holocaustum constitueret. Quæ expressior esse poterat huiusce oblationis descriptio? Bos enim Euangelici operarij typus est, & figura, sic eum appellat Paulus. *Non alligabis os boui trituranti, numquid de bobus cura est Deo, an propter nos vtique hæc scripta sunt?* Masculus huiusmodi bos esse debet, scilicet talis, qui fœmineam imbecillita-

Lib. 8. in Is. Cap. 26.

1. Cor. 7.

Num. 8.

1. Cor. 9. ex Deut. 25

tem exiens, idoneus sit ad laborem, & ad sustinendum pondus diei, & æstus; immaculatus pariter, nulla sui parte carens, nulla peccati labe quantum humana fragilitas permittit, infectus. Fit autem hæc oblatio spiritu tantum, nec cuiuscunque Sacerdotis manus hanc attingit victimam, nisi ille idem, qui est Sacerdos, & victima; ipse sibi solùm manus imponit, cùm se Deo offert in ministrum, & coadiutorem animarum, spontè suo se abdicat dominio, omnium se seruum constituens, vt omnes lucrifaciat. huius denique victimæ omnia, flamma diuinæ dilectionis cremari debent ita vt Pastor sibi moriatur, viuat autem Deo. Huius tam præclari holocausti viuum simulacrum admirati sumus in D. Carolo, qui ita perfectè Deo se totum tradiderat, vt nihil terreni præseferret præter pellem, quæ ossa ipsa sibi cohærentia vestiebat, & præter externam hominis speciem; cætera Dei amor, & zelus salutis animarum consumpserat, vt verè posset à D. Paulo illa mutuari, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*.

Sed quid vmbras, & figuras afferrimus, si rem ipsam, hoc est, expressam Christi voluntatem ante oculos habemus, qui antequam Petrum ouium suarum curæ destinaret, hoc ab ipso sui ipsius holocaustum postulauit, cùm quàm intenso se diligeret amore, interrogauit, *Simon Ioannis diligis me plus his; pasce oues meas*. non dixit, *diligis oues meas, pasce illas*, quod consectarium videbatur, vt quos diligeret, amore duce educaret, illisq; omni obsequio, & officio præsto esset, sed *diligis me plus his*, quia neutiquam dignus est, cui Deus consignet cor suum, scilicet animas, qui prius se illi totum non obtulerit; Neque postulauit à Petro seruitutem, sed amorem, non vt Petri Ministerium excluderet, sed vt perfectionem talis Ministerij magis commendaret, quia amor nos Deo perfectè tradit nulla sui parte retenta.

Quare, vt concludamus, Pastor cùm primo venit ad curam animarũ existimare debet, se non esse amplius sui iuris, sed Dei, & respicere vitã suam, salutem, honorem, non vt propria, sed vt commodata, vt ea in obsequium Dei impendantur, ideò aliud cor, & alia mens effingenda est, Si enim Sauli à Samuele, qui vnctus fuerat in regem productum fuit, statim fore, vt insileret in eo spiritus Domini, mutareturq; in virum alterum, quod etiam factum est; cur non magis hæc mutatio in pectore Sacerdotis fieri debet, cùm ad præstantius, & illustrius ministerium deputetur, & eleuetur? O vtinam, omnes custodes animarum eò peruenirent, vt seipsos recogitarent, non tanquã suos, sed Dei, sic enim ad profanos vsus, & secularia negotia non transirent. est regula iuris. *Quod semel Deo dicatum est, non est ad vsus humanos vlterius transferendum*. 1. Reg. 10. c. semel. de reg. iuris lib. 6.

Rectè Curato conuenit, quod Iethro Moysi olim consuluit, qui vidẽs Moysen in litibus circa secularia componendis occupatum, hoc tanquam tanto viro indignum, & ab officio suo alienum iudicans, dixit. *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris: audi verba mea: Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur, ad Deum, prouide autem de plebe viros prudentes qui vindicent populum in omni tempore*. Nesciò quid aptius Sacerdoti dici possit, si enim lucris vacat, stulto labore consu- Exod. 18.

I 2 mitur

mitur; non hoc Sacerdotum, sed mercatorum est, si in rebus secularibus occupatur, stulto labore consumitur, nō enim hoc est Sacerdotum, sit tantum in his, quæ sunt ad Deum, in his immoretur, hæc tractet, hęc sua sunt negotia, hęc munia.

Qualis amor Curatoris animarum esse debeat in Deum. Cap. II.



SI itaque boni ratiocinatores in nostrę salutis negotio esse voluerimus, ex pastorali munere tantam obligationem oriri videbimus, quantam non quilibet amor, & charitas persoluere potest, sed planè talis, quę tanto debito saltem aliqua ex parte respondeat, *Quia* (inquit D. Bernardus:) *Cùm ei donauero quicquid sum, & quicquid possum, nonne istud sic est, sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum?* Ea tamen est diuinę misericordię conditio, vt sibi putet abundè satisfactum, si id, quod sumus, offeramus. Hic igitur est amor, cuius igne Pastoris pectus exardere debet, vt scilicet toto corde, tota anima, & virtute, quanta est, in Deum suum tantùm intendat, ita enim fiet, vt qui cęteris officio pręlatus est, cęteris etiam in amore pręstantior, & in omni virtute pręferatur.

Serm. de quatr. deb.

Est enim Ecclesia nobilissimę Reipublicę typus, & exemplar, in qua prętet promiscuum hominum cœtum, pręter communes ciues, est & aliud hominum genus, quod perfectionis, & nobilitatis nomine antecellit, atque hoc idem *electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis* Apostolorum princeps appellauit. Sed D. Bernardus animę nobilitatem, & gradum à sola charitate ęstimēdam esse optimè docuit, itaut si magna sit Sacerdotis charitas, magnus & ipse censendus sit, si parua, paruus, si nulla, nihil sit, teste Apostolo, *Si charitatem non habuero, nihil sum*. Non igitur dignitatis gradus, non oppulentiores redditus, non prætiosæ vestes, prælatum animarum magnum reddunt, sed charitas, quæ gradui, & dignitati personæ respondere debet. Quare sicut cęli, à quibus terra lumen accipit, & calorem, sunt ipsa terra, splendore, & calore celsiores, sic Pastorem amore, & charitate alios superare præstat. Melius etiam hoc idem conuincitur ex illa intima coniunctione cum Deo, quæ esse debet in Pastore animarum, quia cùm ad singularem vitæ sanctitatem, & perfectionem teneatur, hæc perfectio nequaquam sine hac coniunctione cum Deo acquiri potest, vnimur autē Deo per amorem, nam qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eò. Ad hoc tamen non qualiscunque amor sufficit, sed adeò intensus requiritur, vt illum intime Deo coniungat per affectum, sicut intimus est, per muneris dignitatem. *Verus amor* (inquit D. Bernardus de diligendo Deo) *mercenarius non est, sed se ipso est cōtentus. Habet præmium, sed illud quod amatur, nam quicquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quod amoris*

Ser. 17. in Cant.

1. Cor. 13.

1. Io. 4.

vis

bis pertendit, non per quod tendit. Paulus non euangelizabat, vt comederet, sed comedebat, vt euangelizaret, eo quod amet non cibum, sed euangelium. Verus amor præmium non requirit, sed meretur, præmium sanè nec dum amanti proponitur, amanti debetur, & perseueranti redditur, sic Bernardus. Talem igitur oportet esse Pastoris charitatem in Deum, vt contemptis proprijs commodis, solam diuini honoris propagationem, & salutem animarum quærat, earum solum detrimentis doleat, & gaudeat incrementis. Nec profectò dignus est officio pastoris, qui supremo omnium pastori Deo vna cum D. Petro dicere non cupiat. *Tu scis Domine quia amo te, & animam meam ponam pro te*; talis amor est, qui coniungere Deo pastorem debet, quo, vt ipso inebriatus animus oblitus sui, *Factusque sibi ipsi tanquam vas perditum*, (vt D. Bernardi verbis vtar) *totus pergat in Deum, & adhærens Deo, vnus cum eo spiritus fiat, & dicat, Defecit cor meum, & caro mea, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Ser. 31. in Cant.

Licet etiam idem concludere ex singulari ipsius Dei amore in pastorem, si enim rem, æqua lance, metiri velit, facilè intelliget, nullū apertius diuini erga se amoris testimonium esse posse, quàm, quod illū tanti fecerit, vt in custodem animarū elegerit. Si enim Dauid, dum Michol se irridentem, & subsannantem aspiciebat ita gloriatus est: *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum, vt essem Dux super populum Domini Israel.* Et alio in loco, *Elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, & de post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam*; qualis gratitudinis sensus esse debet in spirituali duce animarum? Quare nisi ingrati animi notam subire velit, cur non moueri debeat ad amandum Deum, qui tam munificus in ipsum fuit, vt hac ratione aliquam saltem amoris vicē referat. Quocirca ter Christus Petrum de amore interrogauit, vt declararet, quanti oues suas faciebat, quas volebat illi committere, nisi ter examinato, atque optimè explorato, an se plusquam cæteri, diligeret; quia amatas oues Christus nunquam commisisset non amanti, rectè censuit Bernardus. 2. Reg. 6. Psal. 77. Tract. de con. ad cle.

Sed hoc etiam manifestum est, Curatorem animarum, nulla alia virtute ita perfici, sicut hoc Dei amore, & charitate, sine qua omnis illius labor vanus, & futilis est; perficitur enim intellectus, quia quò magis quis per amorē ad Deum accedit, eò magis illuminatur, & sancti Deū diligendo plusquam legendo didicerunt, & experimento constat Ecclesiæ magis profuisse, indoctam aliquorum Sacerdotum charitatem, quàm eminentem sine charitate scientiam, quia scientia sine charitate inflat.

Perficitur etiam voluntas, quia si Christum in alijs formare debet, in se ipso prius concipere debet. Neque quis alios ad Dei amorem incendere potest, qui prius tali amoris igne succensus non sit; propterea Bernardus indignum prorsus eum existimat, cui animarum cura committatur, qui in cella vinaria charitatis non æstuauerit vino dilectionis, quique prius non didicerit amare, quàm portare. Vt enim plantæ, fructus non faciunt, nisi creuerint prius, nec animalia generant, nisi Ser. 23. in Cant.

in adulta ætate, Sacerdos vt magnos fructus faciat, spiritualesq; filios Deo pariat, iam in hac dilectione creuisse, & adoleuisse debet.

At hæc singularis dilectio in Deum, quàm in Pastore desideramus, non in eo profectò consistit, quod dulcius, & tenerius afficiatur in Deũ, in feruore orationis maiorem suauitatem, aut cõsolationem percipiat, sed potiùs in hoc, quia puriùs viuat, acuratiùs in omnibus diuinę se conformet voluntati, & pro eiusdem seruitio magis elaboret, & solicitetur. Meritò sanè D. Bernardus amorem istum *dulcem, & seductibilem vocat*; dulcem, quia mirabili suauitate inebriat; seductibilem verò, quia solet nonnunquam in corde nonnullorum, non eius culpa, quia bonus est, sed ipsorum ignauia, & negligentia primas sedes occupare, nec vlterius se ad opera extendere. Non in affectibus solum, sed etiam in effectibus vera Dei dilectio posita est, nec enim verbis, sed factis, amoris veritas comprobatur, teste D. Io. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*, Nam & Clemens Alexan. virum, Deum verè diligentem, describens, ab eo non nuda desideria, neque affectiones ieiunas, sed malorum tolerantiam, virtutum exercitationem, mundi contemptum, & in Dei, & aliorum seruitio mentem indefessam exquirit.

Ser. 20. in Cant.

1. Io. 3.

Lib. 7. Stro.

Diligendus est igitur Deus à Pastore, at non lingua tantùm, aut verbo, sed operę, & veritate, itaut nihil sit adeò illi carum, quod pro eius amore libenter non abijciatur, & contemnatur; nihil etiam adeò laboriosum, & durum, quod alacriter, & constanter pro Dei causa non toleretur.

Et hæc erat dilectio Pauli, vt illius verba indicant. *Quis separabit nos à charitate Christi, tribulatio, an angustia?* & subdit longè maiora, *certus sum, quod neque mors, nec vita poterit me separare à charitate Christi*, in quem locum D. Chrysostomus. *Neque si quis mihi* (sic ille exponit) *mortem perpetuam illam nullo fine terminandam minaretur, vt à Christo separarer, neque si promitteret fore; vt vitam illam vllo fine destituam producerem, neque hanc quidem conditionem admitterem, hoc igitur Paulo ipsa gehenna terribilius erat, sicut in Dei amore persistere, & regnum cœlorum desiderabilius erat illi. Quid igitur de nobis dicendum, qui nec præsentem vitam despicimus, nec pecunias propter Deum contemnimus, Paulus propter Christum omnia ingenuè ferret?*

Rom. 8.

Homil. 15. in epist. ad Rom.

Hoc itaque amoris igne accensus sit Sacerdos, hic enim ad perferendos quoscunque labores pro Dei famulatu, vires præbebit; nam verus in Deum amor, nomen difficultatis, & laboris non admittit, labor non fatigat amorem, tormentum amorem non superat, amor quiete fit inquietior, & quemadmodum magna lignorum strues, quæ ob ponderis grauitatem portari nullatenus potest, si tamen adhibeatur ignis, & in cinerem redigatur; facillimè adsportari poterit, ita animarum cura onus graue est, sed si adsit ignis dilectionis, & charitatis, leuissimum erit, ob id Christus dixerat. *Qui diligit me sermonem meum seruabit*.

Studeat in omnibus placere Deo. Cap. III.



PRæstantissimus diuini amoris effectus est, si qui verè Deum diligit, illius etiam voluntatem, & obsequium tantummodò quærat, illiusq; oculos attendat, quia: *vera charitas affectus est, non vero contractus* (inquit egregiè D. Bernar.) *nec vacua esse potest, nec tamen mercenaria, nec quærit quæ sua sunt, nec acquiritur pacto, nec acquirit, sponte afficit, & spontaneum facit*. Quare non est satis Parocho ad amorem Dei indicandum, illius causa magna operari, & multa molesta pati; nisi adsit etiam hæc voluntas firma illi soli placendi, & seruiendi in omnibus. Duas enim genas in sponsa Christus laudat, quia non tam operis substantiam, quàm operantis intentionem commendat, neque ad oblectandos Dei oculos vnam habere sat est, inquit Bernardus, sed habeat vtramque, vt de ea dici possit: *pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis*. Atque hoc est Deo fideliter, & amanter seruire. Ita Samuel describens, qualē seruum requirat Deus, inquit: *Seruite Domino, & timete eum in veritate, & ex toto corde vestro*. Vbi D. Gregorius: *Qui de bono opere temporalem mercedem expetit, Deo in veritate non seruit, quem falso proposito in sua operatione non diligit. Qui autem in veritate seruire Deo cupiunt, totum cor in diuinis obsequijs ponere debent, vt sic, quæ Dei sunt, agant vt nihil suæ menti quod Dei nutibus repugnet, inhærere patiantur*. Idem monuit D. Bonauentura de circumspectione agens, quā quilibet Rector animarum habere debet in suis actibus: *De bonis, quæ facit, vel promouet, gloriam ab hominibus non captet, nec sibimet exinde immoderatè placeat, solius Dei beneplacitum in omnibus quærens, vt quæ pro eo facit, idest vice Dei, etiam pure faciat propter eum, & ipsius amorem*. Quò etiam spectat quod à Laurentio Iustiniano, sapienter scriptum est de regimine Prælatorum. *In cunctis operibus quicunque animæ salutem exoptat, intentionis suæ componat obtutum, & ad illum, quem diuina lex mandat, dirigat finem vt non casso labore desudet; parum quidem prodest in alto dignitatum fastigio residere, populorum multitudinis præesse regimini, ardua tractare negotia, cum principibus, & Regibus familiariter conuersari, sanctitatis, ac scientiæ celebre nomen aquirere, & obliqua intentione hæc agere*. Vide, quàm egregiè delineauit Prælati voluntatem. Quòd si nostra mens adhuc in hac tabula hæsitaret, certè Christi seruatoris linea, ad cuius normam omnes humanas actiones metiri debemus, non sinet à recto tramite deflectere, quæ nobis veluti exemplar ante oculos posita palam profitetur, & prædicat, se non gloriam suam quęsiisse, sed eius qui se miserat, patris.

De dilig. Deo.

Ser. 40. in Cant.

1. Reg. 1.

5. in lib. Reg. c. 2.

De sex alis c. 7.

Cap. 23.

Ratio ipsa hoc idem conuincit, si quis enim famulum, aut seruū mercede conduceret, vt sibi in re aliqua inseruiret; ipse autem omnia contra Domini voluntatem ageret, quis vltrà illius tam auerso vteretur seruitio? etenim si heri nutritur impensis, & alitur, etiam illius voluntati obsequatur par est, modò imperando ab æquitate non discedat. *Infideles dispensatores sunt* (inquit D. Thomas.) *Qui in dispensandis diuinis mysterijs non intendunt vtilitatem populi, & honorem Christi, fideles autem, qui in omnibus*

In 1. Cor. 4

bus intendunt honorem Dei, & vtilitatem membrorum eius. Quæ autem perfidia maior, quam si legatus missus à Principe, vt sponsam Domino suo procuret, eam sibi cum summa illius iniuria assumat? Non sic Abraham, seruus fidelis, qui ingressus domum Rebeccæ, cùm appositus esset
Gen. c. 24 sibi cibus, *non comedam*, ait, *donec loquar sermones meos*. Dei igitur obsequium tantum quærendum est.

Atque animus hic Deo in omnibus gratificandi, præterquàm quod amoris, effectus est, dignus qui à Sacerdote, Deo suo offeratur, non carret sua mercede, quia etsi sine præmio Deus diligendus est, non diligitur tamen sine præmio, neque liberalissimus Dominus largitate, & humanitate se à quoquam superari, & vinci patitur: duo enim ad meritũ necessaria sunt, vt res quæ agitur à charitate procedat, & propter Deũ fiat, quare si hæc intentionis rectitudo, & puritas adsit in Sacerdote, omnia illi pretiosa erunt, & Deus ad meritum, & ad mercedem copiosam computabit: impetrabit etiam maius auxilium, & gratiam, quia, qui radicitùs euulso quouis humano respectu animarum causam tractat, hoc facit, vt totum negotium solius Dei sit; vnde & eundem ad se
Lib. 9. epist. 57. protegendum efficacius permouet. *Facite* (inquit Bernardus) *quod Dei est, & Deus faciet, quod vestrum est*: Deinde hoc studium, & desiderium placendi Deo hoc etiam efficiet, vt leuia, & facilia illi videantur incommoda omnia, quæ in animarum regimine tolerari solent, exemplo Iacob, cui labores, & ærumnæ septem annorum in seruiendo Laban dulces, & faciles videbantur præ amoris magnitudine, quo in Rachelem affectus erat.

Tandem (quod vim habet non exiguam) nouerit Pastor, se quousq; super candelabro positus est, spectaculum factum esse Deo præsertim, & hominibus, qui ex aduerso opera sua spectant, Deus quidem vt præmiator, homines verò vt lattones, qui operum nostrorum merita diripiunt, suntque ad remunerandum imbecilles, & impotentes. Eligat mo
Hom. 19. in Matth. dò Sacerdos, cui magis placere, & labores suos consecrare velit. *Maxima stoliditatis est* (inquit D. Chrysostomus) *vt ad spectandas virtutes eius, Rege properante, Regem quidem relinquat, ab egenis verò, & mendicis spectari velit,*
Hom. 17. in ep. ad Rom. *& ab eis potius laudem requirat. Certè omni iure* (inquit idem Chrysostomus) *seruus ad heri sic oculos respicere debet, mercenarius ad Dominum operis sui, discipulus ad magistrum. Qui contra facit, Deum qui remunerat, dominumq; relinquet.* Athleta vbi certat, ibi etiam probari cupit; Sacerdos autem cùm in superioribus certet, in inferioribus tamen præmiari cupit; & quidnam poterit hac amentia peius esse? magna profectò insania est, amplissimum Dei conspectum repudiare, & hominum oculis magno labore
Hom. 5. in Gen. in fin. inseruire. *Non vides*, idem met Chrysostomus, *in equorum iugis quomodo hi, qui equos agitant non aduertunt plausum populi assidentis, & celebrantis, neque ex eo plausu voluptatem capiunt, sed ad vnum solum aspectant Regem in medio sedentem, & ad nutum illius attendentes totam multitudinem despiciunt, & tunc solum omnino extolluntur, cum ille eos coronauerit. Hos igitur & tu imitaberis, non magni momenti facito hominum famam, neque propter eam exerceas virtutem, sed à iusto Iudice sententiam expecta, & ad illius nutum intentus esto*; Cæterùm Sacerdotibus

cerdotibus huiusmodi lepidum dictum cuiusdam viri Romani optimè congruit, qui irridens Neronem Imperatorem animi gratia piscātem, non quidem hamo ferreo vti assolet, sed aureo, dixit, *vt quid perditio hæc. Piscis oboli pretium non excedit, & sapè secum aureum hamum decies plus valentem in profundum absumit*. Sic Sacerdos aureis operibus inanem auram, dum expiscatur, æternam gloriam perdit.

Itaque diligens studium in hac intentionis rectitudine ponendum est, vt Parochus tanquam Aron deferat in fronte mētis semper auream laminam diuini honoris, in qua sit sanctissimum Dei nomē insculptum, idest Deum solum spectet, atq; in eum se totum dirigat. Pro qua mentis rectitudine optimum erit, si in exordio cuiusque diei magno quodā spiritus feruore quæcunque illo die, & in posterum est præstiturus, ritè Deo offerat; neque enim ex Theologorum sententia ad meritum, necessarium est, vt opera singula actu in Deum referantur, sed sufficit, vt ex habitu, modò ex charitate procedant. Si discutiat se Sacerdos sæpius, vel initio, vel in progressu, vel in termino diei, an in actibus suis terreni aliquid, & imperfecti adhærescat, illudq; per actum contrarium tollat, & expurget. Si Sathanæ insidias, quibus hominum intentionem deprauare studet, & operum merito insidiari, exploratas habeat, vt illis occurrere posiit, quæ præsertim his verbis à D. Gregorio deteguntur. *Sciendum enim est, quod bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur, vt videlicet hoc, quod rectum coram hominibus agitur, in interni Iudicis conspectu vitietur. Aliquando namque in bono opere intentionem polluit, vt omne quod in actione sequitur, eo purum, mundumq; non exeat, quo hoc ab origine perturbat, aliquandò verò intentionem boni operis vitiare non præualet, sed in ipsa actione se quasi in itinere opponit, vt cum per propositum mentis securior quisque egreditur, subiuncto latenter vitio quasi ex insidijs perimatur. Aliquando verò nec intentionem vitiat, nec in itinere supplantat, sed opus bonum in fine actionis illaqueat, quantoq; vel à domo cordis, vel ab itinere operis longius se recessisse simulat, tanto ad decipiendum bonæ actionis terminum astutius expectat, & quo incautum quemque quasi recedendo securum reddiderit, eò illum repentino nonnunquam vulnere durius, insanabiliusq; transfigit*: hucusque Gregorius, sed nihil vtilius, quam si Sacerdos in amore Dei proficere studeat ex D. Bernardi doctrina. *Qui perfectam habet charitatem, prædicet, fructificet, innouet signa, immutet mirabilia, quia non est, quo se immisceat vanitas, vbi totum occupat charitas*.

Bonau. 2. sen. dist. 41 ar. 1. q. 3.

Lib. 1. mor. c. 37.

Serm. 15. in Cant.

Curator animarum minimas quasque culpas, quantum potest, vitet. Cap. IIII.



Vemadmodum ea corporis pulchritudo, quæ aliqua naturali macula, vel inualetudine inficiatur, nec excellens iudicatur, nec amantium oculos auide ad sui amorem pertrahit; sic Sacerdos nunquam ante Domini sui conspectum planè formosus apparebit, nisi quantum per diuinam gratiam potest, non modò à magnis, & granibus, delictis, sed à minoribus

etiam, & leuioribus culpis se custodiat ne quid habeant diuini oculi; quod accusent, & damnent. hoc sibi vendicat amoris perfectio, quæ esse debet in Pastore erga Dominum suum; est enim amor veluti quædam purissima, & splendidissima lux, quæ lethalium peccatorum tenebras horret, & leuium vmbram refugit; & qui verè diligit, nec in minimis, nec in magnis eum lædit; quem vnice amare debet. Et quamuis ob originalis peccati pœnam, quamdiù hìc viuimus, sine aliqua peccati labe esse non possimus, quia gratia Dei, licèt sanet mentem, non tamen omnino reparat carnem, dicente Paulo: *Ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*: cauendum tamen est, ne eorum numero, & duratione grauemur multis de causis.

Rom. 7.

Primo, quia & si leuissima culpa amicitiam Dei non tollat, prohibita tamen, & mala est, & quantum est in se, serenitatem diuinæ mentis conturbat. *Neque peccata contemnenda sunt, quia parua* (inquit D. Ambrosius;) *quia si Deum spectemus, nulla offensa quæ in Deum cōmittitur, leuis reputari debet*. Quæ causa fuit, vt sanctissimi viri tam grauibus pęnis, & diuturnis minimos quosque defectus in se ipsis castigarint, quia quò magis quis ad Deum accedit per amorem, eò magis etiam perhorrescit, ea quæ illius mirabilem dulcedinem perturbare possunt, cùm dicat D. Augustinus. *Leuia peccata ita decus nostrum extenuare, vt ab illius sponsi speciosi præ filijs hominū castissimis amplexibus separare possint, & quamuis animā lethali vulnere non afficiant, efficiunt tamen maculosam, & veluti scabie infectam*. Quin & Spiritus sancti testimonio comprobatur, vbi ait, *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Atque hinc est, quod multi Sacerdotes sunt in oratione segnes, & frigidi, in diuinis sacramentis tractandis nulla interna dulcedine irrorantur, sed incalescunt, & quasi insensibiles fiunt, quia negligunt minuta quædam peccata euitare, quæ postea tamquam cinis viuus aspersus carbonibus, tum splendorem, tum ardorem impediant charitatis.

Epist. 25.

Lib. 50. Hō. cap. 3.

Eccl. 19.

Quin etiam hoc efficit verus amor, vt ei vehementer cupiat assimilari, quem vnice diligit, quia, cùm amor Dei naturam hominis ita non immutet, vt humanam exuens, diuinam aquirat, hoc efficit in affectu, vt saltem in se ipso Deum, quem diligit, quantum potest, & quantum licèt exprimere studeat. Animaduertit hoc D. Chrysostomus, dum ait: *Viuit in perfectis Deus, & illi transformantur in ipsum, non quia naturam humanam perdunt, sed quia similitudinem quandam diuinæ sanctitatis induunt, & immunditiam peccatorum abijciunt*. Sed in quo posita sit hæc Dei imitatio, & similitudo his verbis indicat D. Ambrosius. *Hoc est similem esse Deo, habere iustitiam, habere sapientiam, & in virtute esse perfectum; Deus enim est sine peccato; ideò, qui peccatum fugit, ad imaginem Dei est.*

In epist. ad Galat. 2.

De fuga seculi c. 4.

Secunda causa est ex dignitate Pastoris, quia vt inquit D. Isidorus. *Peccata quæ incipientibus leuia sunt, perfectis viris grauia reputantur; & tanto maius cognoscitur esse peccatum, quantò maior, qui peccat, habetur; crescit enim delicti cumulus iuxta ordinem meritorum*; quo sensu præclare etiam dictum est ab Ambrosio. *Non mediocris virtus sacerdotalis est, cui cauendum non solum ne* ... *graui-*

Lib. 21. de summo bono c. 18.

Lib. 10. ep. 82.

grauibus vitijs sit affinis, sed ne minimis quidem. Et quo splendidior est vestis, (inquit D. Gregorius Nazianzenus) *eò manifestiores in ea sordes apparent.* Quare meritò Sacerdotes illi arguendi sunt, qui putant sibi sat esse, si à læthalibus, & grauibus culpis tantum abstineant. Quid impedit, inquiunt, isti, quo minus his rebus indulgeamus, quæ mortem animæ non inferũt, oblectant tamen sensum; quia longè alius sensus esse debet veri Sacerdotis, si summam obligationem, & dignitatẽ suam attendat, quod enim parum est, & leue, quod Deum offendit, virtutem extenuat, & à Deo æquissimo Iudice tàm magnis, & acerbis Purgatorij flammis vindicatur: cadit in Sacerdotes huiusmodi illa D. Hieronymi obiurgatio. *Neque verò eorum te, seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt, quæ potissimum Dei mandatum contemnant, quæ verò quasi vilia, ac parua despiciant; nec metuunt ne secundum diuinam sententiam minima contemnendo paulatim decidant. Stoicorum quidem est peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare nec vllum inter scelus, & erratum discrimen facere. Nos verò etsi inter peccata multum distare credimus, tamen satis ad cautionem prodesse dicimus etiam minima pro maximis cauere. Tanto enim faciliùs abstinemus à quocunque delicto, quanto magis illum metuimus, nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat. Et sanè nescio an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur, estq; prudentissimus, qui non tam considerat, quid ipsum sit, quam illum, qui iusserit, nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat dignitatem,* hæc omnia apposite Hieronymus contra hominum istorum temeritatem. Sed illud præcipuum est, vt qui in admittendis huiusmodi peccatis inuerecundus, & facilis est, meretur à Deo derelinqui, & in maiora pro labi, sicut scriptum est. *Qui in modico iniquus est, in maiori iniquus est.* Et sicut minores aulicorum in curiæ, quę ex amoris defectu, & irreuerentia procedunt, ita solent Principis animam prouocare, vt illos etiam à suo obseqnio repellat, ita, qui Deum offendere non dubitant, eo colore quod non læthaliter lædant, Dei indignationem ita excitant, vt iusto iudicio eos in mortalia, & grauia peccata præcipites ruere permittat, cùm hoc etiam certum sit: *Neminem* (vt inquit D. Chrysostomus) *de repente ad summam improbitatem insilire, sed ex paruis magna fieri ex nostra negligentia & ex tentantis calliditate & astutia; quia ex talibus rebus modum adinuenit nostri interitus, & exitij.* Et alio in loco. *Mirandum, & inauditum audeo dicere, quod, scilicet, non tanto studio maiora, grauioraq; peccata, quàm parua esse vitanda: maiora enim: vt auersemur ipsa per se sufficiunt; minora verò dum contemnimus, obruunt nos.*

Orat. 31.

Ep. ad Celantiam.

Luc. 16.

Homil. 81. in Matth.

Homil. 12. ad Rom.

Sed vt ad praxim, veniamus vtile duxerim aliqua adiumenta præbere ad hunc conscientiæ nitorem parandum, tuendumquè.

Primum est, accurata, & sagax attentio, & circumspectio super omnes cogitationes, & actiones; quia cùm causa leuium peccatorum, sit carnis infirmitas, & inbecillitas mentis, & tentantis indefessum studiũ; ea, comite Dei gratia, carnis inbecillitatem roboramus, tentantis artẽ illudimus, & mentem ad resistendum exsuscitamus.

Secundum. Nautas imitemur, qui rimulas nauis sæpius in die rimari solent, per quas aqua paulatim ingreditur, eamque extrahere non desi-

aunt, ne cymba paulatim mergatur; ita conscientiæ latebras quotidie discutiamus diligenter, nauimque exonerare non cessemus, *quia* (inquit

In Ps. 108. Augustinus.) *Quid interest ad naufragium vtrum graui fluctu nauis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua per inscitiam, & negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauim, atque submergat?* Quod eo magis necessarium est Parocho. *Quò qui puluerem ab alijs detergit* (vt benè monuit D.

De sex alis c. 3. Bonauentura) *vix potest transire, nisi & ipse puluere aspergatur*; vt autem se detergat, hoc frequente scrutinio opus est. Sed audi quæso Chrysosto-

Hom. 60. in c. 35. Gen. mum. *Neque peccata, quæ nobis videntur parua, contemptim prætereamus, sed quotidie à nobis rationes repetamus, & verborum, & spectationum pęnas de nobis ipsis sumamus, vt nos à futuro supplicio liberemus.* Considera exempla SS. qui seduli fuere in cauendis peccatis venialibus, & fortè lapsi, grauiter in ea vindicarunt. Primum fuit B. Paulæ Romanæ, quam Hieronymus

Ep. 27. ad Eustoch. affirmat, *Leuia peccata ita planxisse, vt illam grauissimorum criminum crederes ream.* Alterum sit B. Eusebij Eremitæ, de quo Theod. in Historia Sanctorum, sic scribit.

Hist. 4. *Sedebat super quandam petram Eusebius, & Ammianus admirabilis, & diuinorum Euangeliorum historiam alter quidem legebat; alter verò eorum, quæ erant obscuriora explicabat sententiam. Cùm autem agricolæ in subiecto campo terrã colerent, ad hanc contemplationẽ magnus tractus est Eusebius. Cùm aũt diuinus Ammianus locũ legisset Euangelicũ, sciscitaretur aũt interpretationẽ, iussit magnus Eusebius, vt repeteret lectionẽ. Cùm is aũt dixisset, ijs, qui aderant fortè delectatus, minimè exaudisti, ut est uerisimile, suis deinceps oculis legẽ tulit, ut neq; campum illum umquã intuerẽtur, neq; cęlesti pulchritudine, & chori astrorum aspectu fruerentur: sed angustissima utens semita, cuius mensurã, aiunt, fuisse unius palmi, ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plusquam quadraginta annis uixisse post hanc legem. Vt autem cum animi sui sententia ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cum lumbos zona ferrea alligasset, & grauissimum collare collo imposuisset, aliquo alio ferro coniunxit zonam collari, qui erat collo impositus, vt hoc modo inclinatus conaretur assiduè in terram respicere. Has ipse de se exegit pęnas, quòd illos esset contemplatus agricolas.* Tertium sit eorum, qui in confessione sacramentali peccata venialia multis cum lachrymis deplorarunt, vt S. Elzearius Comes Ariani in Gallijs; S. Maria Ognacensis in Belgio, & alij apud Surium. Vnde B.

Lib. 2. cap. 16. Isidorus in libro de summo bono ita scripsit: *Quid peccatores de magnis sceleribus agere debent: quando perfecti leuia quoq; delicta quasi grauissima lugent.*

Tertium est (quod valdè difficilè est ob nostri amorem, qui tenebras menti offundit) proprios agnoscere defectus; Vnde vtile erit aliquem habere familiarem ex ijs, quibus cum sæpius conuersamur, cui hanc tribuamus facultatẽ, vt liberè moneat, si in aliquo erramus & labimur, corrigat prauas animi inclinationes, & quos ipsi non agnoscimus defectus, amicus detegat; vt omnibus suo remedio occurrere possimus. Docuit nos hoc idẽ D. Carolus vir tantæ integritatis, & sanctitatis, qui quosdam sibi ad hoc delegerat ex conuiuentibus, vt si quantula in re, defecisset, nulla dignitatis habita ratione, liberè indicarẽt, aperirentq;. Sciebat enim sanctissimus vir, quàm sit difficilis cognitio, & Iudicium sui ipsius quamque cæcutiant homines in se ipsis discernendis.

Quar-

Quartum, frequens, & fructuosus sacramentorum vsus in Sacerdote præsertim maximum adiumentum est ad hunc nitorem conseruandum, quorum hoc singulare est, vt non tantùm animam à maculis, & præteritis peccatis detergant, sed tribuant etiam virtutem ad cauendum imposterum.

Postremum, sed vtilitate primum remedium sit, vt curator animarũ assiduè Deum sibi ante oculos proponat, tamquam inspectorem omnium; quod non recens, sed antiquissimum inuentum ex his, quæ Abrahamo Deus imposuit intelligere est. *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus*. Quid enim est ambulare coram Deo? nisi illum semper, vt præsentem intueri, & in eius conspectu dirigere viam suam? sicut se optimè obseruasse, idemmet Abraham his verbis professus est; *Dominus, in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum*. Addit præterea, *& esto perfectus*: hoc est, irreprehensibilis. Legimus Sanctum Petrum post Christi resurrectionem more piscatorum nudum piscantem, accedente Christo ad mare, se tunica succinxisse, & quam coram socijs, nec erubescebat, nec emendabat, ex Christi aspectu, & præsentia nuditatem, erubuit, & tunica contexit. Quare nullum maius incitamen tum erit vitam nostram sanctè componendi, quàm Deum semper præsentem cogitare; vnde & scriptum est. *Beatus vir, qui in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei*. Gen. 17. Gen. 24. Io. 21. Eccl. 14.

De studio Christum imitandi. Cap. V.



VErùm nihil fortè est, quod ita dilectionem Pastoris in Deum declaret, ipsumque perficiat, sicut Christi imitatio, sicut enim illa lux maior est, quæ soli est similior, ita Sacerdos eò perfectior erit, quò magis Christum in se ipso exprimere conabitur, quandoquidem non solũ nobis datus est in Redemptorem, sed etiam in absolutissimum artis Pastoralis exemplar, vt de se ipso manifestè fatetur. *Ego sum Pastor bonus*; & alibi. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita, & vos faciatis*. Quare cùm omnibus Christi imitatio necessaria sit; in primis verò animarum Rectoribus, quia eius vices gerunt in terris, suntq; ipsius Christi instrumentum, & adminiculum in procuranda animarum salute, sed quid magis consentaneum instrumento, quàm, vt suo artifici conueniat? illiq; iungatur; vulgatum est Aristotilis dictum, in ijs omnibus, quæ ita à natura ordinata sũt, vt aliud sit inferius, aliud superius, nihil vtilius esse inferiori, quàm, vt suo superiori maximè coniunctum sit, & subiectum; quod videre est, in nostro corpore, hoc enim cùm animæ gratia conditum sit, nisi ab ea informetur, & regatur, in interitum ruit, & formam simul, & decorem amittit: hoc autem præcipuè locum habet in Rectore animarum qui Deo ita subiectus est tamquam instrumentum primo agenti & mouenti; *Non enim vos me elegistis* (inquit Christus) *sed ego elegi vos*: instrumentum autem sui artificis regulam sequitur, & voluntatem, nec quidquam agit, nisi illius impulsu, & ad illius Io. 13. 1. Polit. c. 3

exem-

1. Cor. 3. exemplar. Ita Paulus egregium,& perfectiſsimum Dei inſtrumentum; *Dei* (inquit) *agricultura eſtis,Dei ædificatio*, ideſt, ad eam formam, quam à magiſtro meo didici, & ſecundum gratiam, quæ data eſt mihi, vt ſapiens Architectus fundamentum poſui, alius autem ſuper ædificat.

Col. 11. cap. 11. Rurſus ait Caſsianus, *omnes artes, & diſciplinas humano ingenio repertas, quæ,& nihil amplius habent,quàm vt humanis commodis proſint, licet, manu palpari queant, & oculis perui deri,rectè tamen à quoquam ſine inſtituentis doctrina apprehendi non poſſe, quàm ineptum eſt credere, hanc ſolam ſcilicet artem Paſtoralem non egere doctore, quæ, & inuiſibilis, & occulta eſt, & quæ non niſi puriſsimo corde peruidetur,cuius error non temporale damnum,nec quod facilè reparetur, ſed animæ perditionem parit,mortemq́; perpetuam*. Quin etiã ſi pro recta cuiuſq; vitæ inſtitutione neceſſaria eſt ſpiritualis alicuius magiſtri diſciplina, quid ſentiendum eſt de eo,qui alios etiam regendi,& gubernandi partes ſuſcepit; præſertim, cùm iter virtutis, per quod Paſtor gregem ſuũ ad æterna paſcua dirigere debet,tanta obſcuritate,& caligine ſeptum ſit, vt nihil magis ſit neceſſarium, ad ſuam, & aliorum ſalutem, quàm alicuius inhærere veſtigijs, qui viam norit, eamquè demonſtret; præcipuè cùm multi ſint, qui ſuo prauo exemplo alios ſeducunt; nullus ſiquidem acrior ſtimulus eſt ad deflectendum à vera via, quàm multorũ

Ser. 10. in Cant. per aliam viam concurſus. Hanc fuiſſe cauſam affirmat D. Bernardus inuiſibili Deo quod voluerit inuiſibilis in carne apparere,& tamdiu cũ Apoſtolis conuerſari, vt inde omnis ſanctitatis exemplar, & veri regiminis animarum regulam ſumerent; Vnde & Apoſtolis vetuit, ne magiſtri vocarentur,*quia magiſter veſter*,inquit, *vnus eſt*. Sicut ergo, qui aliquod Idioma ediſcere vult,illum præceptorem,& inſtitutorem ſibi quærit, qui illud calleat: idem faciendum eſt Paſtori, in ſummi Magiſtri Chriſti imitatione: In qua hoc etiam ineſt commodi, quòd,qui Chriſto ductore,& magiſtro vtitur, non ſolum illius luce illuſtratur, non ſolum illius doctrina proficit,ſed virtutem, & facilitatem ad ea perficienda, quæ liberaliſsimus Dominus docet, etiam impertit; quod in hominibus non eſt inuenire, qui quamuis cæteris doctrinam, & operam ſuam impendere poſsit,ingeniũ tamen ſi deſit ad diſcendũ dare non poſſunt.

Scopus præterea,& prædicationis,& cuiuſcunque actionis Paſtoralis Chriſtus eſſe debet non ſolum, vt cum Paulo dicere poſsit; *Nos autem*

1. Cor. 1. *prædicamus Chriſtum Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam, nobis autem Dei virtutem, ac ſapientiam*; ſed etiam, vt Chriſtum parturiat, & formet in animis fideliũ;quæ oĩa,qua ratione conſequi poterit,niſi prius Chriſtũ in ſe ipſo per amorẽ conceperit,& expreſſerit per imitationem,vt illud eiuſ-

Cor. 11. dem Apoſtoli cum veritate dicat. *Imitatores mei eſtote, ſicut,& ego Chriſti*. Et quamuis, vt præclarè ſcripſit Baſilius, *Omnis Chriſti actio, & omnis*

Conſt. Monaſt. c. 2. *item ſermo excolendæ pietatis virtutisq́; obeundæ, regula ſit*, duo tamen ſunt præcipuè, in quibus Chriſti imitatio paſtori omnino neceſſaria eſt. Imitandus eſt in amore,quia Chriſtus verè, & ſincerè dilexit nos, quærens non noſtra, ſed nos: ita ipſius exemplo proximi ſalutem amare & diligenter quærere debemus; non autem opes, & temporalia lucra. Imitandus eſt etiam in ſolicitudine, vt ſcilicet ad eius imitationem

num-

umquam ociosus sit in procuranda animarum salute, nec vllam lucrandi Deo occasionem è manibus elabi sinat; Negotiator enim, vbi maiorem lucri spem esse videt; maiorem ad illud adhibet voluntatis conatum, nec tamen modica lucra spernit, sciens modicis licèt, & exilibus lucris, non modicam suis diuitijs accessionem fieri: ob hác etiam causam à reliquis studijs, se remouet, vt totus sit in negotijs. Quin etiam iucundi videntur labores omnes, & vigiliæ, quæ quoquo modo rem suam augeant. Quare non hanc eandem solicitudinem, & diligentiam in hac spirituali negotiatione habebit Sacerdos, cuius status sunt continuæ nundinæ, cęlestes opes sibi, & proximis cumulandi? Hæc igitur idea magisterij pastoralis est, ad quam Sacerdos indefesse respiciens propriam vitam dirigat, & quotidiana opera metiatur, & vt concludam cum D. Ambrosio. *Christus sit signaculum in fronte, vt semper confiteamur. sit signaculum in corde, vt semper diligamus; sit signaculum in brachio vt semper operemur; luceat ergo imago eius in confessione, luceat in lectione, luceat in operibus, & factis, vt si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis.* *Lib. de Isaac c. 8.*

De fiducia in Deum. Cap. VI.



ERit in Rectore animarum ex hoc studio Christum imitandi, magna quædam cordis latitudo, qua sibi promittat, numquam se illius ope destituendum, quem sibi in magistrum, & præceptorẽ elegit; quos enim instruit, & informat Deus, eosdem etiam protegit, & tuetur, vt egregiè dixit Dauid: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistat aduersum me castra, non timebit cor meum.* Cui etiã illud rectè addi potest, quod alibi canit: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Et quoniam maximi momenti est, pro maiori Dei gloria, & salute animarum, vt hoc animo in Deum suum affectus sit Sacerdos, vt omnem spem, & fiduciam suam in eo reponat. *Psal. 26.* *Psal.*

Aduertendum est, dæmonem duplici arte animarum salutem impedire, vel cum indignos, & minimè merentes extimulat ad curam animarum; vel cum eos, qui iam legitimè vocati idonei sunt tali ministerio, inani quodam, & immoderato timore conturbat, & varijs scrupulis exagitat, ne ministerium suum exequantur. Vtrumq; dolum sapienter retexit Gregorius; de primo nihil hic attinet dicere, cum satis superius dictum sit; de secundo autem sic ille in illa verba. *In occursum pergit equus armatis. Plerumq;*, inquit, *fit vt hostes callidi, militem Dei, iam de intestino bello uictorem, tantò de se ipso terribiliùs tentent, quantò illum contra se, in alienò corde prævalere fortiter uident; Vt dum illum ad se tuendum reuocant, aliena corda liberius, quæ exhortatione eius protegebantur, inuadant. Cumq; eum superare non possint, saltem occupare conantur.* Milites, & si timidi & pusillanimes, tamen si illorum Dux magnanimus sit, fortitudine sua ad bellum accenduntur. *Melius est, nos mori in bello, quam uidere mala gentis nostræ, & sanctorum.* At, si Dux, qui alios antecedere debet, ipse timido, & pusillo *Lib. 31. mor. c. 29* *1. Machab. 3.*

corde

corde sit, horreat belli labores, & hostium aspectum nequeat sustinere, valdè de victoria potest dubitari. Itaque ex Sacerdotis inani timore maximum animarum detrimentum oritur; etenim, quæ ars maiores difficultates, & pericula secum admixta habet, sicut ars Pastoralis, nullum mare tot ventis agitatur, tot fluctibus concutitur, quot variarū tribulationum procellis, & tempestatibus difficultatum, mens præsidis animarum concutitur, in quibus si despondeat animo, si prosternetur mæstitia, & timore, quid boni sperandum est; verissima enim est illa D. Bernardi sententia de interiori domo. *Tristitiam omnis boni impedimentū esse. Quid horres* (inquit Augustinus) *labores? an nescis, quia fornax mundus, ignis tribulatio, aurum electi, palea iniqui, aurifex Deus? ardet palea purgatur aurum; palea uertitur in cineres, aurum purgatur à sordibus*; *quòd uult*, inquit, *Artifex, facio, ubi me ponit, tolero; iubeor tolerare, nouit ille purgare: ardeat, & fulgeat palea ad incendendum me, & quasi consumendum: sed tamen illa tandem uertetur in cinerem, & ego sordibus carebo. Subiecta ergo esto Deo anima mea: quia ab ipso patientia mea*, ita Augustinus.

Vt dixit D. Chrysosto. lib. 3. de sacerdotio. Cap. 15.

In Ps. 61.

Vt igitur huic malo occurramus, huius diffidentiæ, & timoris radix inquirenda est; non enim alia potest esse meo iudicio, nisi vel, quia Deus ipse necessarijs nos destituat auxilijs; vel quia difficultates, & onera curæ pastoralis sint eiusmodi, vt ferri, & superari nullatenus possint, vel nos ipsi, qui angusto corde sumus, & timemus *timore, ubi non est timor*.

De Dei bonitate, & misericordia hoc credere, vt vbi aliquem, ad munus aliquod delegerit, necessaria ad illud dignè obeundum, sit denegaturus, non leue crimen est; hoc etenim est, Deum, vel obliuiosum, vel non prouidentem suspicari, quod vtrumque dictu, & cogitatu nefarium est. Aliter profectò senserunt, qui eiusdem prouidentiam in omnes, & immensam bonitatem agnouerunt. Hinc illud D. Chrysostomi. *Nisi uehementer pigri, & negligentes fuerimus, sed quæcumque ad nos pertinent, simul attulerimus, & in his, quæ ignoramus, manum porriget Deus*. Similiter D. Augustinus. *Quis est, qui confunditur? Qui dicit; quid sperabam, non inueni. Non immeritò. Sperabas enim de te, aut sperabas, de homine amico. Maledictus autem, qui spem suam ponit in homine. Confunderis: quia fefellit te spes, spes posita in mendacio; omnis enim homo mendax. Si autem spem ponas in Deo tuo, non confunderis, quia ille, in quo spem posuisti, falli non potest. Vnde & ille quem paulò ante commemoraui, iustus confirmatus, positus in tempore malo, in die tribulationis, quia non confundebatur, qu d ait? gloriamur in tribulationibus, scientes, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Vnde spes non confunditur? quia in Deo posita est*. hæc Augustinus. Quod facto illo mirabili, dum Christus panem esurientibus multiplicauit, quem in fractione auxit, confirmat, sic ea, quæ ad hoc opus aggrediendum iam dominus præbuit, cum dispensari cæperint, eo ipso suggerente, multiplicabūtur; vt in hoc ipso ministerio, non solum vllam patiamur inopiam, sed de mirabili eius abundantia gaudeamus. Bene ergo concludit D. Hieronymus. *In promissis ueritatis nemo dubitet; sit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter, quē m facta sunt omnia.*

Homil. 26. ad Rom.

In Ps. 36.

Lib. 1. de Doct. c. 10.

In cap. 5. Matth.

omnia. De Philone Iudæo scribit Eusebius Cęsar. Eccles. hist. lib. 2. c. 5. quod cum esset accusatus apud Caligulam cum alijs Iudæis ab Apione, quòd Cæsari diuinos honores non tribueret, eiectus ex aula socijs Iudęis respondit: *Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caligula, quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium.* Quod si cum altero homine res tibi esset, illi profectò iniuriam faceres, si postquam te ad eius seruitium vocauit, de eo diffideres, ne promissis staret. Quanto ergo maiorem iniuriam facimus diuinæ bonitati, cum talia de eo suspicamur. Itaquè in hac parte nulla potest esse causa diffidentiæ.

Neque etiam ex parte curæ Pastoralis; si enim onus hoc portandum esset, solis naturæ viribus, iusta profectò esset causa timoris, & diffidentię, sed animarum negotium non tantum hominis est, quàm ipsius Dei, cui non nostri tantum humeri supponendi sunt, sed suas etiam adiutrices manus Deus porriget, sicut multis in locis suomet ore pollicitus est, Quid ergo metuendum, cùm Deum ipsum socium, & adiutorem habeamus? imò, quid non sperandum, cùm Dei gratia, & auxilio? *Ne timeas* (inquit idem Deus) *per Isaiam, quia ego tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei.* Addit deinde Bernardus, in illa Canticorum. *Quæ ascendit de deserto delitijs affluens innixa supra dilectum suum. Dei gratia* (animam fieri omnipotentem.) *Omnia possibilia sunt*, inquit, *innitenti super eum, quia omnia potest. Quantæ fiduciæ vox? omnia possum in eo, qui me confortat? Nil omnipotentiam verbi clariorẽ reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui sperant in eo.* Quo postea fit, vt quò maiores occurrant difficultates, & discrimina, eò magis de Dei auxilio bono Pastori tunc sperandum sit, vt dicere solebat S. Carolus, nam, qui Deo verè seruiret, ei tunc de rebus suis bene sperandum est, cum extenuata spes humano iudicio videtur; & D. Gregorius Nazianzenus in summo vitæ discrimine positus, non commouebatur, imò dicebat. *Propter amorem tuum, Christe, etiam si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* & Bernardus ad Eugenium Papã. *Non est vir fortis, cui non crescit animus, in ipsa rerum difficultate.*

Isaia 41.

Ser. 85. in Cant.

Ad Phil. 4.

Carol. epi. Nou. in vita lib. 7. cap. 9.

Tota igitur causa timoris, & diffidentiæ, ex nobis est, & ex nostra fragilitate; si enim Sacerdotes isti timidi, & pusillanimes, qui minima difficultate terrentur, & huiusmodi laruis, & scrupulis à recto tramite dimoueri se sinunt, conscientiam suam verè excutiant, probe nouerint, timorem eorum haud iustum esse, sed potius esse remissionem diuini amoris, & intensionem amoris proprij, nam si esset verus Dei timor, cur non magis Dei iram timerent, cùm præcipuè in seruum illum pigrum æquissimè deseuiat, qui acceptum talentum abscondit in terra; dicens: *Domine scio quia homo durus es, & metis vbi non seminasti, & congregas, vbi non spargis, & timens abij, & abscondi talentum*; ideò enim accusatus, & damnatus est, *non quia perdidit sed quia abscondit talentum*, inquit Augustinus; quare timere debent, ne talem Deum experiantur, qualem sibi fingunt, & illud eueniat, quod Iob comminatus est. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Igitur de bonitate, & prouidentia Dei maximè sperandũ est, *nam qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquilæ; current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.*

Matth. 25.

Trac. in Io.

Iob 6.

Is. 40.

L De

De diligentia, & solicitudine in seruitio Dei procurando. Cap. VII.



INter alia diuinæ charitatis argumenta hoc quoq; non leue iudicatur, si diligenter magno cum animi ardore ipsius Dei negotium procuremus; quia vera charitas implet, & incendit, cor, & moras omnes rumpit. Quare non est satis, Rectorem animarum versari in officina charitatis, & amoris, nisi etiam artem nouerit, qua huiusce artis instrumenta ritè & cum fructu tractare valeat. *Et quemadmodū* (inquit D. Gregorius Nazianzenus) *ille non est optimus pictor, qui multiplices, & varios colores miscuerit, & veluti pratum depictum ostenderit, sed qui veras, & pulcherrimas formas delineauerit; ita non est perfectus Dei seruus, qui multitudine operum bonorum vtcumq; factorum, vitam suam format, sed qui pulcherrimis, & perfectis operibus siue illa plura sint, siue pauciora, se ipsum honestat.* Modus autem hic est, vt non perfunctoriè, & negligenter, sed solicitè, & feruenter Dei causam agat. Hoc autem quam necessarium sit, & salutare, ex Dei voluntate, ac magnis commodis, quæ inde in sacerdotem dimanant commodè dignosci potest.

Orat. de vita differentijs.

Voluntatem Dei manifestè declarat illud Apocalyp. vbi Angelus celebratis Episcopi Ephesini virtutibus: *Scio*, inquit, *opera tua, & laborē, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces, & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti;* subiungit tandem: *sed habeo aduersum te pauca, quod charitatem primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum de loco suo.* ex quibus cum manifestum sit non reprehendi Episcopum, quia amiserit charitatem, sed quia de charitatis feruore aliquantulum remiserit, oscitanter scilicet, & negligenter munus suum obeundo, sicut nonnullorum sententia fuit, etiam hoc consequi necessario debet, primum, & præcipuum, quod in Pastore commendat Deus, esse hunc in operando feruorem, & solicitudinem, quæ quia in Episcopo Ephesino paulatim languerat, idcircò ab Angelo obiurgabatur. *Quia si offertis cæcum ad immolandum non ne malum est. si offertis claudum, & languidum, nonne malum est; offer illud Duci suo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, Dicit Dominus exercituum.* Cœca illa operatio est, quam oculi rectæ, & puræ intentionis non illustrant. claudum est opus, quod humilitas non sustentat, sed languidum est, quodcumque ministerium, & seruitium Dei, quod cum torpore, & segnitie geritur, & administratur; hoc si offeratur Deo nonne meritò ab ipso repudiabitur? Qui tamquā maledictum detestatur, *qui facit opus Deus negligenter:* propterea voluit Christus Apostolos suos curis, & cupiditatibus exonerare, neq; eis pecuniam, neque peram, aut panem ferre permisit, quia regnum celorum annunciabant, & ideò oportebat eos, quasi Angelos leues, & expeditos incedere ab omni terrena cura liberos, & ad solum ministerium sibi com-

2. Apoc. 2.

Rich. de S. Vict. Aretas. Ioachinus. Lyranus. Vgo Card.

Malac. c. 1

Hier. 48.

cōmissum intentos. *Quare indicabo tibi homo* (inquit Deus per Micheā) *quid sit bonum, & quid requirat Deus à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo*. Deus enim, cui seruimus, & ministramus, magnus est Dominus, & debet (sicut Principes huius seculi maximè ambiunt) diligentissimis, & perfectissimis obsequijs honorari. *Vidisti hominem velocem in opere suo?* (inquit Salomon) *coram Regibus stabit*. Quo significatur Aulicos gratiosissimos Principibus illos ex omnibus esse solere, qui celeres sunt in exequendis illorū præceptis. Tales ministros, requirit Deus, *qui facit Angelos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*. & animalia, quæ Propheta Ezechiel vidit, quæ Euangelium ministrum præ significabant, habebant pedes rectos, & pennatos, vt summa celeritas, & diligentia demonstraretur ad obsequēdum, nec reuertebantur, cùm incederent; sic decet esse animarum curatorem non desidem, & pigrum, sed feruentem, & expeditum in opere suo ad maiora semper intendentem animum. Moueant Sacerdotem rerum innanimatarum exempla; vbi res cunctæ Deo seruiunt, & summa, ac mira celeritate obtemperant, locus insignis est, apud Prophetam Baruch: *Qui emittit lumen, & vadit, & vocauit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis; Lætatæ sunt, & vocatæ sunt, & dixerunt adsumus*. Moneat Christi exemplum, qui tanta diligentia, & solicitudine salutem nostrā operatus est, hoc siquidem proposito Duce nos extimulat D. Bernardus. *Ipse hominis, seculiq; auctor quamdiu cum hominibus conuersatus est, numquam stetit; & quidem (teste scriptura) pertransijt benefaciendo, & sanando omnes; pertransijt ergo, sicut non infructuosè ita non remissè, pigrè, non lento gradu, sed quemadmodum de eo scriptum est: Exultauit, vt Gigas ad currendam viam: porrò currentem non apprehendit, qui, & ipse pariter non currit, & quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? ideò aiebat Paulus: sic currite, vt comprehendatis*. Nec caret suis commodis, & vtilitatibus studium huiusmodi: cùm ea sit humani desiderij natura, vt cum ardens sit, nunquam quiescat, donec suis potiatur votis. Quid non facit cupiditas in rebus humanis? quid auri anhela fames? quid ambitio? Quod si abiectissimarum rerum cupiditas tantopere suos amatores extimulat, vt toti sint in excogitandis rationibus, quibus tandem vota consequantur, quid faciet desiderium à vera charitate incensum in corde Sacerdotis? mensura solicitudinis, & diligentiæ est amor, qui si ignescat, quàm longissimè erit somnus, & negligentia à Pastore.

Cap. 6. Prou. 22. Psal. 103. Cap. 1. Cap. 3. Epist. 254. 1. Cor. 9.

Hinc etiam oritur illa mentis lætitia, quam sentiunt boni Pastores in suo munere obeundo, qua dilatatū cor Sacerdotis currit per viam mandatorum Dei: amor si quidem generat lætitiam, ex qua oritur cordis dilatatio, sicut per tristitiam comprimitur, cum hac lætitia dilatatum fuerit cor Dauidis, non tantum venit, quod multorum est, nec lento gradu iter arripuit, sed cucurrit per viam mandatorum Dei: *quia dilatasti*, inquit, *cor meum*. Ita hæc cordis lætitia, & spiritualis alacritas facit, vt quod antea pondus, & iugum Sacerdoti videbatur, nunc in virium cedat adiumentum, sitq; illi (vt ait D. Bernardus) *onus exonerans*, sicut promisit Deus per Isaiam: *Cum putrescere faciet Dominus iugum à facie olei*.

Ps. 118. Epist. 12. Cap. 10.

Super additur etiam hæc insignis vtilitas ex hac præclara mentis contentione, quod virtutes omnes, in quibus exercendis totus esse debet Sacerdos, non modò illustrat, sed auget, & perficit; nam si de ijs virtutibus sit sermo, quæ acquisitæ dicuntur, certum est ex D. Thomæ sententia sicut non quouis actu cōparantur, ita nec quouis actu, sed solo feruenti, & diligenti augentur; imò non solum actuum cessatione, sed imperfectione valde deficiunt; si enim quis artem bene scribendi multo tempore, & labore comparauit, si festinanter, & sine cura quouis modo scribat, peritiam graphycè scribendi, paulatim amittet, quod non incongruè ad animi virtutes transferri potest: quia licèt virtutes naturā hominis perficiant, non tamen sanant omnino, nec illa ad malum procliuitas & in bono instabilitas prorsus tollitur; vnde necesse est, nos ipsos semper ad virtutum studia indefesse exercitare. quamobrem rectè D. Gregorius animam nostram naui contra ictum fluminis nauiganti comparat, quæ nequaquam vno in loco stare potest, sed ad ima relabitur, nisi ad summa conetur; si ergo inchoata bona fortis manus operantis ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est pugnat. Simile ferè de virtutibus infusis statuendū est, quæ licèt actibus nostris non acquirantur, sed à Deo gratuitò donentur, egent tamen ad sui conseruationem, exercitium, & augmentum magno conatu, & diligentia in operando, quæ quidem diligentia nisi adhibeatur, pullulant illico, & quasi renascuntur. affectus inordinati, qui præclara virtutum semina impediunt, & suffocant prorsus.

Quamquam tamen cauendum sit Sacerdoti, ne in hoc feruore ad extrema deflectat; quò enim vehementius venti nauim prosperè impellunt, eò facilius naufragium oritur, nisi peritia nautæ præsto sit. Et omni spiritui fidem habere, valdè periculosum est; cùm nimius feruor quandoque ex immoderato sui amore nascatur, vel ex sathanæ insidijs, qui se *transfigurat in Angelum lucis*, vt incautos decipiat. Illud seruet Curator, quod est in Leuitico preceptum: *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies*: Hoc est, sacrificium tuum sit rationabile, Sale discretionis conditum; quia *& si discretio* (vt est apud D. Bernardum) *absque charitatis feruore iaceat, tamen feruor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat*. Feruor ergo discretionem corrigat, & discretio feruorem regat.

Sed quibus adiumentis Sacerdos ad istam diligentiam, & feruorem in diuino seruitio excitetur? Vires suas attendat, & mensuram gratiæ sibi à Deo concessæ consideret, & ita illa tantum aggrediatur, quæ perfectè præstare possit: nam is est aduersarij dolus, vt ad multa nos extimulet, vt occupationibus onerati, omnia perperam, tepidè, & festinanter agamus. Renouet quotidie desiderium Deo perfectius seruiendi cū Apostolo recogitans se nondum apprehendisse, & dicat *nunc cœpi*: quia inquit D. Gregorius. *Nescit mens per torporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare*. Vltimo sæpius recolat, se famulari non regi terreno, sed illi; qui Rex Regum est, Quique nos præcipuè elegit, pro seruitio animarum, qui hoc ardore Deo seruiendi præ cæteris æstuare debemus, vt in veteri testamento Moyses, & Dauid, & in nouo Petrus, & Paulus extiterunt.

[Margin notes: 1. 2. q. 13. — 3. p. Past. cap. 30. — Ser. 23. in Cant. — Lib. 22. moral. c. 20.]

De

De studio orationis, quod esse debet in Curatorem animarum. Cap. VIII.

NON vulgariter autem ad præfecturam animarum dignè tractandam cōducit orationis,& cōtemplationis vsus, & exercitium, quod ita annexum esse debet magisterio animarum, vt quemadmodum corpus subtracto cibo languidum, & iners efficitur ad omnem motum; & operationē; ita, qui cæteris præest, nisi hoc cęlesti pabulo reficiatur,& roboretur,deficiat, & langueat ad omne opus bonum necesse est. Quinimo maiori pastu indiget præ cæteris, quia ad maiores labores vocatur. Quod cognitu facilè erit, si vitæ conditionem, quā profitetur, consideremus,quæ,etsi ex contemplatione,& actione cōstet, primum tamen in oratione,& contemplatione studium ponendum esse constans, & firma fuit Sanctorum Patrum sententia; sic enim Magnus ille Gregorius. *Sit Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, vt & per pietatis viscera in se infirmitates cæterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoque inuisibilia apprehendendo transcendat ne aut alta petens proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat.* Quo loco quamuis actionem, & contemplationem ita connectat, vt vtramque simul in Rectore animarum requirat,actionem tamen contemplationi subdit, & quasi subordinat, cum ab ea omne lumen menti ad deliberandum, & omnis ardor voluntati ad exequendum tribuatur; quod ipsemet alibi disertè declarauit. *Qui externis rebus* (inquit) *occupantur; tunc benè exteriora disponunt, cùm sollicitè ad interiora recurrentes,ad alta rapiuntur.* Fauet D. Bernardus. *Boni Pastores, dormientibus subditis, peruigilant, tamquàm rationem reddituri pro animabus eorum,pernoctant in oratione,hostium vigilias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium,deprehendunt laqueos, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos*; quam Bernardi sententiam secutus D. Bonauentura (qui animarum Prælatum instituens integrum caput in hoc posuit) *Sexta,& vltima ala,* inquit, *sine qua reliqua perfici non valent, maximè est necessaria, vt sit deuotus ad Deum, per quem zelus iustitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est vnctio docens de omnibus, quæ expediunt saluti. Extat etiam clarissimum Christi Saluatoris exemplum pro confirmatione: qui die miracula in vrbibus edebat, nocte verò in oratione pernoctabat; vt perfectis prædicatoribus innueret* (addit D. Gregorius) *quatenus nec actiuam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; sed quietè contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.* Christum imitati sunt Apostoli, cùm dixerunt. *Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus*; orationi primò, deinde prædicationi. Quo circa qui ita se actioni dedunt, vt langueat in eis feruor orationis; hi planè eam vitæ rationem non sectantur, quam professi sunt.

2. p. Past. c. 5.

5. mor. c. 8.

Ser. 76. in Cant.

De sex alis cap. 6.

De sex alis ser. 8.

Lib. 5. mor. cap. 15.

Cuius

aunt, ne cymba paulatim mergatur; ita conscientiæ latebras quotidie discutiamus diligenter, nauimque exonerare non cessemus, *quia* (inquit
In Ps. 108. Augustinus.) *Quid interest ad naufragium vtrum graui fluctu nauis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua per inscitiam, & negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauim, atque submergat?* Quod eo magis necessarium est Parocho. *Quò qui puluerem ab alijs detergit* (vt benè monuit D.
De sex alis c. 3. Bonauentura) *vix potest transire, nisi & ipse puluere aspergatur*; vt autem se detergat, hoc frequente scrutinio opus est. Sed audi quæso Chrysosto-
Hom. 60. in c. 35. Gen. mum. *Neque peccata, quæ nobis videntur parua, contemptim prætereamus, sed quotidie à nobis rationes repetamus, & verborum, & spectationum pęnas de nobis ipsis sumamus, vt nos à futuro supplicio liberemus.* Considera exempla SS. qui seduli fuere in cauendis peccatis venialibus, & fortè lapsi, grauiter in ea vindicarunt. Primum fuit B. Paulæ Romanæ, quam Hieronymus
Ep. 27. ad Eustoch. affirmat, *Leuia peccata ita planxisse, vt illam grauissimorum criminum crederes ream.* Alterum sit B. Eusebij Eremitæ, de quo Theod. in Historia San-
Sect. 4. ctorum, sic scribit. *Sedebat super quandam petram Eusebius, & Ammianus admirabilis, & diuinorum Euangeliorum historiam alter quidem legebat; alter verò eorum, quæ erant obscuriora explicabat sententiam. Cùm autem agricolæ in subiecto campo terrã colerent, ad hanc contemplationẽ magnus tractus est Eusebius. Cùm aũt diuinus Ammianus locũ legisset Euangelicũ, sciscitaretur aũt interpretationẽ, iussit magnus Eusebius, vt repeteret lectionẽ. Cùm is aũt dixisset, ijs, qui aderant fortè delectatus, minimè exaudisti, ut est uerisimile, suis deinceps oculis legẽ tulit, ut neq; campum illum umquã intuerẽtur, neq; cęlesti pulchritudine, & chori astrorum aspectu fruerentur: sed angustissima utens semita, cuius mensurã, aiunt, fuisse unius palmi, ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plusquam quadraginta annis uixisse post hanc legem. Vt autem cum animi sui sententia ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cum lumbos zona ferrea alligasset, & grauissimum collare collo imposuisset, aliquo alio ferro coniunxit zonam collari, qui erat collo impositus, vt hoc modo inclinatus conaretur assiduè in terram respicere. Has ipse de se exegit pęnas, quòd illos esset contemplatus agricolas.* Tertium sit eorum, qui in confessione sacramentali peccata venialia multis cum lachrymis deplorarunt, vt S. Elzearius Comes Ariani in Gallijs; S. Maria Oegnacensis in Belgio, & alij apud Surium. Vnde B.
Lib. 2. cap. 116. Isidorus in libro de summo bono ita scripsit: *Quid peccatores de magnis sceleribus agere debent: quando perfecti leuia quoq; delicta quasi grauissima lugent.*

Tertium est (quod valdè difficilè est ob nostri amorem, qui tenebras menti offundit) proprios agnoscere defectus; Vnde vtile erit aliquem habere familiarem ex ijs, quibus cum sæpius conuersamur, cui hanc tribuamus facultatẽ, vt liberè moneat, si in aliquo erramus & labimur, corrigat prauas animi inclinationes, & quos ipsi non agnoscimus defectus, amicus detegat; vt omnibus suo remedio occurrere possimus. Docuit nos hoc idẽ D. Carolus vir tantæ integritatis, & sanctitatis, qui quosdam sibi ad hoc delegerat ex conuiuentibus, vt si quantula in re, defecisset, nulla dignitatis habita ratione, liberè indicarẽt; aperirentq;. Sciebat enim sanctissimus vir, quàm sit difficilis cognitio, & Iudicium sui ipsius quamque cæcutiant homines in se ipsis discernendis.

Quar-

Quartum, frequens, & fructuosus sacramentorum vsus in Sacerdote præsertim maximum adiumentum est ad hunc nitorem conseruandum, quorum hoc singulare est, vt non tantùm animam à maculis, & præteritis peccatis detergant, sed tribuant etiam virtutem ad cauendum imposterum.

Postremum, sed vtilitate primum remedium sit, vt curator animarũ assiduè Deum sibi ante oculos proponat, tamquam inspectorem omnium; quod non recens, sed antiquissimum inuentum ex his, quæ Abrahamo Deus imposuit intelligere est. *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus*. Quid enim est ambulare coram Deo? nisi illum semper, vt præsentem intueri, & in eius conspectu dirigere viam suam? sicut se optimè obseruasse, idemmet Abraham his verbis professus est: *Dominus, in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum*. Addit præterea, *& esto perfectus*: hoc est, irreprehensibilis. Legimus Sanctum Petrum post Christi resurrectionem more piscatorum nudum piscantem, accedente Christo ad mare, se tunica succinxisse, & quam coram socijs, nec erubescebat, nec emendabat, ex Christi aspectu, & præsentia nuditatem, erubuit, & tunica contexit. Quare nullum maius incitamentum erit vitam nostram sanctè componendi, quàm Deum semper præsentem cogitare; vnde & scriptum est. *Beatus vir, qui in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei*. Gen. 17. Gen. 24. Io. 21. Eccl. 14.

De studio Christum imitandi. Cap. V.



Verùm nihil fortè est, quod ita dilectionem Pastoris in Deum declaret, ipsumque perficiat, sicut Christi imitatio, sicut enim illa lux maior est, quæ soli est similior, ita Sacerdos eò perfectior erit, quò magis Christum in se ipso exprimere conabitur, quandoquidem non solũ nobis datus est in Redemptorem, sed etiam in absolutissimum artis Pastoralis exemplar, vt de se ipso manifestè fatetur. *Ego sum Pastor bonus*; & alibi. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita, & vos faciatis*. Quare cùm omnibus Christi imitatio necessaria sit; in primis verò animarum Rectoribus, quia eius vices gerunt in terris, suntq; ipsius Christi instrumentum, & adminiculum in procuranda animarum salute, sed quid magis consentaneum instrumento, quàm, vt suo artifici conueniat? illiq; iungatur; vulgatum est Aristotilis dictum, in ijs omnibus, quæ ita à natura ordinata sũt, vt aliud sit inferius, aliud superius, nihil vtilius esse inferiori, quàm, vt suo superiori maximè coniunctum sit, & subiectum; quod videre est, in nostro corpore, hoc enim cùm animæ gratia conditum sit, nisi ab ea informetur, & regatur, in interitum ruit, & formam simul, & decorem amittit: hoc autem præcipuè locum habet in Rectore animarum qui Deo ita subiectus est tamquam instrumentum primo agenti & mouenti; *Non enim vos me elegistis* (inquit Christus) *sed ego elegi vos*; instrumentum autem sui artificis regulam sequitur, & voluntatem, nec quidquam agit, nisi illius impulsu, & ad illius exem- Io. 13. 1. Polit. c. 3

exemplar. Ita Paulus egregium, & perfectissimum Dei instrumentum; *Dei* (inquit) *agricultura estis, Dei ædificatio*, idest, ad eam formam, quam à magistro meo didici, & secundum gratiam, quæ data est mihi, vt sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem super ædificat.

1. Cor. 3.

Col. 11. cap. 11.

Rursus ait Cassianus, *omnes artes, & disciplinas humano ingenio repertas; quæ, & nihil amplius habent, quàm vt humanis commodis prosint, licet, manu palpari queant, & oculis peruideri, rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina apprehendi non posse, quàm ineptum est credere, hanc solam scilicet artem Pastoralem non egere doctore, quæ, & inuisibilis, & occulta est, & quæ non nisi purissimo corde peruidetur, cuius error non temporale damnum, nec quod facilè reparetur, sed animæ perditionem parit, mortem.q; perpetuam*. Quin etiã si pro recta cuiusq; vitæ institutione necessaria est spiritualis alicuius magistri disciplina, quid sentiendum est de eo, qui alios etiam regendi, & gubernandi partes suscepit; præsertim, cùm iter virtutis, per quod Pastor gregem suũ ad æterna pascua dirigere debet, tanta obscuritate, & caligine septum sit, vt nihil magis sit necessarium, ad suam, & aliorum salutem, quàm alicuius inhærere vestigijs, qui viam norit, eamquè demonstret; præcipuè cùm multi sint, qui suo prauo exemplo alios seducunt; nullus si quidem acrior stimulus est ad deflectendum à vera via, quàm multorũ per aliam viam concursus. Hanc fuisse causam affirmat D. Bernardus inuisibili Deo quod voluerit inuisibilis in carne apparere, & tamdiu cũ Apostolis conuersari, vt inde omnis sanctitatis exemplar, & veri regiminis animarum regulam sumerent; Vnde & Apostolis vetuit, ne magistri vocarentur, *quia magister vester*, inquit, *vnus est*. Sicut ergo, qui aliquod Idioma ediscere vult, illum præceptorem, & institutorem sibi quærit, qui illud calleat: idem faciendum est Pastori, in summi Magistri Christi imitatione. In qua hoc etiam inest commodi, quòd, qui Christo ductore, & magistro vtitur, non solum illius luce illustratur, non solum illius doctrina proficit, sed virtutem, & facilitatem ad ea perficienda, quæ liberalissimus Dominus docet, etiam impertit; quod in hominibus non est inuenire, qui quamuis cæteris doctrinam, & operam suam impendere possit, ingeniũ tamen si desit ad discendũ dare non possunt.

Ser. 10. in Cant.

Scopus præterea, & prædicationis, & cuiuscunque actionis Pastoralis Christus esse debet non solum, vt cum Paulo dicere possit; *Nos autem prædicamus Christum Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, nobis autem Dei virtutem, ac sapientiam*; sed etiam, vt Christum parturiat, & formet in animis fideliũ; quæ oĩa, qua ratione consequi poterit, nisi prius Christũ in se ipso per amorẽ conceperit, & expresserit per imitationem, vt illud eiusdem Apostoli cum veritate dicat. *Imitatores mei estote, sicut, & ego Christi*. Et quamuis, vt præclarè scripsit Basilius, *Omnis Christi actio, & omnis item sermo excolendæ pietatis virtutisq; obeundæ, regula sit*, duo tamen sunt præcipuè, in quibus Christi imitatio pastori omnino necessaria est. Imitandus est in amore, quia Christus verè, & sincerè dilexit nos, quærens non nostra, sed nos: ita ipsius exemplo proximi salutem amare & diligenter quærere debemus; non autem opes, & temporalia lucra. Imitandus est etiam in solicitudine, vt scilicet ad eius imitationem

1. Cor. 1.

Cor. 11.

Const. Monast. c. 2.

num-

dmquam ociosus sit in procuranda animarum salute, nec vllam lucrandi Deo occasionem è manibus elabi sinat; Negotiator enim, vbi maiorem lucri spem esse videt; maiorem ad illud adhibet voluntatis conatum, nec tamen modica lucra spernit, sciens modicis licèt, & exilibus lucris, non modicam suis diuitijs accessionem fieri: ob hãc etiam causam à reliquis studijs, se remouet, vt totus sit in negotijs. Quin etiam iucundi videntur labores omnes, & vigiliæ, quæ quoquo modo rem suam augeant. Quare non hanc eandem solicitudinem, & diligentiam in hac spirituali negotiatione habebit Sacerdos, cuius status sunt continuæ nundinæ, cęlestes opes sibi, & proximis cumulandi? Hæc igitur idea magisterij pastoralis est, ad quam Sacerdos indefesse respiciens propriam vitam dirigat, & quotidiana opera metiatur, & vt concludam cum D. Ambrosio. *Christus sit signaculum in fronte, vt semper confiteamur. sit signaculum in corde, vt semper diligamus; sit signaculum in brachio vt semper operemur; luceat ergo imago eius in confessione, luceat in lectione, luceat in operibus, & factis, vt si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis.* *Lib. de Isaac c. 8.*

De fiducia in Deum. Cap. VI.



ERit in Rectore animarum ex hoc studio Christum imitandi, magna quædam cordis latitudo, qua sibi promittat, numquam se illius ope destituendum, quem sibi in magistrum, & præceptorẽ elegit; quos enim instruit, & informat Deus, eosdem etiam protegit, & tuetur, vt egregiè dixit Dauid: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistat aduersum me castra, non timebit cor meum.* *Psal. 26.* Cui etiã illud rectè addi potest, quod alibi canit: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* *Psal.* Et quoniam maximi momenti est, pro maiori Dei gloria, & salute animarum, vt hoc animo in Deum suum affectus sit Sacerdos, vt omnem spem, & fiduciam suam in eo reponat.

Aduertendum est, dæmonem duplici arte animarum salutem impedire, vel cum indignos, & minimè merentes extimulat ad curam animarum; vel cum eos, qui iam legitimè vocati idonei sunt tali ministerio, inani quodam, & immoderato timore conturbat, & varijs scrupulis exagitat, ne ministerium suum exequantur. Vtrumq; dolum sapienter retexit Gregorius; de primo nihil hic attinet dicere, cum satis superius dictum sit; de secundo autem sic ille in illa verba. *In occursum pergit equus armatis. Plerumq;*, inquit, *fit vt hostes callidi, militem Dei, iam de intestino bello uictorem, tantò de se ipso terribiliùs tentent, quantò illum contra se, in alieno corde præualere fortiter uident; Vt dum illum ad se tuendum reuocant, aliena corda liberius, quæ exhortatione eius protegebantur, inuadant. Cumq; eum superare non possint, saltem occupare conantur.* *Lib. 31. mor. c. 29* Milites, & si timidi & pusillanimes, tamen si illorum Dux magnanimus sit, fortitudine sua ad bellum accenduntur. *Melius est, nos mori in bello, quam uidere mala gentis nostræ, & sanctorum.* *1. Macab. 3.* At, si Dux, qui alios antecedere debet, ipse timido, & pusillo

corde

corde fit, horreat belli labores, & hostium aspectum nequeat sustinere, valdè de victoria potest dubitari. Itaque ex Sacerdotis inani timore maximum animarum detrimentum oritur; etenim, quæ ars maiores difficultates, & pericula secum admixta habet, sicut ars Pastoralis, nullum mare tot ventis agitatur, tot fluctibus concutitur, quot variarũ tribulationum procellis, & tempestatibus difficultatum, mens præsidis animarum concutitur, in quibus si despondeat animo, si prosternetur mæstitia, & timore, quid boni sperandum est; verissima enim est illa D. Bernardi sententia de interiori domo. *Tristitiam omnis boni impedimentũ esse. Quid horres* (inquit Augustinus) *labores? an nescis, quia fornax mundus, ignis tribulatio, aurum electi, palea iniqui, aurifex Deus? ardet palea purgatur aurum, palea uertitur in cineres, aurum purgatur a sordibus; quòd uult*, inquit, *Artifex, facio, ubi me ponit, tolero; iubeor tolerare, nouit ille purgare: ardeat, & fulgeat palea ad incendendum me, & quasi consumendum: sed tamen illa tandem uertetur in cinerem, & ego sordibus carebo. Subiecta ergo esto Deo anima mea: quia ab ipso patientia mea*. ita Augustinus.

Vt dixit D. Chrysosto. lib. 3. de sacerdotio. Cap. 15. In Ps. 61.

Vt igitur huic malo occurramus, huius diffidentiæ, & timoris radix inquirenda est; non enim alia potest esse meo iudicio, nisi vel, quia Deus ipse necessarijs nos destituat auxilijs; vel quia difficultates, & onera curæ pastoralis sint eiusmodi, vt ferri, & superari nullatenus possint, vel nos ipsi, qui angusto corde sumus, & timemus *timore, ubi non est timor*.

De Dei bonitate, & misericordia hoc credere, vt vbi aliquem, ad munus aliquod delegerit, necessaria ad illud dignè obeundum, sit denegaturus, non leue crimen est; hoc etenim est, Deum, vel obliuiosum, vel non prouidentem suspicari, quod vtrumque dictu, & cogitatu nefarium est. Aliter profectò senserunt, qui eiusdem prouidentiam in omnes, & immensam bonitatem agnouerunt. Hinc illud D. Chrysostomi. *Nisi uehementer pigri, & negligentes fuerimus, sed quæcumque ad nos pertinent, simul attulerimus, & in his, quæ ignoramus, manum porriget Deus*. Similiter D. Augustinus. *Quis est, qui confunditur? Qui dicit; quid sperabam, non inueni. Non immeritò. Sperabas enim de te, aut sperabas, de homine amico. Maledictus autem, qui spem suam ponit in homine. Confunderis: quia fefellit te spes, spes posita in mendacio; omnis enim homo mendax. Si autem spem ponas in Deo tuo, non confunderis, quia ille, in quo spem posuisti, falli non potest. Vnde & ille quem paulò ante commemoraui, iustus confirmatus, positus in tempore malo, in die tribulationis, quia non confundebatur, qu d ait? gloriamur in tribulationibus, scientes, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Vnde spes non confunditur? quia in Deo posita est*. hæc Augustinus. Quod facto illo mirabili, dum Christus panem esurientibus multiplicauit, quem in fractione auxit, confirmat, sic ea, quæ ad hoc opus aggrediendum iam dominus præbuit, cum dispensari cœperint, eo ipso suggerente, multiplicabũtur; vt in hoc ipso ministerio, non solum vllam patiamur inopiam, sed de mirabili eius abundantia gaudeamus. Bene ergo concludit D. Hieronymus. *In promissis ueritatis nemo dubitet; sit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter, quem facta sunt omnia.*

Homil. 26. ad Rom. In Ps. 36. Lib. 1. de Doct. c. 10. In cap. 5. Matth.

omnia. De Philone Iudæo scribit Eusebius Cęsar. Eccles. hist. lib. 2. c. 5. quod cum esset accusatus apud Caligulam cum alijs Iudæis ab Apione, quòd Cæsari diuinos honores non tribueret, eiectus ex aula socijs Iudęis respondit: *Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caligula, quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium*. Quod si cum altero homine res tibi esset, illi profectò iniuriam faceres, si postquam te ad eius seruitium vocauit, de eo diffideres, ne promissis staret. Quanto ergo maiorem iniuriam facimus diuinæ bonitati, cum talia de eo suspicamur. Itaque in hac parte nulla potest esse causa diffidentiæ.

Neque etiam ex parte curæ Pastoralis; si enim onus hoc portandum esset, solis naturæ viribus, iusta profectò esset causa timoris, & diffidentię, sed animarum negotium non tantum hominis est, quàm ipsius Dei, cui non nostri tantum humeri supponendi sunt, sed suas etiam adiutrices manus Deus porriget, sicut multis in locis suomet ore pollicitus est, Quid ergo metuendum, cùm Deum ipsum socium, & adiutorem habeamus? imò, quid non sperandum, cùm Dei gratia, & auxilio? *Ne timeas* (inquit idem Deus) *per Isaiam, quia ego tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei*. Addit deinde Bernardus, in illa Canticorum. *Quæ ascendit de deserto delitijs affluens innixa supra dilectum suum. Dei gratia* (animam fieri omnipotentem.) *Omnia possibilia sunt*, inquit, *innitenti super eum, quia omnia potest. Quantæ fiduciæ vox? omnia possum in eo, qui me confortat? Nil omnipotentiam verbi clariorē reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui sperant in eo*. Quo postea fit, vt quò maiores occurrant difficultates, & discrimina, eò magis de Dei auxilio bono Pastori tunc sperandum sit, vt dicere solebat S. Carolus, nam, qui Deo verè seruiret, ei tunc de rebus suis bene sperandum est, cum extenuata spes humano iudicio videtur; & D. Gregorius Nazianzenus in summo vitæ discrimine positus, non commouebatur, imò dicebat. *Propter amorem tuum, Christe, etiam si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. & Bernardus ad Eugenium Papā. *Non est vir fortis, cui non crescit animus, in ipsa rerum difficultate*.

Isaia 41.

Ser. 85. in Cant.

Ad Phil. 4.

Carol. epi. Nou. in vita lib. 7. cap. 9.

Tota igitur causa timoris, & diffidentiæ, ex nobis est, & ex nostra fragilitate; si enim Sacerdotes isti timidi, & pusillanimes, qui minima difficultate terrentur, & huiusmodi laruis, & scrupulis à recto tramite dimoueri se sinunt, conscientiam suam verè excutiant, probe nouerint, timorem eorum haud iustum esse, sed potius esse remissionem diuini amoris, & intensionem amoris proprij, nam si esset verus Dei timor, cur non magis Dei iram timerent, cùm præcipuè in seruum illum pigrum æquissimè deseuiat, qui acceptum talentum abscondit in terra; dicens: *Domine scio quia homo durus es, & metis vbi non seminasti, & congregas, vbi non spargis, & timens abij, & abscondi talentum*; ideò enim accusatus, & damnatus est, *non quia perdidit, sed quia abscondit talentum*, inquit Augustinus; quare timere debent, ne talem Deum experiantur, qualem sibi fingunt, & illud eueniat, quod Iob comminatus est. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix*. Igitur de bonitate, & prouidentia Dei maximè sperandū est, nam qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquilæ; current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.

Matth. 25.

Trac. in Io.

Iob 6.

Is. 40.

L De

De diligentia, & solicitudine in seruitio Dei procurando. Cap. VII.



INter alia diuinæ charitatis argumenta hoc quoq; non leue iudicatur, si diligenter magno cum animi ardore ipsius Dei negotium procuremus; quia vera charitas implet, & incendit, cor, & moras omnes rumpit. Quare non est satis, Rectorem animarum versari in officina charitatis, & amoris, nisi etiam artem nouerit, qua huiusce artis instrumenta ritè & cum fructu tractare valeat. *Et quemadmodũ* (inquit D. Gregorius Nazianzenus) *ille non est optimus pictor, qui multiplices, & varios colores miscuerit, & veluti pratum depictum ostenderit, sed qui veras, & pulcherrimas formas delineauerit; ita non est perfectus Dei seruus, qui multitudine operum bonorum vtcumq; factorum, vitam suam format, sed qui pulcherrimis, & perfectis operibus siue illa plura sint, siue panciora, se ipsum honestat.* Modus autem hic est, vt non perfunctoriè, & negligenter, sed solicitè, & feruenter Dei causam agat. Hoc autem quam necessarium sit, & salutare, ex Dei voluntate, ac magnis commodis, quæ inde in sacerdotem dimanant commodè dignosci potest.

Orat. de vi tæ differen tijs.

2. Apoc. 2. Voluntatem Dei manifestè declarat illud Apocalyp. vbi Angelus celebratis Episcopi Ephesini virtutibus: *Scio*, inquit, *opera tua, & laborē, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces, & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti;* subiungit tandem: *sed habeo aduersum te pauca, quod charitatem primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum de loco suo.* ex quibus cum manifestum sit non reprehendi Episcopum, quia amiserit charitatem, sed quia de charitatis feruore aliquantulum remiserit, oscitanter scilicet, & negligenter munus suum obeundo, sicut nonnullorum sententia fuit, etiam hoc consequi necessario debet, primum, & præcipuum, quod in Pastore commendat Deus, esse hunc in operando feruorem, & solicitudinem, quæ quia in Episcopo Ephesino paulatim languerat, idcircò ab Angelo obiurgabatur. *Quia si offertis cæcum ad immolandum non ne malum est, si offertis claudum, & languidum, nonne malum est; offer illud Duci suo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, Dicit Dominus exercituum.* Cœca illa operatio est, quam oculi rectæ, & puræ intentionis non illustrant. claudum est opus, quod humilitas non sustentat, sed languidum est, quodcumque ministerium, & seruitium Dei, quod cum torpore, & segnitie geritur, & administratur; hoc si offeratur Deo nonne meritò ab ipso repudiabitur? Qui tamquã maledictum detestatur, *qui facit opus Deus negligenter:* propterea voluit Christus Apostolos suos curis, & cupiditatibus exonerare, neq; eis pecuniam, neque peram, aut panem ferre permisit, quia regnum celorum annunciabant, & ideò oportebat eos, quasi Angelos leues, & expeditos incedere ab omni terrena cura liberos, & ad solum ministerium sibi com-

Rich. de S. Vict. Aretas. Ioachinus. Lyranus. Vgo Card.

Malac. c. 1

Hier. 48.

cōmissum intentos. *Quare indicabo tibi homo* (inquit Deus per Micheã) *quid sit bonum, & quid requirat Deus à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Deus enim, cui seruimus, & ministramus, magnus est Dominus, & debet (sicut Principes huius seculi maximè ambiunt) diligentissimis, & perfectissimis obsequijs honorari. *Vidisti hominem velocem in opere suo?* (inquit Salomon) *coram Regibus stabit.* Quo significatur Aulicos gratiosissimos Principibus illos ex omnibus esse solere, qui celeres sunt in exequendis illorũ præceptis. Tales ministros, requirit Deus, *qui facit Angelos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.* & animalia, quæ Propheta Ezechiel vidit, quæ Euangelium ministrum præ significabant, habebant pedes rectos, & pennatos, vt summa celeritas, & diligentia demonstraretur ad obsequẽdum, nec reuertebantur, cùm incederent; sic decet esse animarum curatorem non desidem, & pigrum, sed feruentem, & expeditum in opere suo ad maiora semper intendentem animum. Moueant Sacerdotem rerum innanimatarum exempla; vbi res cunctæ Deo seruiunt, & summa, ac mira celeritate obtemperant, locus insignis est, apud Prophetam Baruch: *Qui emittit lumen, & vadit, & vocauit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis; Lætatæ sunt, & vocatæ sunt, & dixerunt adsumus.* Moneat Christi exemplum, qui tanta diligentia, & solicitudine salutem nostrã operatus est, hoc siquidem proposito Duce nos extimulat D. Bernardus. *Ipse hominis, seculiq; auctor quamdiu cum hominibus conuersatus est, numquam stetit; & quidem (teste scriptura) pertransijt benefaciendo, & sanando omnes; pertransijt ergo, sicut non infructuosè ita non remissè, pigrè, non lento gradu, sed quemadmodum de eo scriptum est: Exultauit, vt Gigas ad currendam viam: porrò currentem non apprehendit, qui, & ipse pariter non currit, & quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? ideò aiebat Paulus: sic currite, vt comprehendatis.* Nec caret suis commodis, & vtilitatibus studium huiusmodi: cùm ea sit humani desiderij natura, vt cum ardens sit, nunquam quiescat, donec suis potiatur votis. Quid non facit cupiditas in rebus humanis? quid auri anhela fames? quid ambitio? Quod si abiectissimarum rerum cupiditas tantopere suos amatores extimulat, vt toti sint in excogitandis rationibus, quibus tandem vota consequantur, quid faciet desiderium à vera charitate incensum in corde Sacerdotis? mensura solicitudinis, & diligentiæ est amor, qui si ignescat, quàm longissimè erit somnus, & negligentia à Pastore.

Cap. 6.
Prou. 22.
Psal. 103.
Cap. 1.
Cap. 3.
Epist. 254.
1. Cor. 9.

Hinc etiam oritur illa mentis lætitia, quam sentiunt boni Pastores in suo munere obeundo, qua dilatatũ cor Sacerdotis currit per viam mandatorum Dei: amor si quidem generat lætitiam, ex qua oritur cordis dilatatio, sicut per tristitiam comprimitur, cum hac lætitia dilatatum fuerit cor Dauidis, non tantum venit, quod multorum est, nec lento gradu iter arripuit, sed cucurrit per viam mandatorum Dei: *quia dilatasti*, inquit, *cor meum.* Ita hæc cordis lætitia, & spiritualis alacritas facit, vt quod antea pondus, & iugum Sacerdoti videbatur, nunc in virium cedat adiumentum, sitq; illi (vt ait D. Bernardus) *onus exonerans*, sicut promisit Deus per Isaiam: *Cum putrescere faciet Dominus iugum à facie olei.*

Ps. 118.
Epist. 12.
Cap. 10.

De studio orationis, quod esse debet in Curatorem animarum. Cap. VIII.



ON vulgariter autem ad præfecturam animarum dignè tractandam cōducit orationis,& cōtemplationis vsus, & exercitium, quod ita annexum esse debet magisterio animarum, vt quemadmodum corpus subtracto cibo languidum, & iners efficitur ad omnem motum, & operationē; ita, qui cæteris præest, nisi hoc cęlesti pabulo reficiatur,& roboretur,deficiat, & langueat ad omne opus bonum necesse est. Quinimo maiori pastu indiget præ cæteris, quia ad maiores labores vocatur. Quod cognitu facilè erit, si vitæ conditionem, quā profitetur,consideremus,quæ,etsi ex contemplatione,& actione cōstet, primum tamen in oratione,& contemplatione studium ponendum esse constans, & firma fuit Sanctorum Patrum sententia; sic enim Magnus ille Gregorius. *Sit Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, vt & per pietatis viscera in se infirmitates cæterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoque inuisibilia apprehendendo transcendat ne aut alta petens proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat.* Quo loco quamuis actionem, & contemplationem ita connectat, vt vtramque simul in Rectore animarum requirat,actionem tamen contemplationi subdit, & quasi subordinat, cum ab ea omne lumen menti ad deliberandum, & omnis ardor voluntati ad exequendum tribuatur; quod ipsemet alibi disertè declarauit. *Qui externis rebus* (inquit) *occupantur; tunc benè exteriora disponunt, cùm solicitè ad interiora recurrentes, ad alta rapiuntur.* Fauet D. Bernardus. *Boni Pastores, dormientibus subditis, peruigilant, tamquàm rationem reddituri pro animabus eorum, pernoctant in oratione, hostium vigilias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprebendunt laqueos; cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos*; quam Bernardi sententiam secutus D. Bonauentura (qui animarum Prælatum instituens integrum caput in hoc posuit) *Sexta, & vltima ala,* inquit, *sine qua reliqua perfici non valent, maximè est necessaria, vt sit deuotus ad Deum, per quem zelus iustitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est vnctio docens de omnibus, quæ expediunt saluti.* Extat etiam *clarissimum Christi Saluatoris exemplum pro confirmatione: qui die miracula in vrbibus edebat, nocte verò in oratione pernoctabat; vt perfectis prædicatoribus innueret* (addit D. Gregorius) *quatenus nec actiuam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; sed quietè contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.* Christum imitati sunt Apostoli, cùm dixerunt: *Nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus*; orationi primò, deinde prædicationi. Quo circa qui ita se actioni dedunt, vt langueat in eis feruor orationis; hi planè eam vitæ rationem non sectantur, quam professi sunt. Cuius

2. p. Past. c. 5.

5. mor. c. 8.

Ser. 76. in Cant.

De sex alis cap. 6.

De sex alis ser. 8.

Lib. 5. mor. cap. 15.

cuius sanè consilij multę exq; graues adduci possunt causæ.

Primo enim constat inter omnes, Rectorem animarum arctissimo teneri vinculo insignis cuiusdam sanctitatis, & integritatis acquirendæ; sed quisnam tantum fastigium consequi se arbitratur sine assiduo vsu orationis? quod enim vires nostras excedit, nec nobis debitum, nec in nostra positum potestate est, non ex iustitia, sed ex gratia, & aliorum auxilio conquirendum est. Virtus autem Dei donum est, tum acquisita, tum infusa, quoniam illa Deo inspirante, & desiderium ingerente, & ad opus iuuante acquiritur, & hæc eo liberaliter donante, & infundente possidetur; sequitur ergo ad virtutem acquirendam, & ad eam conseruandam, & augendam frequentem orationis vsum necessarium esse; Deus enim non semel in sanctis scripturis vocatur *Virtus nostra*, *Sanctificatio nostra*, vt intelligamus ab eo, vt ab auctore omnem virtutē dari, & eo adiutore seruari, & omnes nostros conatus ad virtutes capescendas irritos esse, & inanes, nisi Domini auxilio roboretur, & humana imbecillitas ope cęlesti fulciatur. testis est D. Chrysostomus. *Per orationem illud assequimur, vt & temporarij esse desinamus, itaut quamuis natura mortales simus colloquio tamen, & conuictu, quem agimus cum Deo ad immortalem iam transeamus vitam; necesse est enim, vt qui cum Deo familiaritatem habet superior euadat, morte, & omnibus quæ corruptioni obnoxia sunt*. Et post: *arbitror cunctis esse manifestum, quod semper impossibile sit absque orationis præsidio cum virtute vitam degere, & vitæ huius peragere cursum. Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat nisi continenter adeat, & supplex ad genua accedat Dei, qui virtutem omnem suppeditat, & largitur hominibus*. Quare sicut piscis extra aquam positus, & arbor extra genitale solum continuo læditur, ita planè Sacerdotis mens, si se à Dei colloquio, & consortio abstraxerit statim læditur, & paulatim arescit. Ideò D. Ambrosius: *Veh tibi Sacerdos si ommissa paulatim oratione, ac proinde cognitione tui, & officij atque oneris tibi impositi, incipias sine sanctis, & rationalibus scrupulis viuere, cum oporteat illis in dies pungi, & corrodi, & lumen semper à Deo petere. Fortè Dauid lapsus est, quia paulatim de oratione, & contemplatione aliquantulum remiserat*. Hanc ob causam D. Bernardus Pontificem Eugenium de hoc ipso periculo præmonuerat. *Timeo tibi Eugeni, ne multitudo negotiorum continua intermissa oratione, & consideratione te ad cor durum perducat, quod deuotione non incalescit, compassione non mollescit, compunctione non scinditur, & se ipsum nō exhorret, quia nec se sentit*. Merito igitur D. Chrysostomus, qualis sit Sacerdos ex orationis studio, & vsu iudicat. *Cum*, inquit, *video non amantem orandi studium, nec huius rei feruida vehementiq; cura teneri, mihi continuo palam est, eum nihil egregię dotis in animo possidere. Rursum, vbi quem conspexero insatiabiliter adhærentem diuino cultui, idq; in summis damnis numerantem, si non continenter orauerit: Coniecto talem omnis virtutis esse possessorem, ac Dei amicum*.

Lib. 1. de oran. Deo.

Lib. 10. ep. 28.

De consid. lib. 1.

De oran. Deo.

Secunda causa est, vt optimè sensit Aristotiles hominem diù viuere non posse sine delectatione, & gaudio; neq; n. de turpi voluptate intellexit, quia hanc tamquam homine indignam alibi detestatus est; sed potius de ea, quæ probum hominem delectat, qua animus pascitur, & recreatur; huius itaque gaudij, & delectationis fomenta vnde habebit

7. & c. 13.
10. & c. 3.
5. 6.

Sacer-

Sacerdos? cum,& ipse homo sit, eodem desiderio quo cæteri affectus; & præ cæteris ob sui muneris conditionem grauibus semper, ijsq; mole stis curis prematur? Non quidem à terrenis,& caducis rebus, *quia consolatio mundi*, inquit, D.Bernardus, *vilis,& ad nihilum vtilis, & quod magis metuendum est vera,& salubris consolationis impedimentum est, quia neque sine grauibus curis,& molestijs possunt hæc temporalia haberi, & iam in habitis plus molestiæ quàm iucunditatis inest*. Neque minus hæc consolatio ab illis expetenda est, qui suæ curæ commissi sunt, quia rari admodum sunt, qui piam Pastoris mentem agnoscentes sanctos illius conatus iuuare, eiquè gratificari studeant; quàm plurimi autem qui resistunt, & varias tempestatum procellas concitant, quia contra bonum malum. In vno igitur Deo Sacerdoti lætandum est, quod in meditatione,& oratione præcipuè fit, iuxta illud Isaiæ: *Lætificabo eos in domo orationis meæ*. Vnde Bernardus. *Orando*, inquit, *bibitur vinum lętificans cor, vinum spiritus, quod inebriat & carnalium voluptatum infundit obliuionem*; & tanta est aliquando supernaturalis illius dulcedo,& virtus, vt à mente in corpus, & sensum ita redundet, vt corpus ipsum nec laborem sentiat; neque enim potuisset Moyses regiminis pondus sustinere, populi duræ ceruicis, tot iurgia, & contumelias æquanimiter tolerare, nisi crebrò ad tabernaculum, ad Dei sui colloquium confugisset, à quo lumen, ad regendum, & miram animi lætitiam ad sustinendos labores accipiebat.

Ser. 4. vig. Nat. — *Is. 56.* — *Ser. 18. in Cant.*

Tertiam causam addit D. Bonauentura ex præcipuo munere Pastoris animarum, qui tamquam mediator inter Deum, & populum constitutus est; *non enim solum pro se orare necesse habet*, inquit, *sed etiam pro illis, qui sibi commissi sunt, quos non sufficit sine diuino auxilio custodire; nam nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat, qui custodit eam; est enim Prælatus mediator inter Deum,& subditos, vt sicut negotium Dei gerit apud illos docendo, corrigendo, sursum agendo, ita etiam negotia eorum studeat apud Deum fideliter promouere placando, gratiam impetrando, & conseruando à malo, vnde scriptum est: ego sequester,& medius fui inter Deum,& vos*, sic D.Bonauentura. Præclarè quoque D.Augustinus, *Sacerdotes die ac nocte pro plebe sibi commissa, oportet orare, mundiores, ergo debent esse cæteris, quia actores Dei sunt*. Et verè quid non obtinuere pij Pastores à Deo pro salute gregis orationibus suis? Moyses quæcumque populo suo vsui erant per orationem impetrauit, vt de alijs innumeris sileam. ex quo illorum temeritas apertè damnatur, qui existimantes orationis mentalis vsum Monachis Cisterciensibus, & Anachoretis tantum conuenire, illam, nec de nomine quidē norunt, nec eius necessitatem capiunt; hi planè intelligant, se spontè priuari adiumento, cuius defectus non leuia detrimenta sibi; & gregi suo solet importare; quod si modò animo non capiunt, intelligent tunc cùm ventum erit ante tribunal Christi.

De sex alis c. 8. — *Psal. 126.* — *Deut. 5.* — *In 1. ad Timot. 3.*

Huic rationi, quæ quidem grauissima est accedunt maximę difficultates, quæ cum cura animarum perpetuò coniunctæ sunt, quæ sinè spiritu orationis superari non possunt, & si tanta est hominum obscuritas in regendis se ipsis, vt multi errores, & lapsus incidant, quales tenebræ erunt in alijs regiendis, quorum consilia, & voluntates ignoramus? vt

nisi

nisi in tantis tenebris accedat orationis lumen, nec recta discernere, nec quod vtile, iustumq; sit exequi poterit Sacerdos. Suadet hoc ipsum D. Bonauentura hac egregia similitudine. *Sicut nauta præuidens tempestatem festinat sæpius ingredi portum securum; ita religiosus ad orationis portum continuè confugiat, vbi omnes periculorum collusiones euadat; & in omnibus agendis semper plus orationi fidat, quàm propriæ industriæ, vel labori, vnde scriptum est. Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus refugij, vt ad te oculos nostros dirigamus videlicet in oratione.* Hinc quidam intellexit, verba illa, quæ inscripta erant supra rationale, quod in pectore summi Sacerdotis portabatur, idest doctrina, & veritas, non manu hominum, sed Dei conscripta fuisse, quo significaretur doctrinam, & veritatem atque omnem sufficientiam Sacerdotis non tam ex libris, & humana industria, quam oratione, & meditatione à Deo obtinendam esse, Neque hoc solum habet adiumentum ex oratione, sed insuper robur, & virtutem accipit ad ea exequenda, quæ Deus illi præmonstrauit, vt annotauit D. Bonauentura, *per eam enim informatur quid faciat, adiuuatur, vt possit, conseruatur ne deuiet.* Denique quid aliud quæso est cura animarum, quam negotiũ Dei, non erit igitur rationi congruens, vt ex eiusdem sententia, & mente geratur, sed hæc oratione, & Dei colloquio nobis innotescit.

De sex alis. cap. 8.

Montan. de vest. sacer. lib. 1. 8. 9. §. 5.

Lib. de sex alis c. 8.

Itaque his, & alijs multis de causis præcipuum Parochi studium in orando, & meditando ponendum est, ita tamen, vt externa charitatis, & proprij muneris officia non deserantur; *neque enim*, inquit D. Gregorius, *Prædicator perfectus est, qui, vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit.*

Lib. 5. mor. c. 25.

Quod tanti Pontificis consilium, vt facilius Parochus exequatur duo illi suademus.

Alterum, ne plura spiritualia negotia aggrediatur, quam propriæ vires ferant, quia inquit D. Laurentius Iustinianus. *Multi sunt, qui spiritus leuitate permoti, & inordinato feruore sub prætextu charitatis seducti adeo in exterioribus negotijs occupantur, vt se nihil curare videantur; diem quippè totum in his occupant, mentem dilaniant, corpus atterunt, & spiritualia studia negligunt*, itaq; magna prudentia opus est, diuisiones enim gratiarum sunt, & sicut in corpore vnum membrum, non omnium membrorum munera præstat, sed vnumquodq; suum, ita in corpore Ecclesiæ non vni tantùm omnes gratiæ concessæ sunt; secus, qui hac in re, se nimio feruore agi finit delinquit potissimum in duobus, quia nullum negotium ritè perficit; sicut mulier, quæ plures filios quam potest ablactandos suscipit, & sibi & filijs nocet, sibi quidem, quia corpus nimis extenuat, filijs verò, quia minus sufficienter lac subministrans eos imbecillos, & infirmos educat; Alterum malum est, quod, dum in his externis nimium inuoluitur, spiritus orationis prorsus euanescit.

De discip. & perfect. Monast. c. 21.

Alterum monitum est vt habeat quotidie aliqua temporis spatia orationi destinata, mane, & vesperi saltem, quæ ita diligẽter custodiat, vt nulla occupatione, nullo negotio abstrahatur ab illa. Moniti auctorem Bernardum assigno ad Eugenium Papam. *Tu tibi primus. Tu tibi vltimus.* Matutinum enim tẽpus maximè oportunũ est orationi, etenim animas

Animus à somno collectus surgit; nullis dum curis distractus in alienas à Deo cogitationes, nullisquè adhuc negotijs occupatur, propterea primordia diei orationi danda esse B. Laurentius Iustinianus suasit, sicque Sacerdos illud præstabit, quod tamquam proprium munus sacerdotibus iniunxerat Deus. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subijciens ligna mane per singulos dies*. sic Sanctus Carolus, cui hoc semper firmum fuit, vt numquam se negotijs daret, nisi prius mane oratione præhabita, & missæ sacrificio peracto, quia etiam nec vllam diem elabi sinebat in summis negotijs, atque in itineribus, quin ternas, & quatenas horas, multoties etiam integras noctes in oratione poneret. Idem faciendum est vesperi tum ad se ipsum colligendum, & discutiendum, tum ad gratias Deo agendas pro acceptis beneficijs. Quod si eueniat aliquando, vt hoc tempus orationi destinatum spirituali aliqua necessitate proximi interrumpatur, illud seruet, quod in alendo corpore, si enim casu contingat, vt hora consueta corpori alimentum dare non possit in aliam horam differt, non vero in diem. Igitur si hoc fit, & necessario in corporis vita, ipsaquè necessitas ad id extimulat, multo magis fieri debet pro spirituali salute, tũ sua, tum aliorum, vt non sinat se tantum auelli ab externis occupationibus, quin spatium semper aliquod eripiat, in quo vacet sibi ipsi, capiatquè cum Deo aliquid consolationis, & quietis: sic ergo tam exteriora, quàm interiora Sacerdotis benè disponentur. *De discip. c. 10.* *Leuit. 6.*

De frequenti, & fructuosa Missæ celebratione. *Cap. Vltimum.*



SED ex omnibus spiritualibus præsidijs, & adiumentis, quibus mens Parochi perfici potest, vt dignè vniatur Deo, nullum maius est, maioriq; cõmendatione dignum, quã diuinissimum missæ sacrificium, si sanctè, & dignè ab ipso peragatur; cum enim in eo ipse Christus offeratur, idem per sumptionem nobis coniungatur, quanta bona in hæc sacrosancta misteria dignè tractantem, redundare necesse est. nam *Missa sacra oblatione*, inquit D. Laurentius Iustinianus, *nulla maior, nulla vtilior, nulla diuinæ Maiestatis oculis gratior, qua Deo honorẽ Angelis contubernium, exulibus cęlum, religioni cultum, iustitiæ debitum, normã sanctitati, obedientiam legi, gentibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, vnitatem populis, sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, & peruenientibus tribuit speciẽ*. Summa rei posita est in Sacerdotis celebrantis dispositione, nam multi sunt, qui quotidie celebrant, & tamen multos post annos nec facti sunt seipsis meliores, quibus illud Aggæi merito obijci potest. *Seminastis multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati, operuistis vos, & non estis calefacti*; An non multum comedit Sacerdos, panem Angelorum, ac electorum frumentũ quotidie manducans? *Ser. de corpo. Christi.* *Aggæi 1.*

An non toties ignem ardentem in sinu suo recondit, quoties celebrat? cur ergo inter tantam cibi copiam esurit adeò, & proximus tanto igni

1.Cor. friget, & tepet adhuc? *quia domus mea deserta est*, quia animam suam, & cor suum, quod Dei domus est, ritè disponere, & præparare negligit. Hinc Paulus multos dicit esse infirmos, ac imbecilles, & multos immatura morte dormire, quod sine debita veneratione, & dispositione auderent ad hoc Sacramentum accedere.

Primò itaque tam sanctè, vitam suam, moresquè suos componat, vt quotidie sacrum facere possit, immo & faciat, nisi aliqua graui causa impediatur.

Quantopere conscientiæ puritas, & innocentia in Sacerdote ministrante requiratur, hoc optime declarant illa Christi verba, qui antequam discipulos suos, Sacerdotes consecraret, mundos prius pronunciauit. *Et vos mundi estis*, & inferius, *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes tantum lauet*, vt intelligerent, ministerium hoc tam insigne, eximiam quandã sanctitatẽ in ministrante, & suscipiente, postulare, cùm aliter animæ interitum, & perniciem pariat, vt in Iuda proditore optime innotuit, de quo sic egregiè D. Augustinus; *Bucella Dominica venenum fuit Iudæ, quam cum accepit, in eum inimicus intrauit, non quia malum erat, quod accepit, sed quia bonum malus malè accepit. Videte ergo fratres panem cœlestem spiritualiter manducare, innocentiam ad altare apportare, antequam ad altare accedatis*. Idem D. Chrysostomus, corporalis cibi similitudine, concludit, *Sicut cibus corporalis, cum corpus inuenit malis humoribus occupatum, amplius lædit, & nocet, nec vllum præstat auxilium, sic spiritualis hic cibus, si aliquem inuenit malitia inquinatum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio; tales enim sunt socij Iudæ proditoris, in quem post bucellam introiuit sathanas*. Argumentetur Sacerdos hanc vitæ puritatem ex sanctitate, quam exigebat Deus in legalibus ministris, vt sacræ litteræ multis in locis optimè testantur, sed illud Domini præsertim. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos*. Meritò Thomas à Villanoua Archiepiscopus Valentinus ex reuerentia, quam Arcæ ligneæ exhiberi volebat Deus, hoc idem colligit. *Quanta grauitas*, inquit, *quanta seueritas, quanta maiestas, quantus honor, quantus terror in arca lignea? tanta ne tibi cura de ligno? Non vtique sed propter nos hæc omnia facta sunt; in illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur, in eis discimus, quanti piaculi simul, & periculi sit indignè tractare, aut sumere sacrosanctum Christi corpus in hostia salutari, cuius typum sic Deus magnificauit, sublimauit, vindicauit. Veh sacrilegis manibus, veh immundis pectoribus impiorum Sacerdotum, à quibus tam insolenter quotidie tangitur, & suscipitur, si talis vltio in vmbra, qualis fiet in veritate? Si ignoranter, aut imprudenter videntes, aut tangentes typicam illam similitudinem, tam acerba morte damnati sunt, quæ animaduersio fiet in contemptores maiestatis: Iure optimo clamat Apostolus. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Audito hoc tonitru, quis non contremiscat ad huius tubæ sonitum, cuius aures non tinniant? quis de cætero his cognitis, impurus, & immundus audeat accedere?* Sed satis de hoc, est enim sermo cum Sacerdotibus, ex quibus sperandum est, nullum fore tam perfricatæ frontis, & tam reprobi sensus, vt de lethali culpa conscius

Marginal notes: Io. 13. — Tract. in Io. — In 1. ad Corint. — Exodi 19. — Concl. 1. de — Heb. 10.

fcius, ad hoc facrificium accedere præfumat. Hoc potius perfuadere fibi vnufquifque debet à venialibus culpis, quantum humana fragilitas patitur, abftinendum effe, quia licet huius Sacramenti effectum non impediant, aliqua tamen ex parte minuunt. ita nos monuit D. Bonauent. his verbis, *Proba teipfum in quanta charitate, & quali feruore accedis, non folum enim mortalia vitanda funt, fed etiam venialia peccata per negligentiam, vel otium multiplicata, & etiam per inconfiderationem, & per diftractionem diffolutæ vitæ, & malæ confuetudinis, licet enim non occidant animam, reddunt tamen hominem tepidum grauem, & obnubilatum, indifpofitum, & ineptum ad celebrandum, nifi dicti pulueres, ac ftipulæ venialium, per afflatum Spiritus fancti, & flammam charitatis ventilentur, & confumantur exardefcente igne cordis in confideratione*; & quoniam quotidianis defectibus carere non poffumus, eos etiam quotidiana confefsio detergat, vt præmonuit D. Gregorius Magnus in illa, Repleti prius pro panibus fe locauerunt. *Quia quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus, quia ipfa fola virtus eft, quæ euacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat.* Et fi id quotidie fieri non poteft, bis faltem fingulis hebdomadis, quo Sacerdotis confcientia purior conferuetur. *In tract. de præpar. ad Miff.*

Hoc itaque debet effe primum ftudium Sacerdotis, vt ea vitæ puritate fulgeat, qua digne celebrare pofsit. Illud etiam feruet, vt fingulis diebus celebret, nifi legitima aliqua caufa, vt vfu interdum euenit prohibeatur. tum ob fuam, tum ob populi fibi commifsi vtilitatem. Sapiens dogma eft Medicorum vbi caufæ morbi permanentes funt, remedia quoque permanentia effe debere, at etiam in pectore fuo Sacerdos peccati fomitem circumfert, quo femper ad malum impellitur, afsidua ergo reparatione, anima reftauranda eft. Vtitur hoc argumento D. Ambrofius. *Si quotiefcunque effunditur fanguis Chrifti, in remiffionem peccatorum effunditur, debeo femper meum accipere, quia femper pecco, & quia femper infirmus fum, debet femper accipere medicinam*, & fuperius dixerat. *Ifte panis vitæ æternæ, qui animæ noftræ fubftantiam fulcit, panis quotidianus eft, accipe ergo quotidie, quod quotidie tibi profit. fic viue, vt quotidie merearis accipere.* *Lib. 5. de Sacra. cap. 4. & 6.*

Accedit, quod deuotio, charitatis feruor, cæteræquè virtutes adeo tenui filo nobis colligatæ funt ob noftram fragilitatem, vt facili negotio amittantur, aut certè langueant, nifi eas caufas vrgeas, & frequentes, quibus potifsimum conferuantur, & augentur, cuiufmodi eft digna Miffæ celebratio, de ea enim hæc habet Laurentius Iuftinianus. *Vides*, inquit, *perfpicuè, nullum acceptabilius Deo offerri poffe facrificium, fiue ad exoluendum laudes, fiue ad exhibendum gratias, fiue ad impetrandum indulgentiam, vel ad gloriam promerendam, quam corporis, & fanguinis Chrifti facrofanctum mifterium.* Deinde ficut nutrici, dum filium ablactat, vberior, & frequentior paftus debetur, infanti fubminiftret. Sic Curator animarum fuarum tanquam fpiritualis nutrix eft, quem eas cœlefti pabulo pafcit, recreat, & fouet, non ne copiofiori, & frequentiori, quinimmo quotidiano cibo confirmandus nobis videtur? *Ser. de corp. Chrifti.*

Suadetur hoc etiam Parocho ob populi fui vtilitatem, quia *Pontifex*, inquit Apoftolus, *ex hominibus affumptus, pro hominibus conftituitur, vt offerat* *Ad Heb. 5.*

dona, & sacrificia pro peccatis non tantū proprijs, sed etiam alienis. Et si pastor verè oues suas diligat, pro illarum spiritualibus necessitatibus, sacrificium quotidie offerre non recusabit. Prætulit Sacerdoti facem, quamuis in figura Iob sanctissimus vir, cui quia filiorum suorum salus valdè cordi erat, ita pro illis solicitabatur, vt mane surgens cunctis diebus, holocausta pro illis offerret. Nec in alia re efficacius subditorum saluti prospicere, illisquè tam spiritualia, quam temporalia bona impetrare potest Sacerdos, quam in Missæ sacrificio, licèt enim omnes pij Pastoris preces, & supplicationes ad intercedendum pro populo valeant plurimum, illæ tamen quibus tanti sacrificij virtus adnectitur, tantam gratiam, & virtutem acquirunt, vt omnia facilè à Deo impetrent, nam omnipotentis viribus niti, perinde est, ac omnipotentem quodammodo fieri. Si enim odoratus est Dominus suauitatem odoris, cum Noè finito diluuio, illi obtulit holocaustum, si respexit ad Abel, & munera eius, quæ erant de optimis sui gregis, si gratū habuit Abrahæ sacrificium, cum pro Isaac immolat arietem inter vepres cornibus hærentem, nonne longè gratius, & acceptius erit illi hoc sacrificium, in quo vnigenitus eius filius, quem misit in mundum propitiationem pro peccatis nostris, illi offertur? *Vnum est hoc nostrum sacrificium*, inquit D. Ambrosius, *cum eo, quod Christus obtulit; Pontifex noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit, ipsam offerimus, & nunc, quæ tunc oblata est*. Petrus præcipiente Domino, & monstrante, staterem in ore piscis inuenit, quo censum pro se & Christo persoluit, Sacerdos autem in Christi sanguine, & carne pretium reperit, quo sua, & populi debita persoluat. Hac de causa multi pastores, cum optimè nouerint quam opportuna occasio sibi, & gregi suo proficiendi, sese offerat in Missæ celebratione, eam quotidie celebrare nullatenus intermiserunt, vt de S. Ambrosio annotauit Paulinus, qui singulis diebus celebrabat, nec properè, sed magna cū animi præparatione, & præmeditatione, quem S. Carolus imitatus est, cum & ipse quotidie celebrare non intermiserit, nisi vi morbi coactus, in ea enim cum Deo regiminis sui negotia communicabat, sui gregis necessitates representabat, ac tanti Sacramenti virtute, remedia salutaria impetrabat. Parochus itaque, qui partes suas in hac tam necessaria functione desiderari patitur, præterquam quod se sui gregis minimè amatorem ostendit, ea mala subit, quæ D. Bonauen. his ipsis verbis breui sermone expresit. *Cum Sacerdos absque peccato mortali, non habens legitimum impedimentum ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipso est, priuat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores uenia, iustos subsidio, & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & seipsum medicina, & remedio contra peccata, & infirmitates. Item priuat se omnibus ijs fructibus ex sacra communione prouenientibus qui sunt. peccatorum remissio, fomitis mitigatio, illuminatio mentis, interior refectio, Christi, et corporis eius mistici incorporatio, uirtutum roboratio, contra dæmonem fortitudo, & constantia, fidei certitudo, spei eleuatio charitatis exercitatio, deuotionis augmentatio. & Angelorum conuiuatio. Non complectitur sibi in unctum magnę dignationis obsequiū, nec officium exercet seruitutis Deo debitæ.*

Gen. 8. Gen. 4. Gen. 22. In epist. ad Heb. Lib. de præpa. ad Miss. cap. 5.

Ad-

Aduertat tamen quod quamuis quotidie celebret, sitque illi hic panis quotidianus, ne quotidianus vsus, quasi familiaritatem quandam sibi vindicás, quicquam minuat de accurata, & diligēti præparatione, non secus, ac si raro ad altare accederet, nam frequens vsus huius sacrificij in pio Sacerdote maiorem semper reuerentiam, & deuotionem parit, quam contemptum, nam inter Deum, & homines hæc differentia reperitur, quo quis magis homini alicui familiarius adhæret, eo facilius eius deffectus deprehendit, quia tandem homo est, minuitur familiaritate, & conuersatione illius fama, & existimatio, vnde Regem magis pauent, & venerantur externi, quam familiares, Deus attamen excellentior, & amabilior dignoscitur, quanto perfectius cognoscitur, & strictius illi coniungitur. Præterea diuinum hoc Sacramentum tantæ dulcedinis, ac suauitatis est, cum in eo spiritualis dulcedo tanquam in fonte, hoc est in ipso Deo gustetur, vt quo magis frequentatur, eo vehementiorem eiusdem panis edendi famem, ac desiderium pariat, quæ quidem fames in purgatis mentibus tanta est, vt mora vnius diei, maximum interuallum videatur, non enim in spiritualibus delitijs, & voluptatibus illud euenit, quod in terrenis, quæ quo magis conteruntur, eo magis illarum vanitatem, & amaritudinem, percipimus, ex quo fastidium, & contemptus oritur, e contra autem in spiritualibus delitijs, & præsertim in eo perfruendo, qui cum infinitè bonus sit, quo frequentius cum eo conuersamur, eo maiores semper in eo immensæ bonitatis, & perfectionis opes deprehendimus, atque desiderium eo fruendi magis crescit iuxta illud, *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient,* *Eccl. 24.* nullus autem maior stimulus est ad se diligentius pręparandum ad cęleste conuiuium, quam ardens desiderium eo fruendi.

Postea, quo frequentius Sacerdos hæc sacrosancta misteria tractat maiorem semper reuerentiam erga tam infinitam Maiestatem cōcipit, quia frequentius charitatis, religionis, ac humilitatis actus exercet, quæ virtutes, quo maiora virtutum incrementa accipiunt, magis, & Sacerdotis animum disponunt, quo fit, vt optima præparatio ad dignè celebandum postera die, sit hodie deuotè celebrasse. Quamobrem non ex habitu quodam, iam facto, aut ex consuetudine quadam, vt est in multis, Missam celebret, sed semper tempus arripiat ad se colligendum, nec ad altare accedat, nisi prius seipsum pia aliqua, & efficaci præparatione excitarit. Illud D. Io. Chrysost. mente retinens. *Ad diuina misteria negligenter accedens, supplicium intolerabile meretur, etsi semel in anno hoc faciat;* Neque etiam dubitandum est, Sacerdotibus tepidè celebrantibus gratiæ augmentum esse tenuissimum. *Homil. 24. in pri. ad Corint.* *Soto in 4. sent. d. 1. q. 2. a. 8.*

Porrò magna pars præparationis optimæ, nec non & dispositionis in intentione celebrantis consistit, idest vt offerat sacrificium, hoc vnum spectans, & ante oculos sibi proponens, gloriam scilicet Dei, non vero quæstum, & temporale lucrū, quod multi faciunt, idcirco adeo frequentes sunt in Missæ sacrificio, vt nec vnam diem labi sinant sine celebratione, ne terrenum illud emolumentum amittant, quos ita deplorat D. Bonauent. *Ve, ve, ue Domine Deus, quanti hodiè infelices ad sacros ordines accedunt,* *De præpar. ad Miss.*

dunt, & diuina misteria accipiunt, non cęlestem panem, sed terrenum quærentes non spiritum, sed lucrum, non Dei honorem, sed ambitionem, non salutem animarũ, sed quæstum pecuniarum, & Sacerdotes isti verè mercenarij, cum hoc præpostero fine celebrent, inter eos connumerari possunt, qui ad hãc mensam accedunt, tanquam communem sine vlla præparatione, & nullo ferè habito respectu tanti sacrificij.

His præhabitis magna cum reuerentia exteriori, & interiore accedat ad altare sacrum facturus, vtraque hoc sacrificium tam insigne honorandum est, æquum enim videtur, vt si Christus anima, & corpore salutem nostram operatus est, Sacerdos, qui hoc idem sacrificium offert in illius sacrificij cruenti memoriam tota mentis, & corporis deuotione illud idem comitetur. Exterior reuerentia in membrorum compositione, & in sacris cęremonijs attentè, grauiter & cum dignitate seruandis consistit, si res magni momenti est, erga principes, & magnates honoris, & vrbanitatis leges obseruare, atque in re aliqua etiam minima spectante ad illorum reuerentiam non deficere, quanti momenti erit, summum Deum signis reuerentiæ ab ipso institutis per Ecclesiam absque vllis defectibus honorare? De hoc bene monent illa Tridenti-

Sess. 22. de obser. Miss. ni Concilij verba. *Quanta cura adhibenda sit vt sacrosanctum Missæ sacrificiũ omnis religionis cultu, ac veneratione celebretur, quiuis facilè existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum, ac diuinum à Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum misterium, quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus in altari per Sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet omnem operam, ac diligentiam in eo ponendam esse, vt quanta maximè fieri potest cordis munditie, & puritate, atque exteriori deuotione, ac pietatis specie peragatur.*

Exterior reuerentia cum interiori coniungenda est, quę medulla est, & anima exterioris. Hæc multa complectitur, virtutum quarũdam exercitationem, & inprimis religionis, humilitatis, fidei, spei, charitatis; complectitur etiam attentionem, vt mentem, & affectum cum verbis, & cum re ipsa, quam tractat, coniungat, vt faciebat D. Thomas Cantuariensis Episcopus, qui ita versabatur in altaris officio, ac si passionem Christi Domini tunc coram se agi videret: deponat itaque omnes cogitationes alienas. Præfigurabat hoc Aron templum ingressurus cau-

Exod. 28. sa sacrificij, qui laneis depositis, lineis induebatur, quod S. Isidorus Pe-

Lib. 1. epist. 45. lusiota interpretatur, deponendos esse de memoria tumultus externos; spectaculum enim est Sacerdos, cum celebrat non solum adstantibus hominibus, non tantum Angelis, qui vt refert D. Io. Chrysostomus cum

Hom. 3. cõtra Ano. horrore adstant Sacerdoti celebranti, cum tremore suspiciunt, & alis faciem suam tegunt præ reuerentia, sed ipsi Deo, qui modo Sacramentali, quem mirabilem confitemur, sibi præsentissimus adest, maius est, & pertimescendum magis.

Maximus fructus huius sacrificij consistit in vsu postulationis, nec enim tantũ orat vt publica persona, nec tantum sacrificium offert pro alijs, sed sibi etiã consulit. Debet ergo semper aliqua sibi ipsi necessa-

ria,

ria,& vtilia petere ex merito tanti facrificij,spirituales, tum suas, tum sui gregis necessitates proponere, vt à liberalissimo Domino conueniens subsidium accipiat.

Et quoniam ex sententia Thomæ à Campis multi exiguum fructum accipiunt de mensa Christi, quia nec antea,nec postea sunt sufficienter in custodia sui,nec satis reuerenter præcogitant, qui venturus est, nec postea ruminant, quia hodie Sanctus Sanctorum ingressus est ad eos, idcircò peracto Missæ sacrificio colligat seipsum, Deo pro tam ingenti beneficio gratias agat, acceptumque ignem foueat in sinu suo, vt magis vrat,statim enim, vel ferè statim à mensa Domini ad negotia transire externa, spirituali sanctitati maximè obest; quis enim corporis sanitati consulens statim sumpto cibo, exercitijs, & labori se dedicabit, an potius quietem quæret,quo calor naturalis sumptum cibum in substantiam nostram conuertere possit? ita in hoc Sacramento, vt ipsius virtus in animam nostram se diffundat, quies à negotijs, & distractionibus est necessaria, & qui hoc non præstant, virtutem huius Sacramenti in seipsis non sentiunt: quod spiritualis mortis, vel ad mortem disponentis stupiditatis inditium esse, asseruit Bonauen. Sed hæc summatim attigisse sit satis,cum non desint ex alijs, quæ in meditãdo, & orando Sacerdotis animum magis perficere possunt.

De vita solit. lib. 1. c. 25.

Saltem per hora quadrantem.

De præpar. ad Miss. c. 34.

Adiumenta Secundæ Partis.



VT igitur talem se præbeat Parochus erga Deum, qualem ipsius partes postulant, vtilissimum erit, si, quæ mox subijcio haud despicienda diligenter obseruet.

Alterum est,si quoquo mense diem eligat,in quo magno quodam gratitudinis affectu, & seria cogitatione vocationem suam,diligenter expendat,quale vinculum cum Deo contraxit, quantumque sit hoc ministerium animarum. Ex qua animi meditatione pleraque commoda orientur.

Facit enim primo,vt nulla obrepat obliuio nostræ obligationis. Verum dæmonis opera in tepidis, & imperfectis Sacerdotibus, si non perditur penitus huiusmodi recordatio,obscuratur tamen aliquando; frequenter ergo exercenda,& renouanda est.

Secundo,quia sic excitamur ad gratitudinem, etsi enim non habeamus, quibus parem vicem Deo pro tanto beneficio rependere possimus,tamen in beneficio reddendo; *plus animus, quàm census operatur*, ait D.Ambrosius,magisque præponderatur beneuolentia, quàm possibilitas reddendi munus, Et sicut *obliuio mater est ingratitudinis*, vt apertè indicauit Dauid, qui Israelitarum peccata obliuioni adscribit. *Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ, tuæ; & citò fecerunt, & obliti sunt operum eius*. Et D. Chrysostomus omnia ferè nostra mala ex incuria, & inconsideratione proficisci docuit, ita accepti beneficij perpetuò memorem esse, grati animi inditium est.

Lib. de off. c. 23.

Psal. 107.

Homil. 32. in acta Ap.

Tertio: memoria hæc omnem segnitiem, & tarditatem fugat à pe-

ctore Sacerdotis, immo memoria, per suæ obligationis recordationem, excitata, cõscientiam pungit, & extimulat ad munus suum diligentiùs obeundum; & voluntas ipsa promptiùs se tradit Deo in obsequium animarum.

Postquam verò suam vocationem ritè expenderit, mox ad conscientiam propriam recurrat, quod erat secundo loco proponendum, solerterquè inspiciat mores, actusquè suos, an vocationi suæ respondeant, & quos grauiores defectus, vel in Dei seruitio, aut obsequio animarum procurando, aut circa propriam salutem in se deprehenderit, & in quibus magis frequens, & familiaris est, particulari studio per totum mensem futurum sibi corrigendos, & emendandos proponat, neque enim contra omnes prauos habitus simul pugnam suscipiendam esse, vitæ spiritualis Magistri docuerunt, Sed vt securior victoria habeatur, paulatim in hac re procedendum est. Vt enim venator, qui multas feras simul insequitur, huc, illucquè vagatur, sæpè nullam earum capit, & non solũ fatigatus, sed etiam vacuus domum reuertitur, ita qui omnes prauas, & obliquas affectiones simul corrigere, & moderari vult, nullas perfectè corriget. Et sicut sponsa non se simul totam ornat, & expolit. sed per partes se decoram efficit. Primùm lauat manus, tum faciem, inde oculos optimè detergit, capillaturam crispat, aures in auribus, collum torque, manus anulis ornat, & totã denique se comit, sic omnino mens, quæ Christi connubium expetit, per gradus ad perfectionem ascendere debet.

Verùm cũ nobis integrum non sit, ex virtutis præscripto operari, sed omnis nostra sufficientia sit ex Deo ad opus iuuante, ideo ad Deum omni cordis fiducia confugiat, & eas virtutes petat, quas sibi magis necessarias cognouerit, quod vt faciliùs, assequatur, maximo adiumento erit intercessio Sancti, quem Ecclesiæ suæ patronum, aduocatum, & protectorem elegit.

Et quamuis quæ Sacerdotis affectum incitare, & incendere possunt, potius ex vnctione Spiritus sancti, quam ex alieno sensu dependeant, hæc tamen annotasse, mihi molestum non fuit.

PRIMA MEDITATIO.

I. AMOR proprius tibi primò vincendus est, cum sit radix omnium iniquitatum, & venenum sanctæ charitatis, & sicut prima Hominis perditio fuit amor sui, idem amor salutis nostræ exterminium est teste D. Augustino.

Ser. de diu. tom. 2.

II. Amor Dei, & amor sui in opposita tendũt, ille creatorem respicit, iste creaturam, ille quod Deo gratum amplectitur, iste quod sibi vtile, & iucundum; & si Deo inuisum sequitur, propterea isti duo amores fecerunt ciuitates duas, *terrenum scilicet amor sui vsque ad contemptum sui*.

III. Tanto ergo in amore Dei proficies, quantò in amore tui superando laborabis. Coangustatum est stratum, itaut alter decidat, & breue est pallium, quod vtrumque operire non potest.

Is. 28.

IV. Amor

IV. Amor sui difficultates horret, laborem refugit, quia hominem pusillanimem reddit. Quo modo ergo virtutem acquires, quæ nisi labore, & sudore paratur, qua ratione artem pastoralem adeò laboriosam, & periculosam ritè exercere poteris? Quos flexo poplite aquam bibere Gedeon aspexit, hos tamquam ineptos ad bellum reiecit. *Iud. 7.*

V. Inter ipsa pia opera, & exercitia sancta se immiscet, quando facit, vt in istis operibus non quæratur solus Deus, sed nostra voluntas, cuius hoc erit inditium, cum nimia quadam cura, & solicitudine in ea opera incumbis, quæ visuri sunt homines, è contra verò magna incuria ea operaris, quæ visurus, & probaturus est Deus.

VI. Se priuabit æterna mercede, sicq; illud dicere poteris in tempore tuæ resolutionis, quod Iacob ad socerum suum. Viginti annis serui- *Gen. 31.* ui tibi, & immutasti mercedem meam, decem viribus, ita prorsus laboriosissimo opere incumbis, dum animas curas, non dat tibi requiem die, ac nocte, at quia immoderatè te, tuaque diligis, & quæris immutabitur merces tua, è paradiso excluderis.

SECVNDA MEDITATIO.

I. QValis est amor, talia etiam opera consequútur. *Amor meus*, inquit D. Augustinus, *pondus meum, eò feror, quocumque feror.* Si amor tuus terrenus est, semper ad terrena, & ima deprimeris. Animalis homo non percipit, ea quæ Dei sunt.

II. Propterea corpori tuo, ac propriæ voluntati perpetuum indicito bellum, nam abnegatio sui contra venenum amoris proprij optimum antidotum est. si enim perit homo amando se, profectò inuenitur abnegando se.

III. Consistit autem hæc abnegatio, in firma voluntate eligendi molesta quæcumque, & aduersa corpori tuo: è contra verò illi grata, & iucunda subtrahendi, itaut nullum sit commodum, quod propter Deũ non contemnas, tuamq; voluntatem illius voluntati promptè, & hilariter accomodes.

IV. Hoc facilè assequeris, si corpus tuum, & propriam voluntatem tamquam hostem tuum consideres, ideò Christus. *Qui vult venire, abneget, semetipsum*, & Rursus. *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrẽ, & vxorem, & filios, adhuc & animam suam non potest meus esse discipulus.*

V. Non hominum seruus es, sed omnipotẽtis Dei, in illum ergo actus tuos dirige illius tantum voluntatem, & gloriam quære. *Insipiens*, inquit D. Bernardus. *tu qui congregas merces in saccum pertusum, qui thesaurum tuum in alieno ore constituis: ignoras, quod arca ista non claudatur, nec seras habet?* *Ser. 4. de Aduen.*

VI. At nihil melius, quam si in amore Dei proficias, tanto enim amor sui decrescit, quanto amor Dei inualescat, Ama Deum, & teipsum despicies.

TERTIA MEDITATIO.

VErum est illud Sanctorum Patrum axioma, quemuis cupidum perfectionis, eò magis in virtute crescere, quò magis in eo virtutes decrescunt, maximum ergò studium in illis tollendis ponendum est. & præsertim in fugiendis peccatis venialibus, quantum ad id diuina ope firmaberis, quia peccatum veniale, est contra Dei præceptum, & voluntatem vt docuit D. Bernardus, nec in magnis, nec in paruis offendendus est Deus.

Lib. de præcep. & dispen.

II. Continet in se talem turpitudinem, vt animam deformem reddat, & exterminet perfectum illius spiritualem decorem.

III. Cum sit spiritualis animæ ægritudo, nisi magna cautio adhibeatur ad mortem animæ disponit, scilicet ad peccatum mortale, sicut infirmitas corporis, ad interitum corporis disponit; & ratio est, quia peccatum veniale quò magis frequentatur, eò magis mentem obnubilat, ne peccati mortalis turpitudinem agnoscat, debilitat etiam vires animæ, ne facilè tentationi resistat.

IV. Feruorem charitatis, atque aliarum virtutum minuit, sicut cinis viuis carbonibus super iniectus, ipsorum tùm calorem, tùm splendorem offuscat; hinc in meditando torpor, hinc segnities, & negligentia in functionibus Ecclesiasticis, hinc tepiditas in progressu virtutum.

V. Talis est peccati venialis macula, vt si in præsenti vita non expiatur, non nisi purgatorij flammis delerí, & abstergi posit.

VI. Hæc omnia mala si insunt, in quouis homine in peccatis venialibus, sanè grauiora erunt in eo, qui tamquam exemplum sanctitatis, & perfectionis cæteris propositus est, quò enim pulchrior est vestis, cum fœdatur, manifestior, & turpior labes existit.

QVARTA MEDITATIO.

I. ET quamuis omnia peccata venialia tibi euitanda sint, quantum humana fragilitas patitur, nonnulla tamen sunt, quæ præ cæteris spiritualem progressum impediunt. Et primum est ingrati animi vitium hoc est post accepta à Deo tot beneficia, illorum immemorem esse, nec debitas Deo gratias refferre, Deo inuisa est ingratitudo, viam obstruit gratiæ, & paulatim ad interitum disponit.

Lib. 10. Inst. c. 6.

II. Otiositas, cuius damna disce, ex Cassiano. *Mens otiosi nihil aliud cogitare nouit, quam de escis, & de ventre, donec inuenta quandoque sodalitate, cuiusquam viri, vel fœmina æquali tẽpore torpentis, rebus eorum, & necessitatibus inuoluatur, & ita paulatim reddatur noxijs occupationibus irretitus, vt ad perfectionem nequeat peruenire.*

Ps. 118. lo. 3.


III. Tepiditas, seu fastidium in spiritualibus exercitijs, quod somnũ appellauit Dauid. *Dormitauit anima mea præ tædio*. Cuius tepiditatis hæc sunt inditia. libenter subterfugere labores ad salutem animarum fructuosos, indulgere sibi, & proprio corpori deseruire.

IV. Ni-

IV. Nimia cura humanæ laudis in tuo munere obeundo, ex qua duplex malum oritur: Alterum quidem est quia rectitudo intentionis tollitur, quia ad infima flectitur, Vnde Paulus. *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Alterum verò est, quod qui dicta hominum attendit, pusillanimis, & pauidus est in suo munere, sicut Nicodemus, qui venit ad dominum nocte, quia erubuit in die, & coram alijs se Christi discipulum profiteri. Io. 3.

V. Vana æstimatio tui, quasi te putes quid magnum, & excellens, cum tamen sis miser, & miserabilis.

VI. Quædam animi inquietudo, & instabilitas, cum enim tibi ipsi nimium arroges, non quiescis in eo loco, in quo media tui superioris voluntate à Deo positus es, sed existimans tibi semper maiora deberi, nouam, & digniorem sedem affectas, ex quo hæc tria mala protinus insurgunt. Primum est assidua quædam animi perturbatio, cum comitem semper habeas superbiam, quæ te continuò angit, & excruciat. Secundum est. Cum recogitas, & speras te citò in alium locum vocandum, fructus quidem vineæ diligenter percipis, non tamen debitam operā laboris impendis. instar coloni qui vineam sibi locatam citò est alijs resignaturus. Tertium est, & cum differas de die in diem sanctè, & piè operari, superuenit interdum repentinus interitus, & sic tollitur dilatio, & sola restat damnatio. Arbores illæ, quæ modò hic, modo illi plantantur, nec radices emittunt, sed facilè arescunt.





DE CVRA ANIMARVM.

PARS TERTIA.

Curator animarum suæ primò, mox alienæ saluti studeat. *Cap. Primum.*

POstquam ijs omnibus fuerit optimè instructus, & munitus Rector animarum, quod ad cæteros attinet; videndū non est, quo pacto, se ipsum informet; propria namq; primo loco, tum aliorum salus procuranda est. nūc vt docuit D. Gregorius Nazianzenus, in Apologetico. *Officium Sacerdotis circa hunc duplicem cardinem versatur; Primo in anima sua purgari debet, deinde purgare alios sibi sapere & alios sapientiores efficere, lumen esse, & cæteros illustrare, ad Deum accedere, & alios eodem inuitare. Deniq; sanctus esse sibi, & alios ad veram sanctitatem pertrahere.*

Dictat namque naturalis ratio, vt magis quis se ipsum diligat, quam alterum, & prius ea sibi studeat comparare, quæ sibi sunt necessaria, deinde alijs. Quam ob causam sapientissimè putauit D. Augustinus *Lib. 1. de Doct. Chr. c. 26.* homini à Deo præceptum datum non fuisse, de diligendo se ipso. *Quia id, quod sumus, & id, quod infra nos est, ad nos tamen pertinens inconcussa naturæ lege diligimus, quæ in bestias etiam ipsas promulgata est.* Atque hic à natura inditus amor lege etiam charitatis magis perficitur, & roboratur, quæ vt perfecta sit, ordinata esse debet, alioquin si desit ordo, vera charitas non est. *Augu. lib. 50. hom. hom. 37.* Is autem est, vt prius diligamus Deum, deinde iustè, & sanctè diligamus nos ipsos, tum denique hanc eandem charitatem proximo impertiamur; Neque hic sermo est de ea dilectione qua corpus tantum, & ea, quæ ipsius sunt solummodò procuratur. Imò addit D. Antoninus, *4 p. tit. 11. c. 3.* *dum præcipit Deus, vt diligamus proximum nostrum, sicut nos ipsos, prius salutem nostram, quam aliorum procurandam esse, hoc ipso indicat. quia dilectionem hominis*

ad

ad seipsum proponit, tamquam exemplar dilectionis ad alterum, prius autē est exemplar exemplato, & magis quis ex charitate debet se ipsum diligere secundum animam, quam proximum, quia charitas fundatur præcipuè in participatione bonorum spiritualium; atqui post Deum quisque sibi primus est, qui particeps sit huius boni, proximus verò diligendus, vt socius in tali participatione, vnde sicut vnitas est potior, quam vnio, ita quod homo participet bonum diuinum, est potior ratio diligendi, quàm quod alius sibi associetur in tali participatione: quod eo etiā magis apparet, quia nemo pro salute proximi tenetur aliquod malū, aut peccatū facere, quod propriæ saluti contrarietur. *Quare facit homo*, inquit Augustinus, *quidquid potest etiā pro temporali salute hominum, licitè tamen; cum autem ad hoc venerit, vt saluti aliorum nisi peccando consulere possit, iam tunc existimet non esse legem charitatis, quia nemo est germanior sibi quam ipsemet. ita Augustinus.* Lib. 22. q. q. 2.

Spectauit hoc idem D. Bernardus cum Eugenio Pontifice maximo hanc eandem charitatis legem proposuit his verbis. *Si totus vis*, inquit, *esse omnium instar, illius qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso? Et tu bonus es? ergo vt integra sit & plena humanitas colligat, & te intra se sinus qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodest si vniuersos lucreris iuxta verbum Domini, te vnum perdens. Si maledictus qui partem suam facit deteriorem, quid ille, qui se pœnitus reddit expertem?* Qua propter alio in loco animarum pastores, & cōcionatores cupiebat esse concas, non verò canales, *hi siquidem simul recipiunt, & refundunt, illa verò donec impleantur expectant, & sic quod super abundat, sine suo damno communicat.* Et paucis interiectis. *Sed charitas, inquis, non quærit, quæ sua sunt, & tu scis quamobrem non quærit, quæ sua sunt? profectò quia non desunt. Quisnam quærat, quod habet? Charitas, quæ sua sunt, idest propria saluti necessaria nunquam non habet. Nec modo habet, sed etiam abundat, vult abundare sibi, vt possit, & omnibus. Seruat sibi quantum sufficiat, vt nulli deficiat. Alioquin si plena non est, perfecta non est.* hucusque Bernardus. Itaque Pastor si seipsum verè diligit sibi prius, & postea gregi attendere debet, vt monitum fuit D. Petri illis verbis. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Deus vos posuit Episcopos.* Lib. 1. de consid. Ser. 18. in Cant.

Est hoc etiam prudentis viri propriæ saluti vacare prius; quæ enim prudentia docuit vmquam subueniendum esse alijs cum suo detrimento, præsertim si animæ detrimentum sit? *Nullum enim arbitror ad salutem*, inquit D. Bernardus, *pietatis gradum illi gradui anteponendum esse, quem sapiens posuit. Miserere animæ tuæ placens Deo. Quod si non habeo nisi parumper olei, quo vngar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Seruo illud mihi, & omnino nisi ad Prophetæ iussionem non profero. Si institerint rogitantes aliqui ex his, qui fortè existimant de me supra id, quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me. Respondebitur eis, ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Et re vera quid iuuat alijs fontem indicasse, si ipse præ siccitate moriatur, si alios doceat, se ipsum verò non doceat, similis factus arcæ Noë extructoribus, qui arcam, in qua alij seruarentur fabricarunt, ipsi autem diluuij aquis perierunt; multos enim constat, qui multis saluti fuere, in inferno torqueri, quia alienam solum, non autem propriā salutem curarunt. Nihil profectò proderunt Curatori aliorum iustificationes Act. 20. Ser. 18. in Cant. Eccl. 30.

tiones



DE CVRA ANIMARVM.

PARS TERTIA.

Curator animarum suæ primò, mox alienæ saluti studeat. Cap. Primum.



POstquam iis omnibus fuerit optimè instructus, & munitus Rector animarum, quod ad cæteros attinet; videndū non est, quo pacto, se ipsum informet; propriæ namq; primo loco, tum aliorum salus procuranda est. nūc vt docuit D. Gregorius Nazianzenus, in Apologetico. *Officium Sacerdotis circa hunc duplicem cardinem versatur; Primo in anima sua purgari debet, deinde purgare alios sibi sapere & alios sapientiores efficere, lumen esse, & cæteros illustrare, ad Deum accedere, & alios eodem inuitare. Deniq; sanctus esse sibi, & alios ad veram sanctitatem pertrahere.*

Dictat namque naturalis ratio, vt magis quis se ipsum diligat, quam alterum, & prius ea sibi studeat comparare, quæ sibi sunt necessaria, deinde alijs. Quam ob causam sapientissimè putauit D. Augustinus
Lib. 1. de Doct. Chr. c. 26. homini à Deo præceptum datum non fuisse, de diligendo se ipso. *Quia id, quod sumus, & id, quod infra nos est, ad nos tamen pertinens inconcussa naturæ lege diligimus, quæ in bestias etiam ipsas promulgata est.* Atque hic à natura inditus amor lege etiam charitatis magis perficitur, & roboratur, quæ vt perfecta sit, ordinata esse debet, alioquin si desit ordo, vera charitas non est. Is autem est, vt prius diligamus Deum, deinde iustè, & sanctè di-
Augu. lib. 50. hom. hom. 37. ligamus nos ipsos, tum denique hanc eandem charitatem proximo impertiamur; Neque hic sermo est de ea dilectione qua corpus tantum, & ea, quæ ipsius sunt solummodò procuratur. Imò addit D. Antoninus,
4 p. tit. 11. c. 3. *dum præcipit Deus, vt diligamus proximum nostrum, sicut nos ipsos, prius salutem nostram, quam aliorum procurandam esse, hoc ipso indicat. quia dilectionem hominis*

ad

ad seipsum proponit, tamquam exemplar dilectionis ad alterum, prius autē est exemplar exemplato, & magis quis ex charitate debet se ipsum diligere secundum animam, quam proximum, quia charitas fundatur præcipuè in participatione bonorum spiritualium; atqui post Deum quisque sibi primus est, qui particeps sit huius boni, proximus verò diligendus, vt socius in tali participatione, vnde sicut vnitas est potior, quam vnio, ita quod homo participet bonum diuinum, est potior ratio diligendi, quàm quod alius sibi associetur in tali participatione: quod eo etiā magis apparet, quia nemo pro salute proximi tenetur aliquod malū, aut peccatū facere, quod propriæ saluti contrarietur. *Quare facit homo*, inquit Augustinus, *quidquid potest etiā pro temporali salute hominum, licitè tamen; cum autem ad hoc venerit, vt saluti aliorum nisi peccando consulere possit, iam tunc existimet non esse legem charitatis, quia nemo est germanior sibi quam ipsemet. ita Augustinus.* Lib. 22. q. q. 2.

Spectauit hoc idem D. Bernardus cum Eugenio Pontifice maximo hanc eandem charitatis legem proposuit his verbis. *Si totus vis*, inquit, *esse omnium instar illius qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso? Et tu bonus es? ergo vt integra sit & plena humanitas colligat, & te intra se sinus qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodest si vniuersos lucreris iuxta verbum Domini, te vnum perdens. Si maledictus qui partem suam facit deteriorem, quid ille, qui se penitus reddit expertem?* Quapropter alio in loco animarum pastores, & cōcionatores cupiebat esse concas, non verò canales, *hi siquidem simul recipiunt, & refundunt, illæ verò donec impleantur expectant, & sic quod super abundat, sine suo damno communicat.* Et paucis interiectis. *Sed charitas, inquis, non quærit, quæ sua sunt, & tu scis quamobrem non querit, quæ sua sunt? profectò quia non desunt. Quisnam quærat, quod habet? Charitas, quæ sua sunt, idest propriæ saluti necessaria nunquam non habet. Nec modo habet, sed etiam abundat, vult abundare sibi, vt possit, & omnibus. Seruat sibi quantum sufficiat, vt nulli defficiat. Alioquin si plena non est, perfecta non est.* hucusque Bernardus. Itaque Pastor si seipsum verè diligit sibi prius, & postea gregi attendere debet, vt monitum fuit D. Petri illis verbis. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Deus vos posuit Episcopos.* Lib. 1. de consid. Ser. 18. in Cant. Act. 20.

Est hoc etiam prudentis viri propriæ saluti vacare prius, quæ enim prudentia docuit vmquam subueniendum esse alijs cum suo detrimento, præsertim si animæ detrimentum sit? *Nullum enim arbitror ad salutem*, inquit D. Bernardus, *pietatis gradum illi gradui anteponendum esse, quem sapiens posuit. Miserere animæ tuæ placens Deo. Quod si non habeo nisi parumper olei, quo vngar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Seruo illud mihi, & omnino nisi ad Prophetæ iussionem non profero. Si institerint rogitantes aliqui ex his, qui fortè existimant de me supra id, quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me. Respondebitur eis, ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Et re vera quid iuuat alijs fontem indicasse, si ipse præ siccitate moriatur, si alios doceat, se ipsum verò non doceat, similis factus arcæ Noè extructoribus, qui arcam, in qua alij seruarentur fabricarunt, ipsi autem diluuij aquis perierunt; multos enim constat, qui multis saluti fuere, in inferno torqueri, quia alienam solum, non autem propriā salutem curarunt. Nihil profectò proderunt Curatori aliorum iustificationes Ser. 18. in Cant. Eccl. 30.

tiones si in Christi aduentu inueniatur minus habens.

Acceperat hoc Petrus à Saluatore, qui Apostolis præceperat, vt sibi attenderent: *Attendite vobis*: hoc est: placet in proximos charitas vestra, sed attendite vobis. Proximi res vos estis vobis. Charitas ergo à vobis incipiat. Quare illud sapientis semper ante oculos habendum est. *Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam, & attende tibi.* *Quia electi & boni Pastores*, vt egregiè docuerat D. Gregorius, *sic lucra aliorum expetunt, vt sui nulla damna patiantur. Pleni quippè in se ipsis, sunt effluentes alijs, & de abundantia sui sic alijs tribuunt, vt suæ plenitudinis aliquid non amittant. Sic alijs præbere oleum nituntur, ut à se fomenta luminis non tollantur, ut dum alios illuminant, se non extinguant.*

Luc. 17.

Eccl. 29.

In cap. 9. lib. 1. Reg.

Vlterius quis nesciat Pastorem animarum tunc melius, & efficacius sui gregis saluti profuturum, quò diligentius ipse suo studuerit profectui? & quamuis verum sit, nec sacramentorum virtutem ministrorum vitio minui, nec doctrinæ veritatem doctoris improbitate vitiari, quia vt ait D. Chrysostomus terra, quæ vilis est preciosum tamen auru producit, & multi sunt in Ecclesia ministri, seu potius mercenarij, qui licet Deo odibiles sint tamen prædicant, dum sacramenta administrant, pulchros filios spiritualiter parturiunt: hi nihilominus partus rari, & pauci admodum sunt, nec valdè perfecti, & ordinaria diuinæ prouidentiæ ratio postulat, vt effectus suæ causæ respondeant, & quò Pastoris anima veluti publicum sui gregis ærariū maioribus diuitijs, & opibus abundabit, maiora etiam ad alios ditandos adiumenta suppetent, & quò nobilius & perfectius erit instrumentum, perfectius etiam opus euadet, & nutrix quò delicatiori cibo se ipsam reficit, maius etiam alimentum nutritio puero impertit, & tribuit. Confirmatur quotidiano experimento, cum videamus Sacerdotes illos, qui ita aliorum saluti vacant, vt suā in primis curent, quique secum, & cum proximis horas partiuntur magno cum suo, & aliorum fructu, & fœnore domini sui vineam excolere, eos verò, qui sine vlla mensura, & suæ salutis solicitudine totos se effundunt in aliena, & quidem temporalia, esse ferè inutiles, & oleum, & operam perdere; facit enim dæmon in istis Sacerdotibus, quod olim Pharao in Hebreis, qui cum in desertum ad sacrificium Deo offerendum ire se velle dicerent, ille contra duplicatis operibus luti, ac palearum obruere eos conatus est, ne videlicet otium haberent, ad illa cogitanda, & molienda. Nouit quippè inimicus, quod dum mens nostra in plura distrahitur, & maximè secularia, eo minus illi virium, ac roboris superesse necesse sit, quod in spiritualia conferat. Iure isti illa Canticorum, vsurpare possunt. *Posuerunt me custodem in vineis, & vineam meam non custodiui. Tunc autem non custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium nostræ salutis negligimus*, benè exposuit. D. Gregorius.

Hom. 45. in Matth.

Exod. 5.

Cant. 1.

Homil. 17. in Euang.

Neque propterea dicimus, sibi soli vacandum esse, nihil verò proximo impertiendum, & deserendas esse ab animarum Rectore occupationes, & solicitudines illas, quas Dei obsequium, & salus proximi requirunt, vt suæ spirituali quieti, tantum studeat hoc non decet eum Sacerdotem, qui ob dominici gregis vtilitatem Pastoralem personam

induit

induit, immò charitas illa, de qua Apostolus monet, quòd non quærit quæ sua sunt, aliquandò postulat, vt ad proximi salutem si non perficiendam, saltem adiuuandam, interna hæc solatia, quæ in cordis sui quiete, inter orandum, & meditandum haurit animus Sacerdotis, ad tempus intermittantur, & relicta parte Mariæ, Marthæ adhæreamus totique simus in salute proximi. Sic Petrum supra omnes Christum diligentem voluit Deus oues suas curare, & Moysem in montis cacumine secum suauiter colloquentem dimisit, & tam suaui colloquio renunciare iussit, vt peccantem populum corrigeret, & simul puniret, apertè significans hunc præcipuum charitatis effectum, ipsis arctioribus diuinæ naturæ, vt ita loquar, amplexibus aliquando carere; nimirum cum id proximorum salus à nobis necessario exigere videatur. Quod & docuerunt sanctorum virorum in salutem animarum incumbentium exempla, ex quibus Sanctus Bernardinus disertè profitetur, se fructum animarum, qui ex concione colligitur, suę contemplationi anteponere, cuius tamen suauitate maximè alliciebatur. *Charitas*, inquit, *quæ non quærit, quæ sua sunt, id mihi iam dudum facilè persuasit, nihil desiderabilium eorum uestris præferre utilitatibus: Orare, legere, scribere, meditari, & si quæ sunt alia spiritualis studij lucra hæc arbitratus sum propter uos detrimenta.* Nouerat enim optimè quod dum Deum propter Deum tantisper deserimus, vt illi in proximis nostris seruiamus, hoc esse eundem Deum, quasi deuincire ad multiplicandam annuam, & cœlestes opes in nobis; etenim si eorum, qui, vt toti sint in rebus nostris curandis, propria negotia deserunt, eam curam gerere solemus, vt illis necessaria omnia prouideamus, cur non hoc magis cumulatè, præstabit liberalissimus Dominus? Hoc igitur est quod suademus, ne Parochus cum suæ salutis dispendio aliorum saluti prospiciat, seruiatque. — Ser. 51. in Cant.

Quod erit facillimum assequi si primo loco in cunctis actibus suis, & pro nullius hominis respectu, quid faciat, quod Deum offendat, & conscientiam suam mordeat, nam si hoc gregarium quemuis decet cur non magis Sacerdotem, & Rectorem animarum? Secundò si iuxtà sapientis consilium, haud in multis sint actus eius, hoc est, si eas tantum occupationes admittat, quæ illius mentem non obruant, & ad suæ salutis obliuionem paulatim ducant abundabit scrupulis, quales conscientiam aliena multa curantem, & se ipsam negligentem torquere solent. Tertio loco Angelum custodem suum, & modum, quem ipse seruat in sui ipsius custodia sibi proponat ad imitandum; neque enim impossibile est eum imitari, quem suæ vitæ ducem, & virtutis magistrum accepit. Quemadmodum ergo Angelus nostram salutem curat, & ad omne opus bonũ instantissime nos prouocat, & simul suam tranquillitatem conseruat, & spirituales oculos in vniuersorum conditorem semper intendit, & semper videt faciem Patris qui in cœlis est; Ita animarũ Rector proximos iuuet, è spiritualibus periculis eripiat, viam celestis patris demonstret, & quasi Angelorũ munus erga animas exerceat, caueat tamen nè neutris tranquillitatem amittat, vt & animæ suæ salutem tueatur. — Eccl. 11.

De

vitæ innocentia, & puritate Pastoris. Exemplo sit Iudith pudicitia, qua Deus vsus est ad profligandum Holofernem cum exercitu suo, & toti patriæ salutem afferendam; siquidem huic pudicitiæ, non verò armis tam insignem victoriam summus Sacerdos Ioachim attribuit. *Eo quod, inquit, castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris, ideò & manus Domini confortauit te, & eris benedicta in æternum.* Quod si vnius mulieris pudicitia vniuerso populo liberationem attulit, & de hostibus triumphum egit, quantæ virtutis erit ad spirituales hostes longius arcendos à grege pastoris continentia? His adde, quandoque ob incontinentiam pastoris populum ipsum à Deo puniri, & flagellari, quia obscenæ carnis voluptates sunt quidem in omnibus damnandæ, at verò in Sacerdote omnino execrandæ, cum peccati grauitas crescat ex peccantis dignitate, maiorque à Sacerdote iniuria Deo irrogetur, quam à laico homine. Prætetea labes huiusmodi voluptatum si semel mentem Sacerdotis infecerit, neque ei statim opportuno remedio occurratur; ita tenaciter ei adherescere solet, vt nisi magna cum difficultate tolli queat, tum ob naturalem hominis fragilitatem, quæ quotidiana peccandi consuetudine magis in malo roboratur, tum etiam ob contemptum sacramentorum, ad quæ si accederet mundo corde, purior semper recederet; sed quia indignè sumit, fit imbecillior semper ad resistendum, facilior autem ad labendum. Et quemadmodum filij Aron alieno igne vtentes in sacrifitijs, eodem pariter consumpti fuere, sic Sacerdos, non igne cœlesti sed impudico æstuans, eodem pariter igne ardet, & consumitur. Hancq; puto esse causam, cur Sacerdotes in hisce peccatis euadāt laicis ipsis scelestiores, & audaciores, quia omnis mutatio fit de contrario in contrarium, & qui optimus, & castissimus esse debet, si in hęc vitia incidat pessimus euadit. Vnde D. Thomas in illa Pauli, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem,* Ephes. 6. *sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus: quanto quis altiori est secundū naturā, quando conuertitur ad malum nequior, & peior est.* Vnde Philosophus dicit, *quod homo malus est pessimus omnium animalium, & ideo dicit spiritualia nequitiæ, quia spirituales, & nequissimi sunt*, ita D. Thom. Quare sicut homo cum peruertitur peior est cæteris animantibus, ita Sacerdos cum peruertitur peior est omnibus hominibus.

Quæ omnia in causa sunt, vt dæmon omnes suos neruos intendat, quo Sacerdotem ad hæc immunda pertrahere possit, nullumque sit peccatum, de quo magis ille improbus exultet, & gestiat, sicut eo viso declaratum fuit, quod D. Gregorius Iudæo cuidam ex campaniæ partibus Romam venienti obiectum fuisse narrat, qui nocte media ipso solitudinis pauore turbatus peruigil iacens in Apolinis fano magnam dæmonum cateruam vidit Principi suo seruientium, & actorum rationem reddentium, vbi cum multi multos varijs hominibus fucos factos exponerent, vnum postremò indicasse tentationem Andreæ Fundano Episcopo iniectam, ita vt domesticæ mulieris amore tactus nutaret. Quare Principē illū, qui reliquorū omniū tentationes nihili fecerat, hoc de Episcopo inhiāter audisse, & quasi de grādi lucro gauisum esse,

Iudith. 15.

2. Dialog. c. 7.

Apoc. 22.

tuncq; hunc exhortatum fuisse, vt perficeret opus, quatenus illius ruina singularem inter cæteros palmam reportaret. Caueat ergo Sacerdos, ne Spiritum sanctum, totamq; cęlestē curiā contristans, risum, & exultationem præbeat malignis spiritibus, neq; ab ipsis facto, aut etiam cogitatione vinci se, & supplantari patiatur.

Ad conseruandum verò in nobis hoc Dei templum inuiolatum præsidium optimum est, si Sacerdos sępè cogitet habere se thesaurū hunc preciosum in vasis fictilibus, & maximè fragilibus quæ minimo quouis incursu frangi, & rumpi solent, vnde eadem cautione, & diligentia vtatur, qua qui rem preciosissimam circumfert in vase vitreo, vel cristallino; sicut enim ille pauet ad cuiuscumque aduentum, & incursum, tardo, eoque tuto ambulat gressu, ita Sacerdos diligenter circumspiciat, quibuscum conuersetur, & vbi figat pedem; omnia enim sunt plena periculis, & nisi quis prudenter se gerat, facilè ruet, maximè cum Diabolus Ecclesiasticis viris infestus esse soleat, quia escæ eius secundū Abacuc electæ sunt. Omnino autē de longa castitate, neque de animi fortitudine confidat qua se putet castitatis prælio victorē euasurum, quia virtus Spiritus sancti aderit quidem nobis, si cautè vixerimus; deerit verò si temerè nos periculis ingesserimus.

Abach. 1.

Iuuat etiam maximè custodia sensuum: per hos enim, quasi per fenestras, exteriora quæq; anima respicit, & respiciens concupiscit. Hinc etenim Ieremias ait: *Ascendit mors per fenestras nostras: ingressa est domos nostras*: oculi verò præcipuè custodiendi sunt, quorum sensus liberior est, & ad casum procliuior, maximè in aspectu fœminarum; facilis enim est transitus ab aspectu, ad concupiscentiam, & si oculis licentia vagandi permittatur, dici non potest, quantam vim, ad perdendum, diabolo suppeditent.

Aliud etiam adiumentum est: exordijs malarum cogitationum statim occurrere, nam si primus ingressus hosti denegetur, numquam illius impugnatione prosternemur. Salutaris æquè, ac vulgatus est Aphorismus ille medicorum, vsurpatus quoque à medicis spiritualibus in animi morbis curandis. *Principijs obsta, sero medicina paratur*. Et verissimum quoque illud est D. Ambrosij, *Ignis licèt exiguus in stipulam exiliens, totum quod inuenit penitus consumit nisi quamprimum restinctus fuerit, & exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat*. Et illud quoque Ephrem in serm. de perfectione Monachi tom. 2. *Nisi citius passiones, quæ in te cernuntur, sustuleris, vlcus efficiunt, nisi paruam putredinem curaueris, in infinitum excrescet, omnemque substantiam corrumpet*. Huc facit quod Beatus Dorothæus commemorat sermon. 11. senem quendam Monachorum patrem discipulo suo imperasse, vt paruam cupressum in sylua euelleret, quæ vna manu statim euulsa est, deinde maiusculam ostendisse, eamque binis manibus euulsam postea maiorem donec ad quintam ventum est, quæ nec potuit ab eo solo euelli. Tum senem dixisse: sic se habēt passiones nostræ, dum paruæ sunt, facilè expugnantur, quò autem diutius conualuerint ęgrius, nec nisi summo adhibito studio, adiunctis sanctioribus, qui oratione, & consilio succurrant.

Hippocr. sect. 3. aphorism. 10.

in Psal. 7.

Vltimum

Vltimum adiumentum est orationis studium. Cùm, vt optimè docuit B. Isidorus, à Deo detur continentia, sed petite, & accipietis. Quod, & sapiens agnouit; cùm dixit; *& sciui, quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det*, cui Ioan. Climacus illis verbis subscribit. *Nemo ex hominibus, qui se studio castitatis exercent, suis hanc laboribus, aut sua industria se acquisisse putet. Nam possibile non est, vt quis naturam suam vincat, & vbi natura superata est, illic is, qui supra naturam est, aduenisse cognoscitur.* Diuinum igitur auxilium omni cordis affectu à Sacerdote inuocandum est, vt se castum, & mundum tueatur, & seruet: idque præsertim in Missæ sacrificio faciat, in quo bibitur vinum germinans virgines, inestq; mira virtus ad hanc virtutem consequendam retinendamque, vt ex multis declarauit D. Bernardus; *Siquis vestrum*, inquit, *non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini: quoniam virtus sacramenti operatur in eo*. Duo enim præcipuè operatur in nobis, & sensum minuit in minimis, & in grauioribus peccatis impedit omnino consensum, qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus habemus; sub peccato sumus, medicina optima est sacramentum: quotidie accipe, quotidie curaberis. Hisce rationibus sacerdotes eam vitæ puritatem assequentur, quam his verbis ab eis D. Augustinus requirit. *O Sacerdotes si anima cuiuslibet iusti sedes est Dei, multo magis sedes, & templum Dei vos esse debetis mundum, & immaculatum. Si sepulchrum eius gloriosum est, in quo corpus eius iacuit exanime, multò gloriosiora, & digniora debent esse corpora vestra, quæ à mortuis suscitatus quotidie inhabitare dignatur. Si beatus est venter, qui nouem mensibus Christum portauit, & beata debent esse corda eorum, in quibus hospitium quotidie elegit filius Dei; si beata sunt vbera, quæ paruulus suxit, beatum debet esse os, quod carnem eius sumit, & sanguinem sugit. Carnes ergo vestras cum timore eius configite, & vobis diligenter prauidete, ne lingua quæ vocat de cœlo filium Dei, contra ipsum Dominum loquatur, & ne manus, quæ impinguntur sanguine Christi, polluantur sanguine peccatorum.* Hucusque Augustinus.

Lib. 2. de summo bono c. 42.
Sap. 8.
Gradu 15.
Ser. de Cœna Domin.
Ser. 37. ad frat. de Br.

De aliqua corporis castigatione prudenter adhibenda. Cap. IIII.

Magnum quoque adiumentum ad castitatem seruandam positum est in discreta carnis maceratione, qua vitiorum motus, & carnis impetus facilè cohibentur, neque enim falsò sibi persuadere debet Sacerdos afflictiones huiusmodi, proprias tantum esse Anachoretarum, & religiosorum strictioris instituti, qui ex suarum constitutionum præscripto ad eas suscipiendas mouentur; conueniunt, & illæ quidem omnibus, & secularibus Sacerdotibus præsertim verò animarum rectoribus: cùm & ipsi ad insignem quandam vitæ sanctitatem teneantur, quæ sine huiusmodi præsidijs, haud facilè comparari potest, etiam eandem carnem, & insitam carni corruptelam gestent, quam il-

li; imò, & maiorem, & insolentiorem ob maiorem affluentiam rerum temporalium, & frequentiora ad peccandum incitamenta. Quare, & eodem flagello opus est. Rectè, & verè D. Chrysostomus in illa Pauli. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Si hoc Paulus timuit*, inquit, *qui tam multos docuit, & timuit, postquam prædicauit, & postquam factus est Angelus, & totius orbis terrarum curam, & defensionem suscepit: quid nos dixerimus*. Deinde causam assignat, quare Paulus, & Timotheus, qui tam magna à Deo beneficia acceperant, corpus tamen suum mortificarunt, & maiori semper cum timore, ac tremore salutem suam operati sunt, *quia dæmon tunc sæuior efficitur, tunc magis efferatur, cum videt nos cum diligentia vitam nostram disponentes, cum viderit virtutis onera composita, & magnos aceruos, tunc grauius inferre naufragium studet*, & D. Anselmus in illa Apostoli. Rom. 7. *Infelix homo quis me liberabit de corpore mortis huius? quid si tãtus Apostolus maximis Dei donis spiritualibus effectus magister orbis, tantam corporis repugnantiam patiebatur? Quid nobis de nobis fatendum? qualis item erit in corporis castigatione adhibenda cura*. Castigare autem corpus ex sententia D. Ambrosij in illud 1. Corint. 9. *castigo corpus meum*, est ieiunijs illud agere, & illa ei dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum. Seruituti vero subijcitur, dum non suam perficit, sed Spiritus voluntatem, & quidẽ sufficere deberet Sacerdoti tanti viri exemplum, imò, & tot sanctissimorum Pastorum ad suum corpus domandum, quis enim illorum cilitijs, flagellis, ieiunijs, vigilijs, & alijs similibus carnem suam non afflixit? Recens est memoria Sancti Caroli cuius studium in extenuando corpore tãtum fuit, vt præter quotidianum ieiunium, assiduas vigilias, & frequentissima flagella, perpetuo etiam cilitio vteretur.

Homil. 23. in epist. ad Corint.

Memorabilem D. Stephani Grandimontensis vitæ austeritatem placet in exemplum hoc loco subijcere: cuius acta Vincentius Beluacensis Speculi histor. lib. 25. cap. 47. his verbis recenset. *Cibus eius panis, & aqua interdum farina siliginea parua sorbiciuncula, quæ cæteris minus sapida necessitati vtcumq; seruit, non voluptati. Incedebat quoque armatus lorica ferrea contra carnis insidias, & mentis lasciuiam, quousque toto corpore exsiccato, plenam de seipso obtinuit victoriam. Stratus, in quo post nimiam carnis suæ fatigationem ad quiescendum se modicum conferrebat; adeo durus erat, & quieti contrarius, quod in eo dormiens vexari poterat non foueri: erat enim ex tabulis ligneis instar sepulchri in terra consertis, omni stramento, & lectisternio carens; præter illam tunicam ferream, quam semper ad nudam carnem gestabat, vilissimum etiam habitum, quo desuper indutus erat. Præter horas canonicas genuflexiones innumerabiles terram deosculando, & cum fronte nasoq; percutiendo humiliter faciebat. Itaq; eorum assiduitate manibus, ac genibus in modum Camelli callos contraxerat, & nasum in obliquum curuauerat. Psalmodiam, & orationes in tantum amabat, vt horum dulcedini intentus, frequenter biduo à corporali edulio vacabat*. Verùm alium præterea insignem sui ipsius mortificationis actum ex Alberto Chrantzio. lib. 8. Saxoniæ cap. 7. discere licet, qui de Adolpho Comite Holsatiæ hæc habet. *Adolphus ex opulentissimo Principe pauperrimus Monachus factus Ordinis Minoritarum anno Domini 1244. per mutationem dexteræ excelsi ex glorioso Equite seculi, euasit humilis pedes Christi. In Monasterium sui Ordinis ipse ma-*

nibus multa molitus curauit erigere, eleemosynas suorum quondam subditorum humiliter poscens, & accipiens; cumque multum laboraret in erectione dicti Monasterij, ibi ostiatim lac in hydriam mendicans, vt haberent operarij, & fratres, quo inter laborandum per æstum rificerentur; media iam platea, vbi declinare iter non poterat, ibat hydriam baiulans, lacte plenam, & cum obuios habuißet filios sublimes in equis, comitum more secularium, paßus est humanitus aliquid, vt rubore cęperit perfundi. Sed ille infremuit, & robur mentis aduocans, cùm adhuc in conspectu essent filij, hydriam leuatam super caput euertit, se se totum à vertice lacte perfundens, dixitq; : infœlix erubuisti Christi pauperiem baiulare lac manibus, nunc, vel in capite ostende, quid portaueris. Habes Rector, insignia cum corporis, tum animi mortificationis exempla. Disce ex priuatis hominibus, disce ex principibus, quid animarum Pastorem deceat, vt exemplo subditos ad huiusmodi luctamina instruat, & communiat. Neuè putes Monachos tantùm allocutum fuisse Christum cum dixit, *tolliteiugum meum super vos &c.* Sed & omne prorsus hominum genus, at verò præcipuè animarum Rectores. Audi Chrysostomum ibi: *Hoc dictum sit pro his, qui ad Monachos pœnitentias corporales pertinere credunt, quasi non maiori munimine seculares, quam regulares clerici egerent: sicut enim qui in platea, seu cauea, dum tauri agitantur existunt, cautiores esse oportet, quàm illi, qui super tabulatum sedent, quia maius illis periculum imminet; sic qui in sæculo sunt, in maioribus sunt constituti periculis, quàm qui in Monasterio versantur.* *Matth. 11.*

Quod quidem valde necessarium est in spirituali medico animarum ob innumeras, & pœnè assiduas tentationes, & humani cordis proprietatem, quod facilè adhæret, & cōglutinatur ijs rebus, quas frequentat, & facilè visis, & propositis obiectis commouetur. Et cum, teste D. Hieronymo, Dæmon naturali nostro calore, vt nos nostromet incendio consumat, & deuoret, vtatur, si maceratione minuatur; Dæmonem viribus, & armis ad nos perdendum attenuari, & spoliari certum est, quod Climacus, hac similitudine declarauit. *Sicut exsiccatum lutum porcis iam amplius vsui esse non potest, vt ibi se volutent, ita & caro per abstinentiam marcida effecta Dæmonibus vltra non præbebit in se quiescendi locum.* *Gradu 16.*

Accedit quod nihil ferè, aptiùs est ad diuinam misericordiam, tam pro se, quàm pro populo sibi commisso implorandam, quàm si Pastor has corporis afflictiones spontè suscipiat scriptum in sacris literis est. Esther Reginam pro populi sui salute liberationeq; Deum deprecaturam, vestibus se Regijs spoliasse, & lugubres induisse, corpusq; suum ieiunijs, ac cilicijs humiliasse. Si enim militiæ Dux ad aliquid, tam pro se, quàm pro militibus suis obtinendum à Rege vulnera, & cicatrices, proprio inflictas corpori Regi ostendit, vt quod cupit facilius consequatur, cur non magis valebunt ad diuinam opem impetrandam ieiunia, vigiliæ, sanctæ afflictiones pij Pastoris pro salute gregis libenter susceptæ? Sacræ literæ non semel illorum gesta commemorant qui ieiunio, cilicijs, & flagellis, se affligentes non tantum veniam peccatorum, sed & liberationem à magnis calamitatibus impetrarunt, & Cyprianus ait. *Quot quot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus cęlos ascendisse: nec aliquid magnum molitos fuisse, nisi prius abstinentia præcessißet. Quoties aliquid à* *Esther 14.*

Deo

Deo obtinere conati sunt, ieiunijs incubuere, & lacbrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicijs carni barentibus supplices, beneficia postularunt. Multa alia in hanc sententiam ex alijs sanctis Patribus afferri possent.

Sed & illud quoq; addi posset, populum valdè ædificare, & facilè ad virtutem instrui, cum Sacerdotem suum conspiciunt, omnem carnis indulgentiam respuentem, laboris patientem, & conuersationis asperitatem amantem, nam & si virtus in mente intus consistat, cum tamen extra in corpore per eiusdem macerationem, & contemptum voluptatum se prodit, discunt populi quomodo debeant conuersari, & corporum suorum oblectationes contemnere, trahuntq; in ædificationis exẽplum, in quo cum sola Diuina gloria, & proximi ædificatio spectetur præter proprium sui ipsius spiritualem profectum, aliqua cura à Sacerdote ponenda est, vt nos D. Paulus monuerat Rom. 12. *Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus*; reliquæ enim virtutes, vt sapienter annotauit Basilius, cum in occulto exerceantur minus sæpè illustres apud homines existunt. Continentia autem, quem semel possederit, vel primo ipso aspectu tantum, notum facit.

Regul. 17. Fus. disp.

Quamquam, & hoc etiam considerare deberet Sacerdos, se quoque hominem esse, & in multis offendere, quare, & hoc satisfactionis genere illi opus esse, vt iram Dei mitiget, per ea enim opera quæ carni molesta sunt, pro commissis in carne peccatis, maximè Deo satisfacimus vt sicut caro læta traxit ad culpam, easdem afflicta reducat ad veniam.

Huc quoque pertinet D. Bernardi doctrina. *Tempus hoc*, inquit, *animabus, non corporibus est assignatum; dies salutis vtique, non voluptatis. Omnia tempus habent: animabus nunc operam dare necesse est. Nam in carne qui seminat, solam exinde metet corruptionem. At nemo, inquiunt, carnem suam odio habet. Verum est, sed zelum habens absque scientia, dum prodesse festinat, inuenitur obesse: cum enim iudicium carnis ex anima dependeat, carni nihil esse potest vtilius, quàm saluti animæ prouideri, vt videlicet in tempore sit respectus illius, & socia passionis, felicitatis quoque consortium mereatur*. Hæc Bernardus in quibus non tantũ concludit præsens tempus non in delitijs corporis, sed in salute animæ, quæ præsertim in eiusdem castigatione consistit, impendendum esse; cum difficile sit, imò, & impossibile, ex sententia D. Hieronymi, vt præsentibus quis, & futuris bonis perfruatur, & hic ventrem, & ibi mentem expleat, & de delitijs trãseat ad delitias, sed carnis quoque mortificationem non tantum animæ, sed etiam ipsi corpori veram salutem importare, sic enim corpus suum ad dura sustinenda excitabat idem Bernardus. *Patere nunc, vt anima pro se laboret magis, etiam collabora ei, quoniam si compateris, & conregnabis. Quantum eius impedis reparationem, tantò magis impedis tuam*. Et alio in loco. *Quid adhuc murmuras misera caro, quid adhuc recalcitras, & aduersus spiritum concupiscis, si te castigat, si redigit in seruitutem, id profectò in tuo genere non minus tua interest, quam ipsius*. Quare cum caro nostra non sit consilij capax, idem faciendum quod medicus erga ægrotantem puerum, qui licèt illum videat potionem amaram Absynthio paratam exhorrescere, quia tamen sic corporalis eius salus postulat illi etiam fastidienti, & stomachanti porrigit. sic omnis inanis timor, & metus

Declamat. ecce nos reliquimus.

Epist. 34.

Serm. 6. de Adu.

Ser. 2. super vidi Dom.

nietus pellendus est in corpore coercendo: facilè Chirurgus magna animi alacritate carnem putridam alterius vrit, & secat, suam autem, si morbum similem contrahat, vix, & non sine magno dolore læuissima manu contrectat; ita Sacerdos facilè alijs mortificationis præcepta tradit, & carnis macerationem suadet; at non est cuique facilè se ipsum eodem flagello percutere, quod alijs porrigit, licèt eodem indigeat, & tamen verissima est egregia illa D. Gregorij sententia. *Retributionis, inquit, æternæ gaudium nequaquam in cælo colligitur: nisi prius in terra cum fletu, & gemitu, & amaritudine seminetur, sicut scriptum est. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos, sicut enim carne quiescente spiritus deficit, ita ea laborante conualescit.* Psal. 125.

Duo tamen hac in re Sacerdotem monemus, alterum quidem, ne se ita corporis afflictionibus dedat, vt in his, totam sanctitatis summam positam credat; falleretur enim, quia hęc asperitas corporis ad interiorem abnegationem dirigitur, & ordinatur. Notabilis est Cassiani sententia: *Labor carnalis spiritus mortificationi coniunctus acceptissimum Deo, dignumque sanctitatis habitaculum puris, mundisq; recessibus exhibebit. Cæterum si corporaliter ieiunantes perniciosissimis animæ vitijs implicemur, nihil nobis proderit carnalis afflictio, preciosiore parte polluta: non enim tam corruptibilis caro, quam cor mundum habitaculum Dei, templumq; Spiritus sancti efficitur;* Lib. 5. spir. Gastrima. cap. 21. Alterum est, vt in macerando corpore media virtus discretionis, & prudentiæ adhibeatur ne quid incommodi ex efręni feruore eueniat, quò corpus ipsum, quod est instrumentum animæ, nimis attenuatum inhabile reddatur ad pastorales labores sustinendos. *Cęlestis namque gratia, & si omnibus, non tamen omnibus æqualiter se communicat;* Sapienter docuit Laurentius Iustinianus. De discip. Monastic. cap. 27.

Adde, afflictionem corporis, quæ ieiunijs, vigilijs, cilicijs, & flagellis, & alijs pijs exercitationibus fit, eatenus vtilem esse, quatenus castitati seruit, & ad satisfactionem pro peccatis, ad Christi imitationem, & vno nomine ad veram charitatem dirigitur. Vnde cuidam interroganti quid prodest tanta in nostro victu parcitas, in habitu vilitas, in vigilijs, & disciplinis iugis austeritas? optimè Richardus de S. Victore respondet. *Paucis accipe: quædam sunt charitatis obsequia placentia, & placentia, si in charitate fiant, at sine charitate nihil prosunt.* li. de grad. charit. c. 3

De temperentia seruanda in victu. Cap. V.



Vlla autem alia re inordinati carnis appetitus, ita franguntur, & attenuantur sicut ciborum abstinentia, & parcitate, quia sicut ne ignis ardeat ammouenda materia est, ita ne caro aduersus spiritum insolescat ciborum superfluitas in quantitate, & qualitate, quibus innatus libidinis ignis incenditur, & fouetur, subtrahenda est, & necessaria tantum ad viuendum, & laborandum iuxta vocationem suã à Sacerdote suo corpori concedenda sunt. Rectè enim Gregorius.

Absti-

Reg. c. 14. *Abstinentia ciborum contra hoc vitium fortissima est: si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam cum cibos subtrahis.* Et sicut impossibile est flammam ignis in stipula coercere, ita luxuriæ vis in corpore cibis distento percurrens retineri nequit. Et qui saturo corpore castitatem se putat seruaturum similis illi est, qui proiecto pane, canem à se abigere conatur; quos ijs etiam similes esse asserit Ioan. Climacus, qui ardentem ignem iniecto oleo extinguere nituntur. Non ergo sibi blandiatur Sacerdos, neque seipsum fallat, sed certo sibi persuadeat omnia pericula, quæ ex intemperantia, in gustu, alijs imminent sibi quoque impendere, & eo grauiora quò intemperantia huiusmodi in Sacerdote phœdior est. Quæ necessitatis ratio si omnibus quidem temperantiam in his, quæ ad gustatum pertinent indicere debet, in primis autem Rectori animarum, qui tanquam Dux in pugna contra vitia populum præcedere debet, ab huius autem sensus victoria spiritualia bella inchoanda esse omnes fatentur. Ex quibus Hugo Victorinus.

In c. 5. Reg. *Neque ad conflictum spiritualis certaminis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edomatur: quia si non prius ea, quæ nobis viciniora sunt prosternimus, inaniter ad ea, quæ longè sunt impugnanda transimus.*

Lib. 30. mor. Quod eodem bellantium exemplo docuit eleganter D. Gregorius. *In cassum*, inquit, *extra in campum contra exteriores hostes bellum geritur, si intra ciuitatis mœnia insidians ciuis habeatur, & frustra ad conflictum agonis consurgitur, nisi prius ipsius gulæ appetitus edometur; hæc enim cæteris hostibus arma ministrat*; Idem præclarè testatur Origenes hom. 9. in Leuit. ostendens nos irrationabiliter de carnis infirmitate, & rebellione in spiritum cõqueri, quam delitijs, & voluptatibus fouemus, & contra animam violentior

Gal. 5. insurgat. *Hoc auditis*, inquit, *ex diuinis script. quod certamen est inter homines, carni aduersus spiritum, & spiritui aduersus carnem, & nescitis, quia si carnem solam nutriatis, & ipsam frequenti mollitie, ac iugi delitiarum fluxu foueatis, insolescet necessario aduersus spiritum, & fortior ille efficietur? quod si fiat sine dubio est in ditionem suam redactum suis coget legibus, ac vitijs obedire. Si verò ad Ecclesiam frequenter veniens, aurem literis diuinis admoueas, explanationemque mandatorum cælestium capias, sicut cibis, & delitijs caro, ita spiritus verbis diuinis conualescet, ac sensibus, ac cupiditatibus robustior effectus carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt diuina lectio orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his conualescit, his victor efficitur: quod quia non facitis nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere, quia volumus, & non possumus. Volumus continenter viuere, sed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur stimulis eius, Tu das stimulos carni tuæ, tu eam aduersus spiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus satiam vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebra nutris.* Hæc Origenes. Quare patres tam magna, eaq; vera de abstinentiæ virtute prædicarunt, cùm vitiorum sentinam siccari concupiscentiam languere, carnis rebellionem tolli, & omnes extra-

Cypr. de ieiunio. & tent. Christi. ordinarios motus claudi in cippo rationis abstinentia dixerint. Sic enim carni suæ insultare solitum fuisse Hilarionem D. Hieronymus in ipsius vita refert, cum eius pugnam sentiebat. *Ego aselle faciam, vt non calcitres,*

calcitret, nec te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam, & siti, graui onerabo pondere, vt cibum potius, quàm lasciuiam cogites. Quo etiam sensu illud optimè dictum est ab Augustino. *Si iumento insideres, si equo vtereris, qui gestiendo te posset praecipitare, nonne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses. Caro mea iumentum meum est, iter ago in Hierusalem plerumque me rapit, & de via conatur excludere, via autem mea Christus est: ita insultantem nō coibebo ieiunio?* Hæc omnia Augustinus præclarè, tum illud præsertim, quod tantam vim corpori saginato tribuit, vt mentem ipsam etiam nolentem in multa fęda, & immunda secum trahat; & sicut equus fræno cedit, & equitis paret imperio, sic corpus inedia, & abstinentia subactum rationis obtemperat voluntate. Quam in sententiam, nec illud D. Chrysostomi tacendum est: *Sicut*, inquit, *nauis oneraria, si supra suam magnitudinem vehenda capiat, oneris grauitate submergitur, ita anima, & corporis nostri natura, si plures acceperit cibos, quàm ferat sua vis; impletur, & in pelagus perditionis demergitur*. Causa est, quia natura paucis contenta est, quod si abundantior cibus, quàm eius necessitas postulat ei tribuatur, post necessarium alimentum conuertitur in superfluos, & obscęnos humores, à quibus ad immunda extimulatur homo, & eo vehementius, quò ciborum maior est copia, & maiora sunt gulæ lenocinia. Ideò medici obæsa corpora ardentissimis febribus æstuantia solent inedia, & fuso sanguine extenuare, quò noxio humori materiam subtrahant, sic planè lasciuienti corpori alimentorum fomenta subtrahere oportet, ne vitijs, & cupiditatibus vires præbeant: excisis enim morborum causis, morbos etiam ipsos pariter tolli necesse est. Bene igitur concludit Gregorius; *Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui in semetipso prius per afflictam ventris concupiscentiam carnis incentiua non deuicerit.*

Tract. de ieiun. vtili. tom. 9.

Ser. contra luxum, & crap.

30. mor. c. 26.

Accedit etiam illud, quod ab animarum curatore requirit D. Bonauentura. *Decere*, scilicet, *Rectorem animarum esse maximè cum Deo coniunctū per mentis eleuationem, & deuotionem, per quam semper informetur, quid faciat, adiuuetur vt possit, conseruetur, ne deuiet.* Quæ omnia sine abstinentiæ studio, & vsu haberi non possunt, *de abstinenti enim*, inquit Leo, *prodeunt castæ cogitationes, bonæ voluntates, salubria consilia, ac peruoluntariæ afflictiones, caro concupiscentijs moritur, & virtutibus spiritus innouatur*, è contra autem sicut terræ vapores, & exhalationes lumen solis caligine quadam offundunt, ita ventris exhalationes crassæ, & concretæ mentem ita obscurant, vt ad cęlestia cogitanda sæpè etiam humana, ea scilicet, quæ quid laudis sapiunt, minus idonea sit; ex quo illud sapienter dictum gulam non minus libidinis, quam ignorantiæ parentem esse. Hinc D. Hieronymus ad Nepotianum. *Pulchrè*, inquit, *apud Grecos pinguis venter non gignit tenuem mentem. Ratio huius est. Quia nihil possit esse causa contrarij sui: hebitudo, & acumen, crassitudo, & tenuitas opponuntur.* Neque enim sapium inuenitur in terra suauiter viuẽtium. Iob. 28. quod sanè dictum multis rationibus posset confirmari, nisi quotidiano experimento compertum esset; patet enim omnibus, hos Sacerdotes, quorum mens tota est in varijs ciborum condimentis excogitandis quorum scientia in cacabis, &

De sex alis cap. 8.

Ser. 2. de ieiun.

studium in culinis, ita sui muneris ignaros, & in eo benè gerendo ignauos esse, vt illorum culinæ nitidiores sint quam Ecclesia ipsa, pretiosiores mensæ, quàm altaria, magis ventri indulgeant, quam alios spirituali cibo reficiant, & si quando egregium quid, & honestum, vel aggredi, vel alijs persuadere tentant sermo est sine, fructu, quia illius intemperantia fidem dictis detrahit, vt egregiè annotauit D. Hieronymus. *Non confundant*, inquit, *opera tua, sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loquaris tacitus quilibet dicere possit, cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? Dedicatus magister est, qui pleno ventre disputat de ieiunio; Sacerdotis Christi mens os manusq; concordent.*

Epist. 2. ad Nepot.

Ideo hæc à Domino Aaron præcepta fuisse leguntur Leuit. 10. *Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibes tu, & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini*, & addens causam præcepti, quia præceptum sempiternum est, in generatione vestra, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & prophanum, inter pollutum, & mundum, docebitisq; filios Israel omnia legitima mea. Si itaque Sacerdotibus antique legis ab omni eo, quod inebriare poterat, abstinendum fuit, vt, scentie vacare, & discretioni possent, & instituta legis populum docere, suaque munia ritè obire; maiori de causa hæc temperati à nostris Sacerdotibus seruanda est, cum illis omnium hostiarum veritas immolanda est, & longè perfectior, & sublimior doctrina populo tradenda, cum Ecclesiastes rationem assequendæ sapie ostendens dixerit Eccl. 2. *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam adiremque stultitiam.*

Si quis autem intemperantiæ causam in his Sacerdotibus à me sisciteturi, facilè existimarem in multis hanc vnam profectò assignari posse, quod scilicet raro, aut nunquam obligationem suam, & onus recogitant; tanta enim sunt pericula æternæ damnationis, quæ cuilibet animarum Prælato imminent, & tale onus Pastoralis officij, vt si omnia ritè præuiderentur, & considerarentur, timendum, ac tremendum potius esset, quàm lætandum, & genio indulgendum. *Quando*, inquit Gregorius, *in felici statu priuata vita non experiebaris quid erat illud Iob. Antequã comedam suspiro; modo oportet te suspirare iugiter, & antequam comedas, & dum comedis, & postquam comederis in his gemitibus, & tremoribus salus tua sita est; Quæ igitur amentia, quando sedens ad lautam mensam incipias gaudere, & obliuisci dolorum tuorum, & grauissimorum periculorum, atque onerum, tuos humeros opprimentium? quæ maior cæcitas, quàm si velis tantis periculis addere etiam noua pericula, fastus mensæ, ac delitiarum.* Panis Sacerdotum curam animarum gerentium panis laboris, ac doloris est. Quod benè Paulus expertus fuerat, neque etiã mirum si impinguato corpore in multa obscena, & fœda mens ipsa trahatur, & impellatur. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi in multa patientia, in laboribus, in ieiunijs multis.* Quid in his delitias, & gulæ blandimenta sonat?

Ep. 53. ad Notalem lib. 2. Iob. 3.

Quid autem plura dicamus? victus intemperantia, quæ esse non potest, sine ciborum abundantia, copia ferculorum, & varijs condimentis non solum Sacerdote indigna est, cum sit Epicureorum propria, sed &̃ sine peccato esse nequit, eoque grauissimo; Ecclesiasticis enim viris de

red-

redditibus, Ecclesiæ corporis quidem alimenta debentur, gulæ vero lenocinia, & irritamenta, minimè. Quidquid ergo præter necessarium victũ, & vestitum in gulæ concupiscentijs insumitur, totum Ecclesiæ, & pauperibus detrahi, & surripi, ex patrum sententia superius monstrauimus. Adde verò non solum in hoc peccare, quia beneficij prouentibus sic abutitur Sacerdos, sed etiam in hoc, quia cum hominis cupiditas, & edacitas eò prouecta sit, vt superflua habeantur pro necessarijs, vix tam vberes, & pingues redditus inueniuntur, qui pro explenda cupiditate sufficiant; vnde aliunde conquirere necesse est: atq. ita populi plus æquo à Sacerdote grauantur; Sacramenta fiunt venalia, Ecclesiæ patrimonium dissipatur, aliaq; indigna fiunt; modo habeat quod in mensa ventri immolet, exemplo filiorum Eli, qui vt erant in victu intemperatissime non solum auide, & quasi per vim tollebant, quod sibi debebatur, sed etiam, quod ipsi Deo immolandum erat, arripiebant, quæ res homines à Dei cultu, & sacrificijs auocabat. Hinc collige, nihil Ecclesiæ, & animabus magis perniciosum esse, quàm cum Pastor Lupus fit. corpus etiam ipsum ita crapula eneruatur, vt minus aptum reddatur ad labores pastorales. *Ecclesiast.*

Hinc celebre Hippocratis dictum, præstantissimam omnium medicinã ad conseruandam valetudinem, esse temperantiam, & corporis exercitationem. Ratio perspicua est, quia corporis valetudo pendet ex apta humorum proportione, qui si rite inter se temperati, mixtiq; sint, valetudo quoq; perfecta erit. At temperies ista non nisi moderata cibi, potusuè sumptione constituitur. Humorum namq; pugna inter se ex crapula, & comessationibus oritur, crudum enim supra indigestum positum morbum parit, à quo sanitas adimitur.

Quæ corporis salus magni præcipuè à Sacerdote facienda est, qui se totum pro populi sui incolumitate laboribus conficere debet. Atqui ex crapula variæ corporis ægritudines proueniunt, cuiusmodi sunt, pedum, manuumq; dolores acerbissimi, capitis grauitates, atq; vertigines, ac artuũ tremores; quæ omnia plerumq; Sacerdotem prohibent, quo minus sui muneris partes expeditè exerceat: ex quo non leue in commissas sibi animas detrimentum promanat.

Quin illud quoq; attentiùs considerandum est, difficillimam semper habitam intemperantiæ curationem, vt auctor est magnus Basilius: *Multos ego animaduerti sæpè*, inquit, *qui cum alterius cuiusuè generis vitijs laborarent, ad sanitatem postea redierint, qui tamen gulæ vitio tenerentur, neminem ex omnibus vidi vnquam, qui conualuerit*. Hæc verò temperantia nõ in cibis tantùm, sed in potu etiam tenenda est; in cuius quantitate, ac qualitate frequenter à quibusdam delinqui solet, qua in re intemperantia esse non potest, sine graui Sacerdotalis dignitatis, & animæ propriæ iactura: cum dicat sapiens: *Luxuriosa res vinum est, & tumultuosa ebrietas, quicumq; his delectatur non erit sapiens*. Quid monstruosius, quam videre Sacerdotem musto madentem, & temulentum; manifestum etiam est à nimio calore non pauca incommoda, tum animæ, tum corpori prouenire. Cornelius Celsus inter ea, quæ calefaciunt, præcipue vinum ponit. Et L. Seneca probat iram accendi vino, vultq; illud subtrahi calentibus ingenijs, & Paulus Apostolus *Serm. de addic. cur Lat.* *Prou. 20.* *Lib. 1. de Remed. c. 27.* *Lib. 2. de ira c. 20.*

Ad efes 5. Eccles 2. Num. 6. lus *nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria*, & Salomon, *cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiã, deuitaremq; stultitiam*. Et in Numeris præceptum hoc erat: *vir, siue mulier, cùm fecerit votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & ab omni, quod inebriare potest, abstinebunt*. Exemplo sit insignis S. Caroli abstinentia, qui quotidianis pœnitentiæ incrementis, eò tandem peruenerat, vt quotidie pane, & aqua ieiunaret, exceptis dominicis, & festis diebus, in qua seueritate, vsq; ad extremum vitæ diem perseuerauit. Immo paulo ante eius obitum, etiam diebus Festis, se restrinxerat, comedens tantum legumina, oleta, fructusq; arborum. Quia tamen non omnibus datum est hanc vitæ regulam sequi sobrietatẽ tamen, & temperantia seruare qui prohibet? Et in vino præsertim, vt D. Pauli documentum ad Timotheum scribentis sequamur. *Modico vino vtere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates*. In quæ verba D. Chrysost. hom. 1. ad Antioch. *Cogita, inquit, quomodo non à principio, neq; ab exordijs, hoc consilium dederit Paulus, sed postquam vidit virtutem, diectam tunc consuluit: neq; hoc simpliciter, sed cum prædifinitione quadam. Non enim simpliciter dixit, vino vtere, sed vino modico, non quod hac admonitione, & consilio Timotheus egeret; sed quod nos indigemus. idcirco ad illum scribens, nobis bibendi vini mensuram, & terminos statuit, tantum bibere iubens, quantum valetudinem adiuuet, quantum corporis sanitatem præbeat*. Verum hæc temperantia, quæ Sacerdotum propria esse debet, non solum consistit in superfluis resecandis, ne ventri & gulæ indulgeatur, hæc enim omnibus necessaria est, vlterius progredi debet, vt certis ieiunijs corpus suum castiget, quid enim prohibet, quo minus per singulas hebdomadas, vnum aut alterum diem ieiunando custodiat, aut cur potius hoc ei non conueniat? vt virtutem hanc colat magis, cum à quibusdam laicis, pijs hominibus obseruatum legimus, in Ecclesia primæua hoc illis erat siue præceptum, siue consilium feria; quarta, & sexta ieiunandũ, teste S. Isidoro lib. 1. de offi. Eccl. cap. 41. & Beda de Offic. cap. vlt. & de S. Eleazaro Comite, Laur. Sur. cap. 2. in vita 27. sept. Non contentus erat ieiunijs ab Ecclesia institutis, sed sua sponte sextis, ferijs totoq; Dominici Aduentus Tempore, & multis alijs diebus, qui festos dies proxime antecedunt, ieiunauit. Quod nostra quoq; ætate videmus à pijs viris, fœminisq; non paucis obseruari. Hoc etiam facere debet curator animarum, præsertim si ea rite intelligat quæ D. Chrysostomus homil. 1. de ieiunio scribsit *si ieiunium animæ nostræ alimentum est; leues ei pennas producit vt in sublime feratur, & summa contemplari queat, voluptatibusq; & omnibus, quæ in hoc mundo habẽtur, sua via ipsa sit superior. Et quemadmodum leuiores naues, maria velocius transeunt, contra multo onere grauatæ submerguntur: ita ieiunium quidem leuiorem reddens mentẽ, efficit, vt facilius huius vitæ pelagus transmittat, ita in cœlum, ac ea quæ in cælo sunt, respiciat, & nihili faciat præsentia*.

Vt autem Sacerdos hanc moderationem, & mediocritatem seruet in cibo, & potu, vt & purior, & eleuatior sit eius mens ad sancta tractãda, & corpus ipsius ad labores pastorales magis dispositum reddatur, quotidianam cum laicis, & à sua vocatione alienis consuetudinem, & familiaritatẽ deuitet, minus &c quantum potest ad suam mensam eos admit-

mittat, vel ipse admittatur ad suas, quo enim pacto hæc sobrietas; teneri poterit, si frequentius cum ijs cõuersatur, vel tales mensæ suæ adhibea, qui vt seculares sunt vt plurimum seculi voluptatibus dediti seculi blandimenta sectantur, suoq; prouocant exemplo. Tum postea curet vt in mensa lectio diuinarum scripturar. semper adsit, vel per clericum quem ministerij Ecclesiastici, & piæ institutionis causa apud se habere debet, vel per aliquem alium vel ẽt per seipsũ, vt faciebat Carolus, qui inter comedendũ Biblia aperta ante se vescebatur, & panẽ sacra lectione condiebat, quia irrationabile est, cum pascitur corpus, animam quæ, plus est, quã corpus, relinqui ieiunam, & suo destitui alimento pabulum autem animæ est sacra lectio, cuius suauitate si capiatur Sacerdos, facile quælibet irritamenta superabit; quandoquidẽ non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

De inutili mulierum consuetudine vitanda. Cap. VI.



Erum nec satis fuerit Sacerdoti ea corpori suo subtraxisse quæ sunt intrinseca concupiscentiæ incitamenta, & quasi pabula; sed in ijs etiam remouendis præcipuum studium ponendum est, quæ licet extrinseca dicantur, sunt tamen ignita Diaboli iacula aduersus castitatẽ. Huiusmodi dixerim esse mulierum familiaritatem; non enim defuerunt, qui in castigando corpore ieiunijs, cilicijs, & flagellis, strenuos se præbuerunt, at quia à mulierum laqueis se non custodierunt, eodem concupiscentiæ incendio consumpti sunt. Quæ quidem circumspectio eo magis animarum curatori necessaria est, quò, & illas penitus declinare, & illarum præsentiam, & colloquia subterfugere non potest, sed omnibus debitor illarum etiam latentes morbos curare, cordis latebras scrutari, & saluti earum consulere debet. Quamobrem præter diuinam opem, quæ summis precibus à Deo implòranda est, maxima custodia, & prudens solertia in hac re tanti momenti etiam in Sacerdote requiritur.

Insitam enim omnibusq; communem, & ipse portat, sicut cæteri, in sexum mollem, illecebrisq; plenum propensionem: *nam cum Deus*, inquit, D. Basilius, *orbem terrarum animantibus replere instituisset, non singula de nihilo procreauit, sed paucis in vno quoq; procreatis, ex eo, quasi seminario, omnia animantium genera procreare voluit; atq; ideò duplicem sexum distinxit, & vtriq; sexui vehementiorem quendam appetitum coniunctionis generandi causa inseruit, neq; id brutis tantum, sed etiam hominibus: & quidem præcipuè cum fœmina de illius latere sumpta sit, vt ad eam diligendam peculiari affectu moneretur ad eamq; traheretur, tamquam magnete ferrum.* Euigilandum igitur est, ne illa accedant, quæ hunc ignem, qui originalis peccati habitu flammas accepit, incendant, alioquin, sicut scilex ferro tactus, latentes protinus fauillas emittit quæ, magnum incendium faciunt, ita cupiditatum scintillæ, à natura in imò Sacerdotis pectore positæ, si se aspectu aut colloquio mulieris tangi permittat, statim excitantur, & vrunt. Vnde, & de venerando quodam presbytero narrat Gregorius qui vxorem habens Sacerdos postea factus ita

Libro de vera virgin.

Lib. 4. Dial. cap. 11. ita se per totos quadraginta annos ab ea seiunxit, ac si numquam ei cohabitasset. Mulier igitur presbyterum videns graui febri correptum paulatim ad extremã deduci, aure sua, eius naribus apposita, dignoscere voluit, an ei vitale spiraculum inesset, quod ille vix sentiens, quantulo valuit adnissu, inferuescente spiritu, vocem collegit, dicens. *Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle.* Agnoscebat quippe naturæ nostræ infirmitatem, quare etiam quasi in morte distentus, solutis iam membris, omni ardore pene extincto, adhuc tamen formidabat, & mulierem tamquam hostẽ cauens ad se propius accedere nolebat. Pratum spiritual. a 17. Scite ergo dixit quidam senex apud Io. Euiratum *filioli sal ex aqua est, & si appropinquauerit aqua, dissoluitur, & deficit: sic religiosus, ex muliere est, at si mulieri appropinquat, destruetur.*

De honest. mulierũ c. 1 lib. 9.

Neq; dicas, inquit D. Augustinus; *Ego extranearum mulierum familiaritatẽ habeo, & tamen castitatis ornamentum custodio inter eas habito, & continentiam teneo. Attendatis, quam infelix, & periculosa sit præsumptio. Quid est dicere volo habere, quod vincam, nisi volo habere, quo peream: vide ne vnde putabas te habere triumphum, æternum in curras opprobrium. Inter enim christianorum pia certamina, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana pugna, & rara victoria. Grauem castitas sortita est inimicum, cui semper resistitur, & semper timetur. Nemo ergo se falsa securitate decipiat, nec de suis viribus periculose præsumat:* sic Augustinus, cui Ciprianus subscribit. *Nemo*, inquit, *de tranquillitate, quam fontis, aut de longa castitate confidat, nam stuppa non accenditur, nisi cum iuxta ignem apponitur, & absurdum, ac præsumptuosum est, quia pace perfrueris, occasionem belli quærere.*

De operibus Cardinal. Christi.

Et idem Cyprianus de singularitate cleric. *lubrica est illa spes, quæ inter peccati fomenta se saluari sperat: incerta victoria est inter basilisca arma pugnare. Et impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere.* Quid Dauidem Dei amicum post tot reuelationes, post occulta, & incerta diuinæ sapientiæ manifestata perculit, atq; prostrauit, nisi quia paleas ab igne non amouit, sed potius mulieris aspectum adamauit, sicq; hoc offendiculo miserè in ruinam lapsus est? nimirum, vt discerent omnes tanto exemplo neq; dignitatem, quando ille quoque rex erat, neq; sapientiam aut etiam sanctitatem, cum ipse tam magnus esset propheta, satis reluctari posse huiusmodi pugnis, & periculis, quæ non præcauentur. Quid dicam de Salomone, qui cum omnium sapientissimus esset, ad malorum apicem peruenit, idola colens, quia se ab alienigenarum mulierum consortio, quo Dominus ei interdixerat, abdicare noluit. Quam bene igitur D. Augustinus de singularitate cleric. *Nimium præceps est, qui transire contendit, vbi conspexerit alium cecidisse, uerè infrænus est, cui non incutitur timor alio pereunte.*

Præter hunc innatum impetum atq; ardorem libidinis, qui, præsente obiecto, magis exardescit, accedit ipsius muliebris sexus, fragilis, mollis, facilisq; ad perdendum, & decipiendum misera conditio. Egregie S. Ephræm mulieris propria effinxit. *Quid*, inquit, *est mulier? laqueus campestris, & homines in uolupta tes illiciens, quæ splendida quidẽ facie, et excelso collo, oculis annuit, & genis arridet: lingua verò dulciter canens voce alios decipit, & sermone*

Aduersus improbas mulieres them. p.

mone pellicit, veste trahens, & pedibus ludens; forma placens, & corpore fornicationem exercens; facilisq; occidens. Multos enim vulneratos, ait Paramiastes, deiecit, & innumerabiles occidit. Quo circa, & propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit. Prouerb. 1. Eccl. 9.

Perpende quæso exépla eorũ, qui occasione mulierũ turpiter lapsi sunt, quæ Chrysostomus his fermè verbis commemorat. *Leones in lacu Danielem veriti sunt, at Naboth Iezabel occidit, Cete ventre suo Ionam seruauit, Dalila verò Samsonem septem crinibus capitis eius abrasis tradidit alienigenis; Dracones, & aspides, ac bestiæ cornutæ Ioannem in eremo timuerunt, Herodias verò in conuiuio ipsum decollauit; corui in monte Eliam sustentarunt, at Iezabel ipsum post beneficium pluuiæ acceptum ad necem persecuta est.* Et Hieronymus ad Ctesiphontem aduersus Pelagium scribens, non dubitat affirmare, & hæreses natas occasione mulierem. *Simon*, inquit, *Magus hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio; Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fœmineos; Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet; Apelles Philemonem suarum comitem habuit doctrinarum: Montanus immundi spiritus prædicator multas Ecclesias per Priscam, & Maximellam, nobiles, & opulentas fœminas primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam; Arius, vt orbem deciperet, sororem principis ante decepit. Donatus per Africam, vt infælices quosq; fœtentibus pollueret aquis, Luciliæ opibus adiutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foueam &c.* Quod ad nostrum seculum attinet, Lutherus omnium hæreticorum parens votis licèt Monasticis obstrictus, non dubitauit sanctimonialem fœminam sibi matrimonio copulare. Cuius exemplum secuti sunt omnes quotquot nunc Lutherani ministri, Caluiniani, vel aliter appellantur, cælibatus sacri hostes perpetui. homil. 12. ad varia loca matt.

Si verò obijcias sermonem esse de impudicis, & procacibus fœminis;

Respondeo in contrarium obstare multa, eaq; misera nonnullorum euenta, quorum pudicitia non ab ijs fœminis tantum, quæ impudicæ habebantur, tentata fuit, sed ab ijs etiam quæ honestæ, & piæ credebantur turpiter deiecta, vt ex probatis historijs facile colligi potest. Ludouicus Bertrandus, Ordinis Prædicatorum sanctitatis opinione nobilis, testatur hoc de se ipso; *Ego senex surdaster, male sanus, cæcutiens, debilis, prouocatus sum à qua nunquam putassem.* Thomas Cantipratanus S. Thomæ Aquinatis condiscipulus recentem ætate sua lapsum miserandum refert Sacerdotis docti, & à pueritia cælibis, qui canonicatum in curam animarum commutarat, vt plures animas Deo lucraretur. Nam sexagenariam Virginem quæ cilitium ipsius lauare solebat, solam semel sine teste, vel socia in thalamum admissam humiliauit consentientem, atq; incognitum flagitium expertus, in cæno vilissimus perseuerauit, & perseuerasset etiam nisi illa amaritudine, pœnitentiæ, planctuq; mortem accelerasset. Venit in mentem hoc loco nobilissimum S. Cipriani monitum de singular. Cler. *Non est, quod vobis*, inquit, *in hac persuasione deceptoria blandiamini; vt quia spirituales estis, velitis inter flagitiosorum armamenta versari; nec vos inhabiles esse pro clericatus dignitate, quia maiores, maioribus consueuerunt conflictiones occurrere. Acrius diuitibus, quam pauperibus inuidetur, & non inopes sed locupletes inquietat infe-* Vinc. Iustin. Antistin vita. cap. 20. Lib. 2 A. post. c. 3. §. 47.

statio-

statio sauà latronũ. Plus Duces, & Principes, quàm milites ab hostibus appetuntur in pugna: & violentiùs propulsantur ventis, & turbinibus culmina, quæcumque sunt altiora. Ideo magis, magisq; quò plus cæteris vnusquisq; potest, sciat esse sibi metuendũ, ne in aliquo minoretur, propter quod Salomon sic admonet dicens: Qui
Eccl. 10. *gloriatur diuitijs, paupertatem vereatur. Quare magis expedit, plus bene timere, quàm malè fidere, & vtilius est, vt infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat.*

Quod si etiam cum Hieronymo dixeris *mihi sufficit conscientia mea, habeo*
Ep. 47. *Deum Iudicem, qui meæ vitæ est testis, non curo, quid loquantur homines.* Audi
Rom. 12. Apostolum quæso *Prouidentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et si fieri potest, vt in mulierum conuersatione, nullis quis libidinum aculeis pungatur, aut extimuletur, quomodo, hoc ita esse cæteris, persuadere poterit; Exemplo sit D. Hieronymus, qui quia Paulæ castissimæ, & Sanctissimæ matronæ sanctis colloquijs capiebatur, ex Romanis aliqui inde detractandi de tanto viro occasionem sumpsere, quibus, & respondere idem Hieronymus duxit necessarium, his verbis. *Antequam do-*
Ep. ad Asellam. *mum Paulæ nossem, totius in me vrbis verba consonabant, omnium pene inditio dignus summo sacerdotio decernebar. Dicebar sanctus, humilis, disertus. Numquid domum alicuius lasciuioris ingressus sum, nunquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum quæ meum posset edomare mentem, nisi lugens atq; ieiunans, squalens sordibus, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiã Dei deprecantem sol sæpè deprehendit. Nulla me potuit delectare, nisi illa, quam numquam manducantem uidi. Sed postquam eam pro suæ merito castitatis uenerari, colere, suspicere, cœpi, omnes me illico deseruere uirtutes?* His, & alijs per multis mordaces obtrectatorum linguas Hieronimus reprimere conabatur. Quod si D. Hieronymum pium, sanctum senem, vel certe tunc temporis, non iuuenem cum Paula vetula, & sancta de rebus spiritualibus colloquentem, coram arbitris, inuidiæ lingua momordit, quid faciat, qui nihil horum habet? quam parum tutus iuuenis, & ijs vacuus præsidijs, quæ ille habebat, cum fœmina vel suspecta, vel saltem non sancta familiaritatem habens?

Quamquam etiam aduertendum maximo est, familiarem esse Sathanæ artem fallendi incautos præsertim Sacerdotes, vt non vno, & primo impulsu spiritualem virum, statim in peccatum præcipitet, sed externa boni specie delusum modica spernentem, paulatim in grauissima scelera pertrahat.

Cum itaq; tanta sit periculi magnitudo, tum ex parte nostri, tum ex parte obiecti, quæ regula tenenda erit Pastori animarum vt huic sexui spiritualiter prosit, sibi verò non obsit?

Primo loco neccessarium existimo, vt nullas mulieres secum cohabitan-
In vita c. 26. tes habeat, nec consanguineas quidem, si id fieri potest. Præiuit D. Augustinus exemplo, qui, vt Possidonius refert, nec sororem secum habi-
Lib. 7. ep. 39. tare consensit, dicens, *quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Quod factum D. Gregorius perpendens inde proficiendi sumpsit argumentum: *Docti uiri (ait) cautela magna nobis debet esse instructio. Nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pauet, minus ualidum non timere, sapienter enim illicita superas*

perat, qui didicerit etiam non uti concessis Et si Augustinus tutius, & consultius à sororis contubernio sibi abstinēdum duxit, de qua nulla alioqui suspitionis occasio esse poterat, cur non magis necessarium erit de mulieribus extraneis, quæ & si ætate graues, moribus probatæ conciliorum censura clericis quandoq; permittuntur, fœminæ tandem sunt. *Et Sacerdotis dignitati minimè conuenit*, inquit, Cyprianus, *rem tam sanctam, tam sacram à muliere accipere famulatum*, quę sicut ob sexus conditionē à sacris arcentur, ne ijsdem ministrent, ita nec Sacerdos ob suam dignitatem illas apud suam personam habere familiarius debet. Præterquàm quod non decet in ædibus, & domicilijs sacris Sacerdotum muliebria exercitia videre, calceos, vestes, suspensos pectines, & fusa, cœteraq; huiusmodi. Vnde egregiè Hier. Epist. ad Oceanum. *Prima quidem*, inquit, *testamenta clericorum, fœminarum frequentes accessus. Iste sexus reprahensibiles exhibet clericos. Quid tibi reuera cum fœminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te in publico cuncti, te in agro rustici aratores, ac vinitores quotidie lacerabunt, si contra depositum fidei cum fœminis habitare contendis. Nunquid in choro Apostolorum fœminæ affuerunt. Prohibe virgines tecum commorari, etiam quæ de genere tuo sunt. Dilige eas, exterius ordina, frequenter visita iunctus obsequio clericorum, ne dum secretaliter, ac solus ingrederis, macules testimonium tuum*, & paulo post ita concludit. *Ego iudico, si cū uiris fœminæ habitent, uistarium non deerit Diaboli.* De singul. cler.

Scripsit de hac re insignem tractatum idem Cyprianus, in quo præter alia dicit sibi à domino præceptum fuisse, vt clericis mandaret, ne cum fœminis commorarentur. *Quid enim illic geritur, vbi libertatis sumit mulier in contubernalitate constantiam? quando in domesticis negotijs nunc lacertos, & fœmora lanificis operibus nudat, nunc estuans detegit membra; nunc fatigata iactatur, aut in risum aliquando dissoluitur nunc blanditias exhibet, & quod est venenosius super cuncta psallere delectatur, aut canere. Cuius cantu tollerabilius est audire basiliscum sibilantem. Quid dicimus si videas iucundantem, aut quod est deterius, blandientem. Semel dixerim omnis inconuenientis sodalitas mulierum gluten est delictorum, & viscus toxicatum, quo Diabolus aucupatur.* De singul. cleric.

Secundo, lungas cum mulieribus congressiones, & collocutiones fugiat, neq; ad illas accedat, nisi cum sui muneris ratio postulat, & grauis aliqua necessitas spiritualis impellat, quo ēt tēpore, quàm citius potest, se ab illis expediat, cū humanū cor faciè illis rebus adhæreat, & agglutinetur, quas frequentat, & cum quibus assidue versatur: cuius rei quotidianū habemus experimentū, nam, & domus, & locus, in quibus habitare solemus, ita nos afficiunt, vt nostrū in se amorem concilient, si igitur ista, quæ non magnam in se habere solent illecebrā placendi, solo tamen vsu, & consuetudine nos capiunt, hoc magis erit in ijs rebus, ad quas natura duce trahimur.

Tertio, Seruet D. Hieronimi præceptum Nepotiano Clerico traditum. *Si propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, numquam domum solus introeas; tales habeto socios, quorum contubernio non infameris; solus cum sola secreto, & absq; arbitro, vel teste non sedeas. Si familiarius est aliquid dicendum, habet nutricē maiorem domus virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana, vt nullum, prater te habeat, cui se audeat credere.* Ita Hieronymus, quod optime seruatū fuisse ab Augustino narrat Posidonius. Et si ab aliquibus Ep. 2. In vita c. 26.

R fœmi-

fœmnis, forte vrbanitatis causa rogabatur, numquam sine clericis testibus ad eas accedebat; vel solus, cum solis vmquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset. B. Augustinum S. Carolus Cardin. imitatus cum fœminarum quam locutus est, tam & si consanguinea, quin ex grauioribus domesticis, vnus pluresue adessent, vt referunt vitæ illius scriptores. Huiusmodi enim homines, non solum testes sunt, sed etiam custodes honestatis, & castitatis. Et si Sacramentalis confessio excipienda est, hoc fiat in loco, vbi à domesticis cōmode videri possit, non aūt audiri.

Car. Ep. Nou. lib. 7. c. 6.

Quarto, in huiusmodi colloquijs oculos diligenter custodiat, nec consideret vultum, nec speciem mulieris: facilis enim est transitus ab aspectu ad concupiscentiam, & imago mulieris in corde Sacerdotis, etsi iusti, ingesta si consensum non extorquet, tentationes tamen excitat, quæ conscientiam valde pungunt, & molestant. Quod agnoscens Iob *pepigit fœdus, cum occulis suis, vt non cogitarent quidem de virgine*. Cuius circumspectionis notabile exemplum præbuit Hugo Episcopus Gratiopolitanus, qui, vt erat in munere suo diligentissimus, partes suas tam à fœminis, quā à maribus desiderari numquam passus est, ita se cautum præbuit, vt per annos quinquaginta, quibus Ecclesiam suam administrauit, diceret se nullius mulieris faciem ita aspexisse, vt ex consideratione vultus, si occurreret, quænam esset, dignoscere posset. Quin imo cum semel mulier quædam meretricio ornatu compta eum conuenisset, expostulantibus clericis, quod illam, sine graui aliqua repræhensione dimisisset, respondit, se nihil tale in muliere animaduertisse.

Sur.

Vltimo munuscula, & oblationes à mulieribus non accipiat etiam à probis fœminis, extat enim sapiens dictum D. Hieronymi: *Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, & oblatos, & degustatos cibos, blandasq; & dulces litterulas, sanctus amor non hebet*. Laudatur à S. Bernardo Gaufridus Episcopus Carnotensis Legatus Papæ in Aquitania, qui manutergium cum ligneis paropsidibus ab oppidi cuiusdam domina oblatum recusauit. Præsertim cùm nullæ sint potentiores insidiæ, quàm quas fraudolentus hostis colore boni contegit, nec vllum perniciosius malum, quam quod pallio virtutis vestitur. Artificialia namq; sunt semper Diaboli venefitia, quibus ingenium suæ calliditatis exercens sanctimoniæ deditos dolosis commoditatibus iuuat, vt perdat.

Ep. 2. ad Nepo.

Lib. 4. de consi.

Quomodo cum laicis hominibus conuersetur animarum Rector. Cap. VII.



Voniam omnia omnibus fieri curator debet, vt omnes lucrifaciat, neq; ob vitæ genus, quā profitetur, continuò Eremitarum more illi semper in solitudine degendū sit, sed in vitæ mixtæ statu cōstitutus, cum omnibus pro tempore versari debet, magna proinde prudentia opus est, vt eam mediocritatem teneat, quæ dignitatem suam tueatur, & spirituale aliorum salutē non impediat. Id aūt facilè assequetur, si primo nimium huiusce conuersationis cū laicis

laicis hominibus vſum, familiaritátemq; vitare ſtudeat. Si ſecundò, eã diſcretionem ſeruet, vt omnibus pro vniuſcuiuſq; conditione ſatisfaciat, aliter enim cum diuitibus, aliter cum pauperibus agendum eſt, vt monuit D. Gregorius. Ad nimiam verò conuerſationem fugiendam cum ſecularibus, detrimenta, & pericula, quæ inde quotidie conſequi, experimento cognoſcimus, mouere debent, ex quibus quatuor tantũ enumerabo.

Primũ eſt, quia hac nimia familiaritate paulatim minuitur, & tollitur, reuerentia, quæ Sacerdoti debetur; vnde, & ſtatus ipſe Sacerdotalis contemnitur. Quocirca appoſite Philo: *honorariæ partes Sacerdotum ne cũ accolis quidem communicandæ ſunt, ne propter vicinitatem attingant quæ nefas eſt tangere*. Et notum eſt, quod vulgò dicitur. Nimia familiaritas contemptum parit. Et ſicut raritas conciliat rebus admirationem, ità conuerſatio parit contemptum, egregiè ſcripſit Apuleius. Magna res eſt, & diuina dignitas Paſtoris: precioſa auis ſi rara ſit, ſed ſi in omnium manus deueniat, ſi in aſsiduam venerit conuerſationem, continuo vileſcit. *Lib. de Deo Socr.*

Propterea volebat Deus, vt Moyſes, quos ſibi oblatos cõſecrarat, illico ſepararet, de medio filiorum Iſrael, ne ab ipſis contemnerentur. Quam ob cauſam D. Gregorius Samuelem commendauit, eius exemplo Eccleſiarum Rectores inſtruens. *Raro*, inquit, *videbatur in Ciuitate videlicet tarde veniens, citò recedens. Quo nimirum magiſterio Sanctę Eccleſiæ Doctor inſtruitur, vt videlicet raro ſit in publico, frequens in ſecreto; vt qui tardius aſpicitur, deuotius veneretur.* Petrus Damiani inſignis ſanè dignitate, & ſanctitate Cardinalis, religioſos picturis comparat. Pictura namq; ſi procul aſsiſtat, inhiãter, & cum auiditate proſpicitur: ſi iuxta ſit, contemptibilis iudicatur. Et ſpiritualis quiſq; carnalibus abſens quidem timori, præſens autem videtur eſſe deſpectui. Quod S. Antiochus, hac etiam aptiſsima ſimilitudine illuſtrat. *Quemadmodum virgo interim dum cuſtoditur multis qui externi ſunt, in deſiderio eſt: mox vt prodijt in publicum, iam non omnibus æquè ſe probat illius decor: ſed in illa quiddam deprehenditur, quod vitio detur, & ei notam inurat.* Idem tu dic de quouis Sacerdote. Duplicem autem cauſam huius contẽptus dixerim eſſe: ptimam, ex parte laicorum, qui ſolent eſſe nimium oculati, & perſpicaces in rimandis, potius Sacerdotis defectibus, vt ſuggillẽt, quam in attendendis virtutibus ipſius, vt imitentur; ratio eſt, quia credunt in præfecto animarum, non tantum ſtatum vitæ eſſe mutatum, ſed etiam quaſi naturam ipſam: proinde omnis illius culpa, & ſi leuiſsima ſub illorum cenſuram venit, & grauiſsimã faciunt. Altera cauſa eſt ex parte Sacerdotis, qui, cum ob communem fragilitatem omni culpa non careat, lunga conſuetudine defectus ſuos facilè ſubditis prodit. Quare Seneca epiſt. 105. Lucillium monebat, vt perminimum cum alijs, plurimũ verò ſecum loqueretur, Atq; hãc potiſsimam eſſe cauſam contemptus illis verbis præmonuit D. Ambroſius lib. 1. ep. ad Ireneum. *Vides in Sacerdote nihil plébeium requiri, nihil populare, nihil cõmune cum ſtudio atq; vſu, & moribus multitudinis. Sobriam ceruabis grauitatem ſeriam vitam, ſingulare pondus, dignitas ſibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim poteſt obſeruari, & populo, qui nihil fuit ſeparatum à populo diſpara multitudines quid enim in te miretur ſi ſua in te recognoſcat? ſi in te nihil aſpiciat, quod vltra ſe inueniat nequæ in ſe erubeſcit, in*

Num. 8. *Lib. 4. in 1. reg. 9.* *Apolog c. 16.* *Hom. 102*

te. quem reuerendum arbitratur offendit. Hucusq;

Quibus addiderim, nõ solum hac nimia familiaritate Sacerdotẽ ipsum contemni, sed quod maius est,ẽt id totum,quod ab ipso procedit, licet de sui natura sanctum, & sacrum sit. contemnitur enim illius prædicatio, quia cuius vita despicitur,ẽt predicatio contemnitur,nec vim habent ad persuadendum verba Sacerdotis,quem seculares vel sibi similem, aut parum dissimilem in conuersatione,& vitæ genere conspiciunt, Sacramentorũ quoq; reuerentia minuitur: præsertim, cum indoctum vulgus, non tam ipsorum sanctitatem, & dignitatem, quam ministrantis personam attendat. *Quo circa danda nobis omnino opera est*,inquit, D. Basilius, *vt non nisi magna adhibita*
Const.mõ. c.7. *diligentia, & circumspectione in congressum cum extraneis hominibus veniamus*.

Secundum malum est, quod sæpe euenit, & quidem timendum, ne Sacerdos, qui cum laicis frequentius, & familiarius conuersatur, illorum etiam mores non addiscat, & secularium studijs sensim non afficiatur cũ ea sit humanæ naturæ conditio, vt sicut ad societatem valde procliuis est, ita facile eam boni vel mali formam induat, quam malorum, aut bonorum, quibus cum conuersatur,vita prætulerit: sicut corpus, si sereno clementiq; vtatur cęlo,benè valet, si verò insalubri, & maligno, morbos, & ægritudines contrahit, ita humana mens eorum formam facile induit, quorum conuersatione tenetur.Iuxta quod cecinit Dauid: *commixti sunt in-*
Ps. 108. *ter gentes, & didicerunt opera ipsorum*. Si enim ferrum,quod omnia domat, & obtundit metalla, humi diu deffossum iaceat, consumpta prorsus omni duritie, in mollem terram vertitur, quid faciet cor carneum Sacerdotis, si inter carnales, & seculares homines totum sit? Natura hominis, quia ad malum prona est, facilius vitia quàm virtutes contrahit, vt passim Patres docuere, & Nanzianzenus præsertim his verbis. *Illud exploratum habentes, facilius esse vitium contrahere, quam virtutem imper-*
Orat. 20. n.30. *tire quemadmodum facilius est morbo infici quam sanitatem largiri*. Quod in Apologetico suæ fugę preclara absinthij similitudine declarat,quod multo mel-
Or.1. nu 24. le apposito non dulcescit mel, verò absinthij paucitate redditur amarissimum. Vitrea vasa cõstipata simul gestari nequeunt, quin inter se collidantur. Nota fuit hęc procliuitas naturæ ad vitium D. Basilio. *Qui maiorem*
Mon.cõst c.21. *in modum secularium hominum amicitia*, inquit, *delectatur: eaq; re cum illis assiduè in colloquio esse cupit; is ex frequenti cũ illis sermone prauas eorum affectiones in animum suum facile insinuat*. Cuius sane damni nec inscius fuit Seneca, qui proposito sui ipsius exemplo, Lucilium ad turbam vitandam adhortatus est. *Numquam mores, quos extuli refero. Inimica est multorum conuersatio.*
Cap.7. *Nemo non aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allicit*. Quare Sacerdoti eius consuetudinis auido illud idẽ contingit, quod flumini in mare præcurrenti, quod si magnũ sit, per aliquot stadia cursum suum, dulces aquas, & colorem retinet, at quia continuo fluit, nec retrograditur,paulatim à marinis fluctibus victũ,salsũ maris saporẽ imbibit, & mari miscetur, adeo, vt mare fiat:sic Sacerdos, si cum secularibus tantũ agatur de spirituali animarum profectu, seq; in illorum colloquijs paucis expediat, facilè mores suos conseruat, & propriam existimationem,qui si modum non seruet, seq; totum effundat, mari commiscetur, fitq; moribus, & affectibus secularis.

Ter-

Tertium malum est, quia in his inutilibus colloquijs, & conuersationibus frustra teritur tempus, quod Sacerdoti in primis debet esse carissimum, & preciosum, cum vna hora curatori animarum ob ingentes fructus, quos reportare potest præualeat multis horis secularium.

Quartum malum, nec quidem leue sunt multa linguæ peccata, quæ in prolixioribus colloquijs, & conuersationibus secularium occurunt: valde enim difficile est, vt lingua secularium mentem non inquinet, quam tangit; *Quia dum plerumq; eis ad quædam loquenda condescendimus*, inquit. D. Gregorius *paulisper assueti hanc ipsam locutionẽ, quæ nobis indigna est, & delectabiliter tenemus, vt ex ea iam redire non libeat, ad quam velut ex condescensione deducti venimus inuiti, sicq; fit, vt ab otiosis ad noxia, à leuioribus ad grauiora verba veniamus*; Quin & multa ridicula, vel dicta, vel facta intermiscentur quę omnia Sacerdotis grauitati minimè conuenire D. Hieronymus hac potissimum ratione docuit. *Inter seculares, nugæ sunt nugæ, in ore Sacerdotum blasphemiæ, consecrasti enim os tuum Euangelio, magis ergo iam os aperire illicitum est; assuescere vero, & nugas loqui sacrilegium est.* Lib. 3. dial. c. 15. Lib. 2. de considera tione.

Neq; prodest illorum excusatio, qui dicunt, se secularium hominum conuersatione familiarius, & frequentius vti, vt in spiritualibus animarũ suarum rebus eos adiuuent, contrariũ namq; experimur quotidie, & manu quasi tangimus, Sacerdotem in huiusmodi conuersatione moderatum magno in honore haberi, multumq; posse ad flectendos animos, atq; idẽ illi contingere, quod de Sanctissimo viro Iob legitur. *Videbant me iuuenes*, inquit, *& abscondebantur, & senes assurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum supponebant ori suo*: quia ea mentis humanæ impudentia est (inquit Maximus Tyrius) *vtrũq; exposita sunt, minoris faciat, quæ abstrusa vehementer admiretur*. Serm. 29. Deinde valde periculosum est ex D. Laurentij Iustiniani sententia, ne sub charitatis prætextu, ob nimiam consuetudinem subintret amor sensualitatis. *O quot* (inquit idem) *sub spetie charitatis ducuntur, & seducuntur, ò quanta simulata pereunt dilectione. Heu quam multi in principio pure, & sine deceptione cõuersantes ex nimia familiaritate paulatim infecti in immane præcipitium dilapsi sunt, eò miserius, quò fædius.* Et subdit *Quot temporibus nostris fuerunt & sunt, qui tamquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex frequenti secularium conuersatione, & confabulatione tepefacti, ad pristina opera secularis vitæ miserabiliter redierunt.* Lib. de discip. & perf. monast. conuer. c. 12. Cęterum, si se charitate duci putant, charitas, sicut & quæuis alia virtus, omne nimium in quouis genere, vti vitiosum, refugit, cùm virtus sine moderationis regula consistere nequeat. Certè S. Carolus clerum Mediolanensem aliquando alloquens memorata incommoda querulis vocibus tetigit, cum ait: Act. p. 7. f. 1174. *O Ecclesiasticum statum, tanta olim etiam in veteri lege in te requirebatur tui custodia, tanta à populo segregatio; & quæ isthæc tui dissimilitudo est, vt te iam nobis considerantibus, tuiq; conseruationem inquirentibus, sicut Populus, sic, & Sacerdos appareat.* Et post: *proh dolor. Quomodo obscuratum est aurum, lapides sanctuarij quomodo dispersi sunt in capite omnium platearum; hi inquam viui lapides, hi Dei ministri tam nobiles, hi Dij, quomodo facti sunt vilissimis hominibus viliores; Quam multa hinc inde in animarum cura, & regimine sese efferunt impedimenta ex pessima hac cum laicis conuersatione, & familiaritate manantia. Quid*

est

est: quod postea conqueraris, quod tibi non obediant populi, quod te non reuereantur, quod dignitatem tuam contemnant, si tu ad hoc inuitos illos capillis, vt dici solet, attraxisti, si primus ipse hoc fecisti, hac quippe pœna ignorantiam talium Sacerdotum Dominus punire consueuit. Propter quod, & ego, inquit, *dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis; hac ruina est Ecclesiastici status, hoc detrimentum Ecclesiasticæ dignitatis, & honoris*, ita S. Carolus.

Malac. 2

Hæc mala, & multa si merito timenda sunt in communi conuersatione laicorum, quid erit, cum Sacerdos illectus, hac familiaritate, & consuetudine illorum comessationibus, & conuiuijs delectabitur, in quibus profecto multo plura sunt damna? nam inter verba, inter conuescendum, & compotandum, eam tenere modestiam, quæ officij, ac status dignitati par est, non est cuiusuis virtutis, imo facile est vbi vino incaluerit Sacerdos, & temperantiæ fines egrediatur, & ea à se ipso nunciet quæ bonæ opinioni maxime officere solent, vnde D. Hieronymus. *Facile contemnitur clericus, qui sapè vocatus ad prandium ire non recusat: numquam petentes, rarò accipiamus rogati. Nescio enim quomodo, qui deprecatur, vt tribuat, cum acceperis viliorē te iudicat mirum immodum, si eum rogantem contempseris plus te postea veneratur.* Quare ex D. Hieronymi sententia, non adeo seuerum, & rusticum se præbere debet Sacerdos, vt ad conuiuium rogatus accedere semper renuat, contingit enim aliquando, vt ea occasione spes esse possit alicuius spiritualis lucri, sed virtutis regula seruanda est, nimium frequentia fugienda Regula vero hanc semper accepit Theophilactus; cenante morbo in domo Simonis, leui Rachei lazari: *Vides cenas nostri*, inquit, *quales sunt nempe in vtilitatem asumat, & non insubrietatem venturus si vertuntur.* S. Bonau. cap. 11. de vita S. Francisci tradit. eum in mensa militem conuiuij prebitorem ad peccata per confessionem expianda in ea ipsa conuiuij domo induxisse. At quæres speciatim rationem, & modum quem serues in conuersando cum multiplici hominum genere, quod est alterum nostræ propositionis caput, vt omnibus sis fructuosus: Respondeo, cum varia sint genera hominum, varijq; illorum status, non posse tradi certam regulam, tamen capita quædam attingam, quæ sicut communia sunt omnibus, ita etiam necessaria sunt, vt in vsum inducantur.

Ep. 2. ad Nepot.

Theoph. Luc. 14.

Primum est, in his familiaribus colloquijs, si prudens sit Sacerdos, magnā inesse commoditatē profectus spiritualis illorum, quibus cum conuersatur, nam prudens piscator animarum totum sermonem illis aptat, & accōmodat, deuenit ad propria, inculcat magis necessaria, dat ei facultatē libere aperiendi cor suum, & sincera quadam vrbanitate illum sibi deuincit. Quot animas sancti Deo pepererūt his priuatis colloquijs? Quare Sacerdos bonus hoc animo conuersetur, & colloquatur, non vt fabuletur sed vt spiritualiter lucretur.

Secundū est, vt sermo instituatur tantum, de re pia, sprituali ac spectante ad æternam salutem.

Tertium est, quod licèt omnibus sit debitor, tamen plurimū refert habere rationem personarum, *aliter cum potentibus mundi*, inquit, D. Ambrosius in illa D. Pauli, *sermo tuus in gratia sale sit semper conditus, aliter cum mediocribus, & aliter cum humilibus agendum est. Aliter iterum cum mansuetis*,

In cap. 4. ad Colos.

tis; aliter cum iracundis, quibus cedi oportet. Quare conditioni illorum colloquia, & sermones accommodandi sunt.

Si cum diuitibus conuersandum sit, hoc primum obseruet, ne se adeo grauem præbeat, vt tumidum dicant, neq; ita humilem, & familiarem, vt sit apud ipsos contemptui; presertim cum nobiles, & potentes viri soleant Sacerdotum amicitias diligentius captare, vt illis præsto sint ad sua vota; Quare cautè procedendum, ne in aliquos scopulos incidas, si te nimium illis per familiaritatem dederis. Solent etiam Sacerdotum familiaritate delectari vt ipsis, sicut cęteris dominētur: vtrumq; malū, & minimè tolerādū. Quis enim ferat, Pastorem animarum, cuius tanta deberet esse grauitas, & modestia, vt omnes in sui admirationem trahat, penè secundarium rebus famulari, morem gerere, & scurram agere. Procul. à ratione est, ex eodem ore, per quod quotidie Christi corpus infertur, quodq; diuinę prædicationi consecratum est, nugas, otiosa, & scurilia verba effluere. Hoc planè Sacerdotem contemptibilem reddit; licet enim seculares illius hilaritatem coram commendare videantur, interius tamen irrident; & contemnunt.

Multo verò minus magnatū amicitia, & familiaritas à sacerdote quærenda est, quasi sub eorum tutela securius delinquere possit: summæ namq; temeritatis (nota) est *cōfidere in principibus, & in filijs hominū, in quibus non est salus*, & confidere in Dei offensionem. Quis nesciat non esse consilium neque virtutem contra Deum; nihilq; in vltum remanere? vsus ipse docuit, Sacerdotem huiusmodi in tempore angustiæ, & tribulationis ab ipsis omni prorsus auxilio derelictum, & destitutū fuisse, vt verè illud ipsi obiectari possit, *Vbi sunt Dij, in quibus confidebas: surgant nunc, & fiant tibi protectores*. Quinimo obseruatum etiam est, hos Sacerdotes, qui potentum obsequia, & fauores anteponunt diuino honori, & Ecclesiasticę, dignitati, non modo aliquid præmij ex huiusmodi obsequijs reportasse, sed ab ipsis postmodū nobilibus derelictos, & aliquando etiam malè vexatos fuisse: eodem prorsus modo, quo qui aliqua scala ad scandendum vtitur, postquam quò volebat peruenit, scalam abijcit: quæ omnia iustissimo Dei iuditio eueniunt, vt per ea Sacerdos puniatur, per quæ peccauit. Deinde Agnoscat Sacerdos, maiora se impetraturum à potentibus, & nobilibus, suam modestè tuendo dignitatem, & indigna postulantibus resistendo, quàm conniuēdo, tantus enim est integritatis splendor, & tanta vis veritatis, vt tandem velint, nolint, perditorum etiam num hominum animos concilies, cum veritas etiam regibus ipsis prævaleat. Postremò, quid Sacerdoti cum diuitibus, quid tanti illorum gratiam facere, si ipsi multa terrarum spatia gloriantur habere, Sacerdos habet Deum in partem, dicitq; *funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi*. Si ipsi areas, & horea redundantia habent, Sacerdos habet claues Regni cælestis, vbi reconditus est verus thesaurus. Si ipsi deniq; nobilitatis, aut dignitatis splēdore fulgent quid secularis dignitas cum Sacerdotali, *si regum fulgori compares Sacerdotem* (inquit D. Ambrosius) *& Principum diademat, ahoc erit, ac si plumbi metallum ad auri fulgorem compares*. *De Sacer.*


Cum mercatoribus & negotiatoribus ita suam instituat conuersationē, vt

vt se illius tamquam patrem, ac spiritualem magistrum exhibeat: pia colloquia sæpè intermisceat, quàm periculosus sit illorum status, qui mercaturam exercent ostendat, ad confessiones frequentes hortetur, & ad alia christianæ vitæ exercitia, nihil illorum, nisi spirituale salutem affectet, & re ipsa hoc ipsum comprobet. Optimum erit si se illorum negotijs non implicet, nisi consilij causa: si enim ex sententia non eueniant, insurgunt in Sacerdotem, conquerûtur, & multis obstrepunt, quæ illius dignitati maxime officiunt.

Erga pauperes autem, & tenuiores homines humanitatem, & affabilitatem seruet, illorum defectus patienter ferat, audiat libenter etiam intêpestiuè accedentes, etiam inepta rogantes: abstineat tamen Sacerdos à longioribus colloquijs cum ipsis, cum enim rudes sint, certam discretionis regulam non tenent, & quandoq; contemptus ansam inde arripiunt. Et vt summatim dicam, animarum rector omnibus sit benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, seruetq; illud D. Gregorij. *Esto grauis, sed non austerus, vt neque de seueritate sis oneri, nec de familiaritate contemptui.*

Lib. 20. Mor. c. 3.

Curator animarum desidiam fugiat. Cap. VIII.



Nihil autem clericis magis fugiendum est, quàm otium, & torpens animi ignauia, quæ multis vitijs alimentum, suppeditat; vt est in prouerbijs. *Qui sectatur otium, replebitur egestate.* Et in Ecceſiastico. *Multam malitiam docuit otiositas.* Sed cum otium duplex sit, alterum quidem, quo Sacerdos à sanctis, & necessarijs, studijs, & occupationibus vacans, tempus, infructuosè, & inutiliter conterit: alterum verò, quo in rebus, & negotijs secularibus, nec sibi congruentibus, occupatur. vtrûq; pastorê prorsus indignum, eiq; maxime perniciosum, dicimus.

Prou. 12. Eccle. 33.

Et de priori quidem satis supra disseruimus, cum illorum errorem repelleremus, qui animo otiandi ad curam animarum veniunt, vt vix credi possit, aliquem esse rectorem animarum, sanæ mentis, qui muneris sui conditionem, & pondus, vel leuiter intelligens, ad hanc mentis dementiam, & stuporem, deueniat, vt in arce laborum positus, se credat esse in tranquilla, & quieta statione, & inter tot pericula, tamen sibi putet dormiendum in vtramq; aurem, & otiandum; quæ causa fuit S. Carolo (vt alibi meminimus) acriter Episcopum illum increpandi, qui ei scripserat, sibi parum esse negotij sub tanto pondere Episcopalis dignitatis. Cuius sententiæ si tamen sit aliquis, nullum maius remedium est ad conuellendum hunc errorem, quàm, vt diuinum lumen desuper imploretur, quo detersa, hac mentis caligine, statum suum vere cognoscat; sic enim fiet, vt tot periculis, & ærumnis perspectis, somnum excutiat, nec sibi vmquam quiescendum statuat. Quia si turpè, & indignum est, hominem alioquin ad laborem natum, otio torpescere, quanto minus hoc ferendû est in Sacerdote, curatore animarum, cuius tota vita in assiduo labore, & opere posita est? vt Paulus optimè testatus est his verbis. *Ministri sunt, & Ego:*

ego: in laboribus plurimis; in carceribus abundantius in plagis supra modum. Quisnam pater familias vocatum operarium ferat nihil agentem. *Quodsi sal euanuerit, in quo salietur*, inquit, Christus, neque dixit; si sal conputruerit, aut liquefactum fuerit, sed si vanum, & fatuum fuerit, quia Pastores animarum, non tantùm male agentes, sed fatui, & otiosi damnandi sunt, vt alio in loco illis verbis, idem saluator docuit. *Seruum inutilem proijcite in tenebras exteriores.* Mat. 5. Mat. 25.

Cæterum cum multa sint damna, quæ ex otio, & desidia Pastoris oriuntur, ad tria tamen capita ordinis gratia, reuocabimus. Nam otiositas Sacerdotis primo sibi periculosa est: deinde bonā ipsius existimationē apud populum tollit postremo impedit etiam fructum animarum. Obest primo animæ propriæ non solum, quia tempus inutiliter consumit, adeò præciosum de quo tam exacta ratio reddenda est; sed etiam quia vir otiosus Dæmonum telis, & tentationibus maximè obnoxius est: sicuti enim, (vt egregiè annotauit D. Cyprianus,) hostis Ciuitatem aliquam expugnaturus, eius mænia lustrat acuratissime, antequam instrumenta bellica admoueat, vel cuniculos instruat, & illud præcipuè tempus præstolatur ad aggrediendum, cum milites otiosos, aut somno detentos conspicit, ita Dæmon tūc maximè acrioribus stimulis ad peccandum animam vexat, cū illam, otio aliquo distentam videt. Ostendit hoc satis exemplum Isboset, qui cum Rex esset, tamen tam misere occisus est. Quia, videlicet, ianuæ custodiam fœminæ mandarat, qua insuper dormitante, insidiatores domum ingressi domino vitam ademerunt. De hoc D. Augustinus. *Quem tædet orare, inquit, vel psalere, laborare manibus, non differat, cogitans, quod quamdiu Dauid exercitauit se in militia, non insultauit ei luxuria, sed postquam in domo otiosus remansit laborauit adulterio, & homicidium comisit. Samson, dum cum Philisteis pugnauit, non potuit capi abhostibus, sed post quam dormiuit in sinu fæminæ, & otiosè cum ea remansit, mox capitur, & excecatur ab hostibus. Salomon, dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere, persensit insultum luxuriæ; & deficiens, fæmina instigante ad idola, adorauit in thalamo vitulum aureum. Vigilate ergo fratres, & nolite deficere, quia, nec sanctiores Samsone, nec sapientiores Salomone, uos esse cognosco*, ita cōcludit Augustinus. Quod si huiusmodi casus, & ruinæ omnibus otiosis paratæ sunt, quantò magis otiosis Pastoribus? cùm dicat D. Chrisostomus Dæmones, tamquam piratas, his potissimum nauibus insidiari, quas auro, & præciosis mercibus onustas esse, intelligunt. Serm. de Zelo. 2. Reg. 4. Serm. 15. 2. reg 11. Iud. 16. 3. Reg. 11. Hom. 4. de verbis Isaia.

Deinde otiositas Sacerdotis minuit bonam opinionem, & reuerentiam apud secolares, quia cum otiosus sit, domi se continere non potest, per plateas, & compita discurrit, vagatur per vrbem, vel oppidum, turbæ virorum, & fæminarum promiscue se infert; & quod est grauissimum, per alienas domos circum cursat se curiosum de illorum negotijs; præbet. Quæ omnia minuunt bonam existimationem, fastidiumq; pariunt secularibus, cum singulis ferè momentis illis verseтur ante oculos, ac tandem contemptum pariunt. Et verè Sacerdos vagans qui, nisi magna de causa, in conspectu dopuli sui grauis apparere debet, admirationem semper attulit sanæ mentis cuiq; *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color* Lib. 10. c. 6. Ier.

 opti-

statio sana latronū. Plus Duces, & Principes, quàm milites ab hostibus appetuntur in pugna: & violentiùs propulsantur ventis, & turbinibus culmina, quæcumq; sunt altiora. Ideo magis, magisq; quò plus cæteris vnusquisq; potest, sciat esse sibi metuendū, ne in aliquo minoretur, propter quod Salomon sic admonet dicens: Qui
Eccl. 10. *gloriatur diuitijs, paupertatem vereatur. Quare magis expedit, plus bene timere, quàm malè fidere, & vtilius est, vt infirmum se homo cognoscat, vt fortis existat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat.*

Quod si etiam cum Hieronymo dixeris *mihi sufficit conscientia mea, habeo*
Ep. 47. *Deum iudicem, qui meæ vitæ est testis, non curo, quid loquantur homines.* Audi
Rom. 12. Apostolum quæso *Prouidentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et si fieri potest, vt in mulierum conuersatione, nullis quis libidinum aculeis pungatur, aut extimuletur, quomodo, hoc ita esse cæteris, persuadere poterit; Exemplo sit D. Hieronymus, qui quia Paulæ castissimæ, & Sanctissimæ matronæ sanctis colloquijs capiebatur, ex Romanis aliqui inde detrahendi de tanto viro occasionem sumpsere, quibus, & respondere idem Hieronymus duxit necessarium, his verbis. *Antequam do-*
Ep. ad Asellam. *mum Paulæ nossem, totius in me vrbis verba consonabant, omnium pene iuditio dignus summo sacerdotio decernebar. Dicebar sanctus, humilis, discretus. Numquid domum alicui us lasciuioris ingressus sum, nunquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum quæ meum posset edomare mentem, nisi lugens atq; ieiunans, squalens sordibus, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiā Dei deprecantem sol sæpè deprehendit. Nulla me potuit delectare, nisi illa, quam numquam manducantem uidi. Sed postquam eam pro suæ merito castitatis uenerari, colere, suspicere, cæpi, omnes me illico deseruere uirtutes?* His, & alijs per multis mordaces obtrectatorum linguas Hieronimus reprimere conabatur. Quod si D. Hieronymum pium, sanctum senem, vel certe tunc temporis, non iuuenem cum Paula vetula, & sancta de rebus spiritualibus colloquentem, coram arbitris, inuidiæ lingua momordit, quid faciat, qui nihil horum habet? quam parum tutus iuuenis, & ijs vacuus præsidijs, quæ ille habebat, cum fœmina vel suspecta, vel saltem non sancta familiaritatem habens?

Quamquam etiam aduertendum maxime est, familiarem esse Sathanæ artem fallendi incautos præsertim Sacerdotes, vt non vno, & primo impulsu spiritualem virum, statim in peccatum præcipitet, sed externa boni specie delusum modica spernentem, paulatim in grauissima scelera pertrahat.

Cum itaq; tanta sit periculi magnitudo, tum ex parte nostri, tum ex parte obiecti, quæ regula tenenda erit Pastori animarum vt huic sexui spiritualiter prosit, sibi verò non obsit?

Primo loco necessarium existimo, vt nullas mulieres secum cohabitantes
In vita c. 26. tes habeat, nec consanguineas quidem, si id fieri potest. Præiuit D. Augustinus exemplo, qui, vt Posidonius refert, nec sororem secum habi-
Lib. 7. ep. 39. tare consensit, dicens, *quia cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Quod factum D. Gregorius perpendens inde proficiendi sumpsit argumentum: *Docti uiri (ait) cautela magna nobis debet esse instructio. Nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pauet, minus ualidum non timere, sapienter enim illicita superat*

peras

perat, qui didicerit etiam non vti concessis Et si Augustinus tutius, & consultius à sororis contubernio sibi abstinēdum duxit, de qua nulla alioqui suspitionis occasio esse poterat, cur non magis necessarium erit de mulieribus extraneis, quæ & si ætate graues, moribus probatæ conciliorum censura clericis quandoq; permittuntur, fæminæ tandem sunt. *Et Sacerdotis dignitati minimè conuenit*, inquit, Cyprianus, *rem tam sanctam, tam sacram à muliere accipere famulatum*, quę sicut ob sexus conditionē à sacris arcentur, ne ijsdem ministrent, ita nec Sacerdos ob suam dignitatem illas apud suam personam habere familiarius debet. Præterquàm quod non decet in ædibus, & domicilijs sacris Sacerdotum muliebria exercitia videre, calceos, vestes, suspensos pectines, & fusa, cæteraq; huiusmodi. Vnde egregiè Hier. Epist. ad Oceanum. *Prima quidem*, inquit, *testamenta clericorum, fæminarum frequentes accessus. Iste sexus reprahensibiles exhibet clericos. Quid tibi reuera cum fæminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te in publico cuncti, te in agro rustici aratores, ac vinitores quotidie lacerabunt, si contra depositum fidei cum fæminis habitare contendis. Nunquid in choro Apostolorum fæminæ affuerunt. Prohibe virgines tecum commorari, etiam quæ de genere tuo sunt. Dilige eas, exterius ordina, frequenter visita iunctus obsequio clericorum, ne dum secretaliter, ac solus ingrederis, macules testimonium tuum*, & paulo post ita concludit. *Ego iudico, si cū uiris fæminæ habitent, uiscarium non deerit Diaboli.* *De singul. cler.*

Scripsit de hac re insignem tractatum idem Cyprianus, in quo præter alia dicit sibi à domino præceptum fuisse, vt clericis mandaret, ne cum fęminis commorarentur. *Quid enim illic geritur, vbi libertatis sumit mulier in contubernalitate constantiam? quando in domesticis negotijs nunc lacertos, & femora lanificis operibus nudat, nunc estuans detegit membra; nunc fatigata iactatur, aut in risum aliquando disoluitur nunc blanditias exhibet, & quod est venenosius super cuncta psallere delectatur, aut canere. Cuius cantu tollerabilius est audire basiliscum sibilantem. Quid dicimus si videas iucundantem, aut quod est deterius, blandientem. Semel dixerim omnis inconuenientia sodalitas mulierum gluten est delictorum, & viscus toxicatum, quo Diabolus aucupatur.* *De singul. cleric.*

Secundo, lungas cum mulieribus congressiones, & collocutiones fugiat, neq; ad illas accedat, nisi cum sui muneris ratio postulat, & grauis aliqua necessitas spiritualis impellat, quo ēt tēpore, quàm citius potest, se ab illis expediat, cū humanū cor faciſ'è illis rebus adhæreat, & agglutinetur, quas frequentar, & cum quibus assidue versatur: cuius rei quotidianū habemus experimentū, nam, & domus, & locus, in quibus habitare solemus, ita nos afficiunt, vt nostrū in se amorem concilient, si igitur ista, quæ non magnam in se habere solent illecebrā placendi, solo tamen vsu, & consuetudine nos capiunt, hoc magis erit in ijs rebus, ad quas natura duce trahimur.

Tertio, Seruet D. Hieronimi præceptum Nepotiano Clerico traditum. *Si propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, numquam domum solus introeas; tales habeto socios, quorum contubernio non infameris; solus cum sola secreto, & absq; arbitro, vel teste non sedeas. Si familiarius est aliquid dicendum, habet nutricē maiorem domus virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana, vt nullum, præter te habeat, cui se audeat credere.* Ita Hieronymus. quod optime seruatū fuisse ab Augustino narrat Posidonius. Et si ab aliquibus *Ep. 2.* *In vita c. 26.*

R fœmi-

fœmnis, forte vrbanitatis causa rogabatur, numquam sine clericis testibus ad eas accedebat; vel solus, cum solis vmquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset. B. Augustinum S. Carolus Cardin. imitatus cum fœminarum quam locutus est, tam & si consanguinea, quin ex grauioribus domesticis, vnus pluresue adessent, vt referunt vitæ illius scriptores. Huiusmodi enim homines, non solum testes sunt, sed etiam custodes honestatis, & castitatis. Et si Sacramentalis confessio excipienda est, hoc fiat in loco, vbi à domesticis cōmode videri possit, non aūt audiri.

Car. Ep. Nou. lib. 7. c. 6.

Quarto, in huiusmodi colloquijs oculos diligenter custodiat, nec consideret vultum, nec speciem mulieris: facilis enim est transitus ab aspectu ad concupiscentiam, & imago mulieris in corde Sacerdotis, etsi iusti, ingesta si consensum non extorquet, tentationes tamen excitat, quæ conscientiam valde pungunt, & molestant. Quod agnoscens Iob *pepigit fœdus, cum occulis suis, vt non cogitarent quidem de virgine*. Cuius circumspectionis notabile exemplum præbuit Hugo Episcopus Gratiopolitanus, qui, vt erat in munere suo diligentissimus, partes suas tam à fœminis, quā à maribus desiderari numquam passus est, ita se cautum præbuit, vt per annos quinquaginta, quibus Ecclesiam suam administrauit, diceret se nullius mulieris faciem ita aspexisse, vt ex consideratione vultus, si occurreret, quænam esset, dignoscere posset. Quin imo cum semel mulier quædam meretricio ornatu compta eum conuenisset, expostulantibus clericis, quod illam, sine graui aliqua repræhensione dimisisset, respondit, se nihil tale in muliere animaduertisse.

Sur.

Vltimo munuscula, & oblationes à mulieribus non accipiat etiam à probis fœminis, extat enim sapiens dictum D. Hieronymi: *Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, & oblatos, & degustatos cibos, blandasq; & dulces litterulas, sanctus amor non hebet*. Laudatur à S. Bernardo Gaufridus Episcopus Carnotensis Legatus Papæ in Aquitania, qui manutergium cum ligneis paropsidibus ab oppidi cuiusdam domina oblatum recusauit. Præsertim cùm nullæ sint potentiores insidiæ, quàm quas fraudolentus hostis colore boni contegit, nec vllum perniciosius malum, quam quod pallio virtutis vestitur. Artificialia namq; sunt semper Diaboli venefitia, quibus ingenium suæ calliditatis exercens sanctimonię deditos dolosis commoditatibus iuuat, vt perdat.

Ep. 2. ad Nepo.

Lib. 4. de consi.

Quòmodo cum laicis hominibus conuersetur animarum Rector. Cap. VII.


Voniam omnia omnibus fieri curator debet, vt omnes lucrifaciat, neq; ob vitæ genus, quā profitetur, continuò Eremitarum more illi semper in solitudine degendū sit, sed in vitę mixtę statu cōstitutus, cum omnibus pro tempore versari debet, magna proinde prudentia opus est, vt eam mediocritatem teneat, quæ dignitatem suam tueatur, & spirituale aliorum salutē non impediat. Id aūt facilè assequetur, si primo nimium huiusce conuersationis cū laicis

laicis hominibus vsum, familiaritatemq; vitare studeat. Si secundò, eã discretionem seruet, vt omnibus pro vniuscuiusq; conditione satisfaciat, aliter enim cum diuitibus, aliter cum pauperibus agendum est, vt monuit D. Gregorius. Ad nimiam verò conuersationem fugiendam cum secularibus, detrimenta, & pericula, quæ inde quotidie consequi, experimento cognoscimus, mouere debent, ex quibus quatuor tantũ enumerabo.

Primũ est, quia hac nimia familiaritate paulatim minuitur, & tollitur, reuerentia, quæ Sacerdoti debetur; vnde, & status ipse Sacerdotalis contemnitur. Quocirca apposite Philo: *honoraria partes Sacerdotum ne cũ accolis quidem communicandæ sunt, ne propter vicinitatem attingant quæ nefas est tangere*. Et notum est, quod vulgò dicitur. Nimia familiaritas contemptum parit. Et sicut raritas conciliat rebus admirationem, ita conuersatio parit contemptum, egregiè scripsit Apuleius. Magna res est, & diuina dignitas Pastoris: preciosa auis si rara sit, sed si in omnium manus deueniat, si in assiduam venerit conuersationem, continuo vilescit. *Lib. de Deo Socr.*

Propterea volebat Deus, vt Moyses, quos sibi oblatos cõsecrarat, illico separaret, de medio filiorum Israel, ne ab ipsis contemnerentur. Quam ob causam D. Gregorius Samuelem commendauit, eius exemplo Ecclesiarum Rectores instruens. *Raro*, inquit, *videbatur in Ciuitate videlicet tarde veniens, citò recedens. Quo nimirum magisterio Sanctę Ecclesiæ Doctor instruitur, vt videlicet raro sit in publico, frequens in secreto; vt qui tardius aspicitur, deuotius veneretur.* Petrus Damiani insignis sanè dignitate, & sanctitate Cardinalis, religiosos picturis comparat. Pictura namq; si procul assistat, inhiãter, & cum auiditate prospicitur: si iuxta sit, contemptibilis iudicatur. Et spiritualis quisq; carnalibus absens quidem timori, præsens autem videtur esse despectui. Quod S. Antiochus, hac etiam aptissima similitudine illustrat. *Quemadmodum virgo interim dum custoditur multis qui externi sunt, in desiderio est: mox vt prodijt in publicum, iam non omnibus aquè se probat illius decor: sed in illa quiddam deprehenditur, quod vitio detur, & ei notam inurat.* Idem tu dic de quouis Sacerdote. Duplicem autem causam huius contẽptus dixerim esse: ptimam, ex parte laicorum, qui solent esse nimium oculati, & perspicaces in rimandis, potius Sacerdotis defectibus, vt suggillẽt, quam in attendendis virtutibus ipsius, vt imitentur; ratio est, quia credunt in præfecto animarum, non tantum statum vitæ esse mutatum, sed etiam quasi naturam ipsam: proinde omnis illius culpa, & si leuissima sub illorum censuram venit, & grauissimã faciunt. Altera causa est ex parte Sacerdotis, qui, cum ob communem fragilitatem omni culpa non careat, longa consuetudine defectus suos facilè subditis prodit. Quare Seneca epist. 105. Lucillium monebat, vt perminimum cum alijs, plurimũ verò secum loqueretur, Atq; hãc potissimam esse causam contemptus illis verbis præmonuit D. Ambrosius lib. 1. ep. ad Ireneum. *Vides in Sacerdote nihil plebeium requiri, nihil populare, nihil cõmune cum studio atq; vsu, & moribus multitudinis. Sobriam cetuabis grauitatem seriam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari, & populo. qui nihil fuit separatum à populo dispara multitudines quid enim in te muretur si sua in te recognoscat? si in te nihil aspiciat, quod vltra se inueniat nequæ in se erubescit, in*

Num. 8. *Lib. 4. in 1. reg. 9.* *Apolog c. 26.* *Hom. 102*

te. quem reuerendum arbitratur offendit. Hucusq;

Quibus addiderim, nō solum hac nimia familiaritate Sacerdotē ipsum contemni, sed quod maius est, ēt id totum, quod ab ipso procedit, licet de sui natura sanctum, & sacrum sit. contemnitur enim illius prædicatio, quia cuius vita despicitur, ēt predicatio contemnitur, nec vim habent ad persuadendum verba Sacerdotis, quem seculares vel sibi similem, aut parum dissimilem in conuersatione, & vitæ genere conspiciunt, Sacramentorū quoq; reuerentia minuitur: præsertim, cum indoctum vulgus, non tam ipsorum sanctitatem, & dignitatem, quam ministrantis personam attendat. *Quocirca danda nobis omnino opera est*, inquit, D. Basilius, *vt non nisi magna adhibita diligentia, & circumspectione in congressum cum extraneis hominibus veniamus*.

Const.mō. c.7. Secundum malum est, quod sæpe euenit, & quidem timendum, ne Sacerdos, qui cum laicis frequentius, & familiarius conuersatur, illorum etiam mores non addiscat, & secularium studijs sensim non afficiatur cū ea sit humanæ naturæ conditio, vt sicut ad societatem valde procliuis est, ita facile eam boni vel mali formam induat, quam malorum, aut bonorum, quibus cum conuersatur, vita prætulerit: sicut corpus, si sereno clementiq; vtatur cęlo, benè valet, si verò insalubri, & maligno, morbos, & ægritudines contrahit, ita humana mens eorum formam facile induit, quorum conuersatione tenetur. Iuxta quod cecinit David: *commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera ipsorum*. Si enim ferrum, quod omnia domat, & obtundit metalla, humi diu deffossum iaceat, consumpta prorsus omni duritie, in mollem terram vertitur, quid faciet cor carneum Sacerdotis, si inter carnales, & seculares homines totum fit? Natura hominis, quia ad malum prona est, facilius vitia quàm virtutes contrahit, vt passim Patres docuere, & Nanzianzenus præsertim his verbis. *Illud exploratum habentes, facilius esse vitium contrahere, quam virtutem impertire quemadmodum facilius est morbo infici quam sanitatem larg ri*. Quod in Apologetico suæ fugę preclara absinthij similitudine declarat, quod multo melle apposito non dulcescit mel, verò absinthij paucitate redditur amarissimum. Vitrea vasa cōstipata simul gestari nequeunt, quin inter se collidantur. Nota fuit hęc procliuitas naturæ ad vitium D. Basilio. *Qui maiorem in modum secularium hominum amicitia*, inquit, *delectatur: eaq; re cum illis assiduè in colloquio esse cupit; is ex frequenti cū illis sermone prauas eorum affectiones in animum suum facile insinuat*. Cuius sane damni nec inscius fuit Seneca, qui proposito sui ipsius exemplo, Lucilium ad turbam vitandam adhortatus est. *Numquam mores, quos extuli refero. Inimica est multorum conuersatio. Nemo non aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allicit*. Quare Sacerdoti eius consuetudinis auido illud idē contingit, quod flumini in mare præcurrenti, quod si magnū sit, per aliquot stadia cursum suum, dulces aquas, & colorem retinet, at quia continuo fluit, nec retrograditur, paulatim à marinis fluctibus victū, salsū maris saporē imbibit, & mari miscetur, adeo, vt mare fiat: sic Sacerdos, si cum secularibus tantū agatur de spirituali animarum profectu, seq; in illorum colloquijs paucis expediat, facilè mores suos conseruat, & propriam existimationem, qui si modum non seruet, seq; totum effundat, mari commiscetur, fitq; moribus, & affectibus secularis.

Ps. 108.

Orat. 20. n. 30.

Or. 1. nu 24.

Mon. cōst c. 21.

Cap. 7.

Ter-

Tertium malum est, quia in his inutilibus colloquijs, & conuersationibus frustra teritur tempus, quod Sacerdoti in primis debet esse carissimum, & preciosum, cum vna hora curatori animarum ob ingentes fructus, quos reportare potest præualeat multis horis secularium.

Quartum malum, nec quidem leue sunt multa linguæ peccata, quæ in prolixioribus colloquijs, & conuersationibus secularium occurunt: valde enim difficile est, vt lingua secularium mentem non inquinet, quam tangit; *Quia dum plerumq; eis ad quædam loquenda condescendimus*, inquit. D. Gregorius *paulisper assueti hanc ipsam locutionẽ, quæ nobis indigna est, et delectabiliter tenemus, vt ex ea iam redire non libeat, ad quam velut ex condescensione deducti venimus inuiti, sicq; fit, vt ab otiosis ad noxia, à leuioribus ad grauiora verba veniamus*; Quin & multa ridicula, vel dicta, vel facta intermiscentur quę omnia Sacerdotis grauitati minimè conuenire D. Hieronymus hac potissimum ratione docuit. *Inter seculares, nugæ sunt nugæ, in ore Sacerdotum blasphemiæ, consecrasti enim os tuum Euangelio, magis ergo iam os aperire illicitum est; assuescere vero, & nugas loqui sacrilegium est.* *Lib. 3. dial. c. 15.* *Lib. 2. de consideratione.*

Neq; prodest illorum excusatio, qui dicunt, se secularium hominum conuersatione familiarius, & frequentius vti, vt in spiritualibus animarũ suarum rebus eos adiuuent, contrariũ namq; experimur quotidie, & manu quasi tangimus, Sacerdotem in huiusmodi conuersatione moderatum magno in honore haberi, multumq; posse ad flectendos animos, atq; idẽ illi contingere, quod de Sanctissimo viro Iob legitur. *Videbant me iuuenes*, inquit, *& abscondebantur, & senes assurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum supponebant ori suo*: quia ea *mentis humanæ impudentia est* (inquit Maximus Tyrius) *vt quę exposita sunt, minoris faciat, quæ abstrusa vehementer admiretur*. Deinde valde periculosum est ex D. Laurentij Iustiniani sententia, ne sub charitatis prætextu, ob nimiam consuetudinem subintret amor sensualitatis. *O quot* (inquit idem) *sub spetie charitatis ducuntur, & seducuntur, ò quanta simulata pereunt dilectione. Heu quam multi in principio pure, & sine deceptione cõuersantes ex nimia familiaritate paulatim infecti in immane præcipitium dilapsi sunt, eò miserius, quò fædius*. Et subdit *Quot temporibus nostris fuerunt & sunt, qui tamquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex frequenti secularium conuersatione, & confabulatione tepefacti, ad pristina opera secularis vitæ miserabiliter redierunt*. Cęterum, si se charitate duci putant, charitas, sicut & quæuis alia virtus, omne nimium in quouis genere, vti vitiosum, refugit, cùm virtus sine moderationis regula consistere nequeat. Certè S. Carolus clerum Mediolanensem aliquando alloquens memorata incommoda querulis vocibus tetigit, cum ait: *O Ecclesiasticum statum, tanta olim etiam in veteri lege in te requirebatur tui custodia, tanta à populo segregatio; & quæ istbæc tui dissimilitudo est, vt te iam nobis considerantibus, tuiq; conseruationem inquirentibus, sicut Populus, sic, & Sacerdos appareat*. Et post: *proh dolor. Quomodo obscuratum est aurum, lapides sanctuarij quomodo dispersi sunt in capite omnium platearum; hi inquam viui lapides, hi Dei ministri tam nobiles, hi Dij, quomodo facti sunt vilissimis hominibus viliores; Quam multa hinc inde in animarum cura, & regimine sese efferunt impedimenta ex pessima hac cum laicis conuersatione, & familiaritate manantia. Quid* *Serm. 29.* *Lib. de disc. & perf. monast. conuer. c. 12.* *Act. p. 7. f. 1174.*

est

est: quod postea conqueraris, quod tibi non obediant populi, quod te non revereantur, quod dignitatem tuam contemnant, si tu ad hoc inuitos illos capillis, vt dici solet, attraxisti, si primus ipse hoc fecisti, hac quippe pœna ignorantiam talium Sacerdotum Dominus punire consueuit. Propter quod, & ego, inquit, *dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis; hac ruina est Ecclesiastici status, hoc detrimentum Ecclesiasticæ dignitatis, & honoris*, ita S. Carolus.

Malac. 2.

Hæc mala, & multa si merito timenda sunt in communi conuersatione laicorum, quid erit, cum Sacerdos illectus, hac familiaritate, & consuetudine illorum comessationibus, & conuiuijs delectabitur, in quibus profecto multo plura sunt damna? nam inter verba, inter conuescendum, & compotandum, eam tenere modestiam, quæ officij, ac status dignitati par est, non est cuiusuis virtutis, imo facile est vbi vino incaluerit Sacerdos, & temperantiæ fines egrediatur, & ea à se ipso nunciet quæ bonæ opinioni maxime officere solent, vnde D. Hieronymus. *Facile contemnitur clericus, qui sæpè vocatus ad prandium ire non recusat: numquam petentes, rarò accipiamus rogati. Nescio enim quomodo, qui deprecatur, vt tribuat, cum acceperis viliorẽ te indicat mirum immodum, si eum rogantem contempseris plus te postea veneratur.* Quare ex D. Hieronymi sententia, non adeo seuerum, & rusticum se præbere debet Sacerdos, vt ad conuiuium rogatus accedere semper renuat, contingit enim aliquandò, vt ea occasione spes esse posit alicuius spiritualis lucri, sed virtutis regula seruanda est, nimium frequentia fugienda Regula vero hanc semper accepit Theophilactus; cenante morbo in domo Simonis, leui Rachei lazari: *Vides cenas nostri*, inquit, *quales sunt nempe in vtilitatem asumar, & non insubrietatem venturus si vertuntur*. S. Bonau. cap. 11. de vita S. Francisci tradit. eum in mensa militem conuiuij prębitorem ad peccata per confessionem expianda in ea ipsa conuiuij domo induxisse. At quæres speciatim rationem, & modum quem serues in conuersando cum multiplici hominum genere, quod est alterum nostræ propositionis caput, vt omnibus sis fructuosus: Respondeo, cum varia sint genera hominum, varijq; illorum status, non posse tradi certam regulam, tamen capita quædam attringam, quæ sicut communia sunt omnibus, ita etiam necessaria sunt, vt in vsum inducantur.

Ep. 2. ad Nepot.

Theoph. Luc. 14.

Primum est, in his familiaribus colloquijs, si prudens sit Sacerdos, magnã inesse commoditatẽ profectus spiritualis illorum, quibus cum conuersatur, nam prudens piscator animarum totum sermonem illis aptat, & accômodat, deuenit ad propria, inculcat magis necessaria, dat ei facultatẽ libere aperiendi cor suum, & sincera quadam vrbanitate illum sibi deuincit. Quot animas sancti Deo pepererũt his priuatis colloquijs? Quare Sacerdos bonus hoc animo conuersetur, & colloquatur, non vt fabuletur sed vt spiritualiter lucretur.

Secundũ est, vt sermo instituatur tantum, de re pia, spirituali ac spectante ad æternam salutem.

Tertium est, quod licèt omnibus sit debitor, tamen p'urimũ refert habere rationem personarum, *aliter cum potentibus mundi*, inquit, D. Ambrosius in illa D. Pauli, *sermo tuus in gratia sale sit semper conditus, aliter cum mediocribus, & aliter cum humilibus agendum est. Aliter iterum cum mansuetis,*

In cap. 4. ad Colos.

tis; *aliter cum iracundis, quibus cedi oportet*. Quare conditioni illorum colloquia, & sermones accommodandi sunt.

Si cum diuitibus conuersandum sit, hoc primum obseruet, ne se adeo grauem præbeat, vt tumidum dicant, neq; ita humilem, & familiarem, vt sit apud ipsos contemptui; presertim cum nobiles, & potentes viri soleant Sacerdotum amicitias diligentius captare, vt illis præsto sint ad sua vota; Quare cautè procedendum, ne in aliquos scopulos incidas, si te nimium illis per familiaritatem dederis. Solent etiam Sacerdotum familiaritate delectari vt ipsis, sicut ceteris dominētur: vtrumq; malū, & minimè tolerādū. Quis enim ferat, Pastorem animarum, cuius tanta deberet esse grauitas, & modestia, vt omnes in sui admirationem trahat, penè secundarium rebus famulari, morem gerere, & curam agere. Procul. à ratione est, ex eodem ore, per quod quotidie Christi corpus infertur, quodq; diuinę prædicationi consecratum est, nugas, otiosa, & scurilia verba effluere. Hoc planè Sacerdotem contemptibilem reddit; licet enim seculares illius hilaritatem coram commendare videantur, interius tamen irrident; & contemnunt.

Multo verò minus magnatū amicitia, & familiaritas à sacerdote quærenda est, quasi sub eorū tutela securius delinquere posit: summæ namq; temeritatis (nota) est *cōfidere in principibus, & in filijs hominū, in quibus non est salus*, & confidere in Dei offensionem. Quis nesciat non esse consilium neque virtutem contra Deum; nihilq; in vltum remanere? vsus ipse docuit, Sacerdotem huiusmodi in tempore angustiæ, & tribulationis ab ipsis omni prorsus auxilio derelictum, & destitutū fuisse, vt verè illud ipsi obiectari posit, *Vbi sunt Dij, in quibus confidebas: surgant nunc, & fiant tibi protectores*. Quinimo obseruatum etiam est, hos Sacerdotes, qui potentum obsequia, & fauores anteponunt diuino honori, & Ecclesiasticę, dignitati, non modo aliquid præmij ex huiusmodi obsequijs reportasse, sed ab ipsis postmodū nobilibus derelictos, & aliquando etiam malè vexatos fuisse: eodem prorsus modo, quo qui aliqua scala ad scandendum vtitur, postquam quò volebat peruenit, scalam abijcit: quæ omnia iustissimo Dei iuditio eueniunt, vt per ea Sacerdos puniatur, per quæ peccauit. Deinde Agnoscat Sacerdos, maiora se impetraturum à potentibus, & nobilibus, suam modestè tuendo dignitatem, & indigna postulantibus resistendo, quàm conniuēdo, tantus enim est integritatis splendor, & tanta vis veritatis, vt tandem velint, nolint, perditorum etiam num hominum animos conciliet, cum veritas etiam regibus ipsis præualeat. Postremò, quid Sacerdoti cum diuitibus, quid tanti illorum gratiam facere, si ipsi multa terrarum spatia gloriantur habere, Sacerdos habet Deum in partem, dicitq; *funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi*. Si ipsi areas, & horea redundantia habent, Sacerdos habet claues Regni cælestis, vbi reconditus est verus thesaurus. Si ipsi deniq; nobilitatis, aut dignitatis splēdore fulgent quid secularis dignitas cum Sacerdotali, *si regum fulgori compares Sacerdotem* (inquit D. Ambrosius) *& Principum diademat, hoc erit, ac si plumbi metallum ad auri fulgorem compares*. *De Sacer.*

Cum mercatoribus & negotiatoribus ita suam instituat conuersationē, vt

ego: in laboribus plurimis; in carceribus abundantius in plagis supra modum. Quisnam pater familias vocatum operarium ferat nihil agentem. *Quod si sal euanuerit, in quo salietur*, inquit, Christus, neque dixit; si sal computruerit, aut liquefactum fuerit, sed si vanum, & fatuum fuerit, quia Pastores animarum, non tantùm male agentes, sed fatui, & otiosi damnandi sunt, vt alio in loco illis verbis, idem saluator docuit. *Seruum inutilem proijcite in tenebras exteriores.* Mat. 5. Mat. 25.

Cæterum cum multa sint damna, quæ ex otio, & desidia Pastoris oriuntur, ad tria tamen capita ordinis gratia, reuocabimus. Nam otiositas Sacerdotis primo sibi periculosa est: deinde bonā ipsius existimationē apud populum tollit postremo impedit etiam fructum animarum. Obest primo animæ propriæ non solum, quia tempus inutiliter consumit, adeò preciosum de quo tam exacta ratio reddenda est; sed etiam quia vir otiosus Dæmonum telis, & tentationibus maximè obnoxius est: sicuti enim, (vt egregiè annotauit D. Cyprianus,) hostis Ciuitatem aliquam expugnaturus, eius mænia lustrat acuratissime, antequam instrumenta bellica admoueat, vel cuniculos instruat, & illud præcipuè tempus præstolatur ad aggrediendum, cum milites otiosos, aut somno detentos conspicit, ita Dæmon tūc maximè acrioribus stimulis ad peccandum animam vexat, cū illam, otio aliquo distentam videt. Ostendit hoc satis exemplum Isboset, qui cum Rex esset, tamen tam misere occisus est. Quia, videlicet, ianuæ custodiam fœminæ mandarat, qua insuper dormitante, insidiatores domum ingressi domino vitam ademerunt. De hoc D. Augustinus. *Quem tædet orare, inquit, vel psalere, laborare manibus, non differat, cogitans, quod quamdiu Dauid exercitauit se in militia, non insultauit ei luxuria, sed postquam in domo otiosus remansit laborauit adulterio, & homicidium comisit. Samson, dum cum Philisteis pugnauit, non potuit capi abhostibus, sed post quam dormiuit in sinu fæminæ, & otiosè cum ea remansit, mox capitur, & excecatur ab hostibus. Salomon, dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere, persensit insultum luxuriæ, & deficiens, fæmina instigante ad idola, adorauit in thalamo vitulum aureum. Vigilate ergo fratres, & nolite deficere, quia, nec sanctiores Samsone, nec sapientiores Salomone, uos esse cognosco,* ita cōcludit Augustinus. Quod si huiusmodi casus, & ruinæ omnibus otiosis paratæ sunt, quantò magis otiosis Pastoribus? cùm dicat D. Chrisostomus Dæmones, tamquam piratas, his potissimum nauibus insidiari, quas auro, & præciosis mercibus onustas esse, intelligunt. Serm. de Zelo. 2. Reg. 4. Serm. 15. 2. reg. 11. Iud. 16. 3. Reg. 11. Hom. 4. de verbis Isaiæ.

Deinde otiositas Sacerdotis minuit bonam opinionem, & reuerentiam apud seculares, quia cum otiosus sit, domi se continere non potest, per plateas, & compita discurrit, vagatur per vrbem, vel oppidum, turbæ virorum, & fæminarum promiscue se infert; & quod est grauissimum, per alienas domos circum cursat se curiosum de, illotum negotijs; præbet. Quæ omnia minuunt bonam existimationem, fastidiumq; pariunt secularibus, cum singulis ferè momentis illis versetur ante oculos, ac tandem contemptum pariunt. Et verè Sacerdos vagans qui, nisi magna de causa, in conspectu dopuli sui grauis apparere debet, admirationem semper attulit sanæ mentis cuiq; *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color* Lib. 10. c. 6. Ier.

optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Aurum ob
Hom. 17. scuratum est, vt exponit D. Gregorius, quia vita Sacerdotum quondam per glo-
in Euang. riam virtutum clara, nunc per infimas actiones ostenditur reproba, nos etiam lapides sanctuarij, qui semper esse debemus in Sanctuario Dei, & non foris in extraneis actionibus videri, sed dispersi sunt lapides Sanctuarij, in capite platearum, quia hi, qui per vitam rectam, & oratione intus semper esse debent, per vitam foris vacant, ecce enim iam fere nulla est seculi actio, quam non administrent Sacerdotes. ita Gregorius.

Prouerb. 24. Est etiam populis ipsis exitiosa otiositas Pastoris. Testatur hoc sapiens illis verbis. Per agrum hominis pigri transiui, & ecce totum repleuerant vrtice, & operuerunt faciem eius spinæ, & maceria lapidum destructa est; atq; hinc est, quod D. Bernardus multis in locis, ac præcipue libro secundo de consideratione inferiorum culpas ad desides, & otiosos Pastores referendas esse, censet. Dormientibus enim occulis totum corpus consoporatur; & cum dormirent homines, (inquit Christus) venit inimicus homo, & super se-
Zac.c.10 minauit zizania. Iure Pastores otiosi à Propheta idolis comparantur, quia sicut idola figuram hominis præseferunt, nec tamen hominis actus, & operationes exercent, ita isti nomen habent Pastoris, & vt tales ab omnibus coli, & haberi volunt, digna tamen Pastore agere negligunt. Sed audi diuinas minas. O Pastor, & Idolum derelinquens gregem, gladius supra brachium eius, & super oculum dexterum eius, brachium arriditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Quæ vox, & quæ iustissima pœna, si aliquando à Pastoribus attenderetur profecto non desides, & otiosi locũ occuparent, nec vineam suam siluescere paterentur. Vnde optime D. Am-
Lib.1.c.4 brosius de Caim, & Abel. Apud ignauos nulla sunt insignia virtutis; apud sapientes præmia habentur, studia enim virtutis quadam instrumenta sunt. Itaq; bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus.

Est etiam secundo loco, illa euitanda otiositas, qua Sacerdos à proprij muneris functionibus vacãs, in actionibus se inanibus secularibusq; negotijs occupat; Qua in re multi sane hallucinantur; cum se minime otiosos existimant, dum secularium negotijs dediti huc illucq; cursitantes, vix ad cibum, & somnum capiendum tempus habent. Quis enim arborem illam otiosam non appellet, quæ & si multos fructus ferat, non tamen sui gene-
2.Tim.2. ris, vt otiosa exciditur, & in ignem mittitur? At qui Deo militans non implicat se negotijs secularibus, inquit Paulus & Christus noluit inter duos fratres componere negotium de hæreditate, cum tamen posset alicui videri consentaneum ad pacẽ inter eos cõciliandam, sed repudiauit; cũ dixerit.
Luc. 2. Quis me constituit Iudicẽ, aut diuisorem super vos. Causa autẽ, cur Deo militãs nõ debeat se implicare, negotijs secularibus, est vt ei placeat, cui se proba-
In Luc. c. 12. uit. Alius est finis militiæ spiritualis, & alius tẽporali. Rectè igitur Ambrosius. Celestium rerũ dispensator, cuiusmodi est rector animarũ, si diuinis, se negotijs nõ occupat, sed humanis, si non celestium rerum causas quærit sed terrestium, inutilis profecto, & otiosus dispensator, non vtiq; fidelis est. Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, qui nullum aliud ne-
In lib. de Of. gotium suscipit, & agit, quam illud, quod à Domino suo illi commissum est. Quid nobis cum secularibus negotijs. Cur non illa tempora (inquit idem Ambrosius) quibus

quibus ab ecclesia vacas, lectioni non impendas. Cur non Christum reuisas, Christum colloquaris? Christum audias? illum alloquimur, cùm oramus illum audimus, cùm diuina legimus oracula. Quid nobis cum fabulis, ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum, accepimus, hæc Ambrosius, quo loco non præceptum modo otij fugiendi sed etiam modum tradit. Atq; hac arte, & quidem perantiqua multos Ecclesiæ operarios deludit Sathan, dum enim eos ad colligendas paleas secularium negotiorum mouet, & numerum quotidie terrenarum occupationum adauget, hoc in illis mali facit, ne Aegyptum per amorem, & conuersationem desserant, sicq; à debitis Deo, & animabus ministerijs auocantur. Quibus illa Domini per Isaiam optimè conueniunt. *Veh filij desertores, vt faceretis consilia, & non ex me, & ordiretis telã, & non per spiritum meum.* At quis est, qui gloriari verè queat, se, nihil detrimenti capere in tractandis negotijs secularibus, cum insumatur frustra tempus, quod pro sua salute impendi deberet, & postea varijs tentationibus agitatur, cũ omne agens in agendo patiatur à paciente, scribit maximus Philosophorum, quæ doctrina verissima reperitur etiam, cùm negotia suscipimus studio cæteros adiuuandi nisi prudentes simus sicut à B. Dauid Fratre Antiquo Ordinis Minorum Obseruatum est. *Sæpè experti sumus tam in nobis, quàm in alijs, quod frequens exitus, & conuersatio cum sæculo, & occupatio nimia negotiorum exteriorum; deuotionem mentis extinguit, feruorem spiritus tepefacit, fortè propositum virtutis emollit, cor dissoluit, studium proficiendi debilitat, delicias docet amare, tempus sine fructu expendere; verba otiosa multiplicare, iocis, & trufis intendere, orationes prætermittere, horas canonicas negligere, & tædiose cursum ducere.*

Is. c. 30.

Ar. lib. 4. de Gen. animi c. 3

Formulæ nouit. c. 34.

Vt autem vtrumq; otiositatis genus facilius euitetur, seruandum est optimum D. Hieronymi præceptum, vt scilicet; ita negotia sua, & occupationes ordinet, & disponat, vt Diabolus in re aliqua bona, & vtili, eum semper inueniat occupatum. Quare necessarium omnino erit, certas horas primo meditationi, tum studio Sacræ Scripturæ, tum functionibus proprij muneris assignare. Quæ si forte non sufficiant, vt tempus illud, quod à spiritualibus exercitijs superest, totum non teratur, vt est in villis, & pagis, manuale aliquod opus in quo honeste exerceatur, valde Suademus; nimirum horti sui areolas æquolimite diuidere, plantas per ordinem ponere, inserere arbores, & alia huiusmodi honesta laboris exercitia, quæ Sacerdotali dignitati minime repugnare Paulus suo proposito exemplo docuit, qui, licèt potestatem haberet de euangelio viuendi, laborabat tamen manibus proprijs, ne aliquem grauaret, & patres acerimi hostes otiositatis, & seruauerunt, & alijs hæc eadem exercitia imperarunt: ob innumeras vtilitates, quæ inde emanant; per hæc enim Sacerdos occupatur, corpus aliquantulum atteritur, ne insurgat, spiritus propterea inualescit, & roboratur, multa ad peccandũ scandala euitantur, quæ otiosus Sacerdos in vicis suæ Parœciæ lustrandis, vel in superfluis collocutionibus vix declinare valet. Facit ad rem. Quod Cassianus lib. 10. de institutis renun. cap. 24. his verbis scribit. *Abbas Paulus probatissimus Patrum, cùm in eremo vastiore consistens, palmarum fructibus, & horto modico securus,*

haberet sufficientem alimoniæ suæ, vitusq; substantiam, nec posset aliquid aliud, vnde sustentaretur, operis exercere, eo quod ab oppidis vel habitabili terra septem mansionibus, vel eo amplius deserti illius separaretur habitatio, plusq; expeteretur pro mercede vecturæ, quàm valere posset pretium operis desudati, collectis palmarum folijs, quotidianum pensum velut exinde sustentandus, vitandi otij gratia, à semetipso iugiter exigebat. Cumq opere totius anni antrum eius fuisset impletum, id quod sollicita cura laborauerat, singulis annis igne supposito concremabat, in tantum probans sine opere manuum nec in loco posse religiosum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere. Nec deest etiam ingens animi, & corporis voluptas, quia fructus colligere, quos ipse, vel gemmis, vel surculis inseruerit maximæ iucunditatis, & suauitatis est.

Sacræ scripturæ studio deditus sit Animarum Rector. Cap. IX.



In quæstionibus ex vtroq; testam. Porrò ad tam perniciosam animi desidiam euitandam, non mediocriter Pastori conducet diligens diuinarum scripturarum studium: *Tale est ingenium naturæ nostræ* (inquit Augustinus) *vt torpescat, si vsus destiterit lectionis, quia sicut ferrum, nisi vsum fuerit, aruginem generat, ita & anima, nisi frequentius diuinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata. Inde est, quod in Psalmis, huuc dicit beatum, qui die, nocteq; legem Domini meditatur.* Et eò quidem magis, quo Sacrarum scripturarum scientia Principem locum tenere apud Prælatum debet, vt idem asserit:

Tom. 2. paran. 4. Idq; præsertim, si ea attendantur, quæ Magnus Gregorius de hoc ipso argumento copiosè disserit, vbi tria videtur potissimum indicare, ex quibus, tota necessitatis ratio apertissimè meo quidem inditio conuincitur. Libenter autem tanti Pontificis sententiam, & doctrinam vsurpo, tùm quia nullus est, qui tam propriè Pastorem animarum suis coloribus, & numeris absolutum expresserit, sicut Gregorius, tum etiam quia si eius ingenium spectemus, nihil acutius, si doctrinam nihil eruditius si virtutes, nihil sanctius, si denique dignitatem, nihil sublimius in Ecclesia Dei excogitari potest. *2. p. Past. cap. 11. pri. Timo. 4.*

Commendat itaq; primo Sacræ scripturæ studium in Rectore animarum ex insita ei mira iucunditate, & suauitate. *Ducitur,* inquit, *Sacerdos ad vetustatem vitæ per societatem secularium, & valdè inter humana verba cor defluit: Cumq; indubitanter constet, quod externis occupationum tumultibus impulsus à semetipso corruat, studere incessabiliter debet, vt per eruditionis studium resurgat. Hinc est enim, quod Prælatum gregi, discipulum Paulus admonet, dicens: dum venio, attende lectioni.* Hæc Gregorius.

Versatur quippè Sacerdos quotidiè cum varijs hominum generibus, diuersa tractat, & varia ingenia regit, & vix fieri potest ob humanam fragilitatem, quin ijs rebus tangatur, & afficiatur, quæ sensui magis coniunctæ sunt; quò fit, vt deuotionis feruor langueat, & minuatur gustus rerum spiritualium: ergo restaurandæ sunt vires spiritus, ne senescat, & apponenda

da sunt fercula suauiora, vt ijs recreata mens sacerdotis gustum rerum terrenarum fastidiat, & robur assumat. Hoc verò egregiè præstat Sacrorum eloquiorum lectio, quia dum intellectum exercet, eundem oblectat, affectum excitat, & si ob teporem, quodam quasi senio confectus sit, protinus reficit, renouatq; satis id probat Eunuchi Candacis Reginæ exemplum dùm Isaiam Prophetam legebat, qui sic à Deo illuminatus fuit, vt gratiã Baptismi meruerit, & D. Augustini factum, qui (vt testatur de se ipso) ex lectione vnius clausulæ codicis Apostolorum tantum lumen à Deo accepit, vt huic vni suæ conuersionis quasi principium assignare videatur. Audiatur ipse. *Post auditam vocem de vicina domo, cum cantu dicentem, tolle, & lege, tolle, & lege, concitus ipse redij ad eum locum, vbi sedebat Alipius; ibi enim posueram codicem Apostoli, cùm inde surexeram, arripui, aperui, & legi in silentio Capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei. Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum. Nec vltra volui legere; nec opus erat, statim quippe cum fine huius sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ defugierunt.* Possent, & alia similia multa referri, quæ si operata est in nundum sacro fonte renatis, sacræ scripturæ lectio; quid operabitur in Sacerdote, & Curatore animarum? Rectè Dauid *eloquium Domini ignitum, & dulce faucibus*, vocat. Hanc ob causam D. Hieronymus Rusticum Monacum instituens, & ante omnia hoc studium proponens, sacras literas pomario comparat. Inter hos amænissimos hortos Sacerdos spatiari debet, suauia hæc poma decerpere, & dulcedine fructuũ languentem spiritum ad cœlestia attollere studeat. Certè Dominus, cùm ad prædicandum Ezechielem mitteret. *Comede* (ait) *volumen istud, & comedi* (subiunxit Propheta) *& factum est in ore meo, sicut mel dulce*. Confirmat secundo Gregorius hoc idem argumentum Dominico præcepto, qui Moysi dixit, *Facies quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos; faciesq; vectes de lignis Sethim, & operies auro, inducesq; per circulos, qui sunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec vmquam extrahentur ab eis. Quid per arcam, nisi Sancta Ecclesia figuratur* (inquit Gregorius) *cui quatuor circuli aurei, per quatuor angulos iubentur adiungi, quia in eo, quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, procul dubio quatuor S. Euangelij libris accincta prædicatur, vectesq; de lignis Sethim fiunt, quia fortes, perseuerantesque doctores, velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, Sanctæ Ecclesiæ vnitatem denuntient, & quasi intromissis circulis, arcam portent, qui semper in circulis erunt, nec vmquam extrahantur ab eis. Quia nimirum necesse est, vt qui ad offitium prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant*. Quo loco ita necessarium existimat Gregorius Prælato animarum, studium Sacræ Scripturæ, vt nihil aliud illi debeat esse ita familiare. Cùm perspicuum sit, ipsum esse tamquam Dei instrumentum ad benefitium animarũ, non solùm per Sacramentorum administrationem, sed etiam per ministerium verbi diuini Quid autem est in vtroq; munere dignè gerendo, quod Sacræ scripturæ studio & luce, siue ad erudiendum populum, siue ad fidei misteria euulganda, siue ad informandos animos non indigeat? Cũ *omnis scriptura* (teste Apostolo) *diuinitus inspirata, vtilis*

Lib. 8. confess. c. 12.

Rom. c. 13.

Ps. 18.

Ep. ad Rusticum

Ezech. 2.

Mor.

1. ad Tit. 3. *vtilis sit, ad docendum, ad arguendum; ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Et quamuis multis alijs scientijs sit optimè munitus Sacerdos, si tamen hac vna careat, dextero oculo captus putandus est. Imo dignus, qui à Sacerdotio repellatur. *Quia tu scientiã repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Quo circa Deus Leuitas à reliqui populi; turba separauit, vt sacræ legis studio magis intenti, prius illo discerent, quod postea rudi populo anunciarent; & Paulus Thimoteum Discipulum hortatur, vt non recuset munus prædicationis, causam addens, *quia ab infantia Sacras litteras nouerat* quæ illum poterant instruere ad salutem. Additq; D. Chrisostomus. *Si quid dicitur absq; scriptura, auditorum cogitatio claudicat; nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem, vt friuolum auersans, interdum, vt probabilem recipiens; verùm, vbi ex scriptura diuinæ vocis prodijt testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat,* ò quàm magni, & vberes fructus ex prædicatione colligerentur, si Rectores animarum spiritum, & scientiã ad populos tùm arguendos, tùm informandos, ex hoc cælesti, & perreni fonte haurirent? Fulguri corruscanti comparantur, qui diuinum verbum annunciant, *quia prius in seipsis ignescere debent,* inquit D. Gregorius, *& postea magno charitatis impetu, quæ fuerint contemplati ad anunciandum proximis descendant.* At multi sunt, qui, verò fonte relicto, riuulos consectantur vanitatis, & curiositatis, de quibus sic Deus per Ezechielem. *Veh Pastoribus insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, vident vana, & diuinant mendacium.* An non sequitur spiritum suum, qui à libris vanis, atq; prophanis, populo dicenda petit, & sacra volumina, & Patrum commentationes præter mittit: ex quo sequitur, vt diuinent mendacium, nam vitia non corrigunt, peccantes non arguunt, scandala non tollunt, non stant denique pro veritate. *Propterea hæc dicit Dominus Deus Prophetis insipientibus, quia locuti estis vana, & vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, eo quod deceperint populum meum, dicentes pax, & non est pax. Legimus,* inquit Rabanus de S. Hieronymo, *dum legeret libros Ciceronis; ab Angelo fuisse correptũ, quia non decebat virum Christianum figmentis, Ethnicorum vacare.* Quare ascendat in montem, qui euangelizat Sion, non vero serpat humi, vana scilicet, & inutilia hominum inuenta consectans, si sibi, cæterisq; prodesse, cupit;

Osee 4. — Num. 8. — 2. thimot. 3. — In Psal. 95. — Hom. 5. in Ezech. — Ezech. 13 — Ezech. 13 — Ne Pres. Eccl dist. 37.

Addit tertio loco Gregorius, quod in hac re maximi quoq; ponderis, ac momenti est. *Ideo huic lectioni diligenter incumbere debent, vt semper in cordibus suis sacra eloquia meditantes, testamenti arcam sine mora eleuent, si quidquid necessè est, protinus doceant; vnde benè primus Ecclesiæ Pastor cæteros Pastores admonet dicens. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vob s est spe,* ita Gregorius. Retrusa namq; & recondita sunt nostræ fidei mysteria, quæ, cùm superent captum nostrum, non ita facile capiuntur ab omnibus, sed necesse est, aliquos esse, qui maiori præditi scientia, hæc eadem euoluere, & rudibus explicare queant, ad quos tamquam ad certum diuinæ voluntatis oraculum de sua salute confugere possint. Hi autem sunt Sacerdotes, & animarũ curatores, qui, tamquam lucerna, positi super candelabrum, lucere debent omnibus, qui in domo sunt, *labia*

quip-

quippe Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Sed quomodo hæc omnia prestare poterit sine studio sacrarum litterarum, in quibus tamquam in præcioso Thesauro omnia recunduntur, quæ ad docendum populum necessaria sunt. *Homo enim* teste D. Augustino, *tanto magis, vel minus proficit, quanto in scripturis Sacris magis, minusue profecerit, non dico in ijs multum legendis, memoriæq; mandandis, sed diligenter earum sensibus indagandis; sunt enim, qui eas legunt, & negligunt, legunt, vt teneant, negligunt, vt intelligant. Quibus longe præferendi sunt, qui verba earum minus tenent, & cor earum sui cordis oculis vident, sed vtrisq; ille melior, qui & cum volet, eas dicit, & sicut oportet, intelligit.* Quamobrem sicut artifex in ea lectione, & studio quotidie versatur, in quo regula, & modus artis suæ rite exercendæ præscribitur, habetq; in ea præcipua quædam instrumenta magis suæ artis propria, ita Pastoralis muneris instrumenta sunt libri, & in primis sacra scriptura; propterea D. Hieronymus Nepotiano consuluit, vt numquam è manibus hæc sacra volumina deponeret. *Malac.2.* *Lib.4.de Doc.Ch.*

Porrigit etiam studium Sacræ Scripturæ multa alia adiumenta. Primo enim excitat, & semper ad meliora trahit. Magnam cognitionem creat in nobis, cùm Dei, rerumq; cælestium, tùm potissimùm nostri, quam ob causam sacra Scriptura Dei speculo comparatur à D. Gregorio. Auget etiam bona desideria, studium virtutum, conatum in bonis operibus, dilatat deniq; charitatē, & similia multa. Hinc S. Ephrem orationē, & lectionem duo vbera esse docet spiritualia, quibus alitur spiritus in Religioso. *2. Mor.8.* *Tit.2.parān.4.*

Modus autem proficiendi in studio Sacræ scripturæ, optimus erit, si in primis, hoc sibi statuat Sacerdos commune prouerbiū, quod de vnaquaq; scientia dicitur: quod vna lectio non facit doctorem hic præcipuè valere, quia Sacræ Scripturæ cognitio, nisi magno, & assiduo studio comparari potest. *Super omnes intellexi, quia mandata tua exquisiui;* & causam adiungit *quia lex tua tota die meditatio mea est.* Assiduus ergo sit in hac lectione Sacerdos, neque contentus sit, semel, atq; iterum legisse, atq; instar cœci forinsecus palpasse, sed crebrius, imò quotidie hoc volumen versandum est, & latens in eo thesaurus intimè effodiendus, & sicut qui metalla eruunt, ne minima quidem frustula contemnunt, sed meatus omnes accuratius inuestigant, sic nihil in sacra Scriptura, sine consideratione prætereundū est, ideo enim Ezechieli præceptum fuit, vt volumen appositum comederet, quia quod dentibus teritur, optime degustatur. *Ps.118.*

Intelligat etiam vltra proprium studium, & laborem, ante omnia cæleste lumen desuper requiri, sine quo hic liber inuolutus, & signatus sigillis septem nullo modo aperiri potest Dauidem imitetur, qui antequam ad sacram lectionem accederet, diuinam opem implorabat. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Certum est Spiritus Sancti axioma. *Vbi est humilitas, ibi est sapientia.* Et quod caput est, in hunc finem studium dirigat, vt ipse prius spiritualiter ædificetur, tum vero vt alios quoq; instruat & ædificet. Pulcherrima sunt in hunc sensum verba D. Hieronymi. *In ore, illorum prædicatio dulcis est audientibus, qui e propria vita sumunt, quod per linguā proximis conferant, in ore eius scriptura suauis est ad loquendum, cui prius impressa ad bene viuendum fuerit.* *Ps.118.* *Prou.11.* *Hom.in Ezech.*

De

De bona opinione apud populum quærenda, & conseruanda per vitæ sanctitatem.

Cap. X.



PRæter hanc tam necessariam circumspectionem, in conuersando, omni etiam cura inuigilandum est, vt reliquæ eius actiones, & verba nisi bonum sanctitatis, & pietatis odorem apud omnes redoleant: maximum enim pondus habet ad persuadendum bona fama, & existimatio; & facilè eis fidem habemus, quos tamquam pios, & probos veneramur; sicut experientia ipsa manifestat. Et quamuis bonam conscientiam apud Deum nos habere oporteat, tamen, & apud homines famam optimam custodire conuenit, vt iuxta præceptum Apostolicum, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus testimonium vitæ sanctæ habeamus, vt optimè monuit Augustinus, *Nolo*, inquit, *vt aliquis de vobis inueniat male viuendi occasionem. Prouidemus enim bona (vt ait Apostolus) non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Propter nos conscientia nostra necessaria nobis est. propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Duæ res sunt, conscientia, & fama; conscientia necessaria est tibi: fama proximo tuo; Qui confidens conscientiæ negligit famam, crudelis est.* Seret autem Sacerdos bonam opinionem in cordibus subditorum, si nulli scandalum, aut offensionem ad malum inijciat cunctis potius virtutis, & sanctitatis exemplum exhibens: si enim omnibus hoc conuenit, cùm dicat Apostolus; *Vnusquisque vestrum placeat proximo suo in bonum ad ædificationem*; multo magis ab eo requiritur, qui inter alios eminet, tamquam regula, & exemplar sanctitatis. Ideo D. Gregorius. *Nullum puto*, ait *fratres carissimi, maius præiuditium ab alijs, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correptionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.* Sed & Marcus Tullius, *Vitia non solum ipsi Principes concipiunt, sed etiam in Ciuitatem infundunt, plusq; exemplo, quàm peccato nocent.* Verùm appositè magis in nostram sententiã D. Augustinus. *Omnis, qui malè viuit in conspectu illorum, quibus præpositus est, quantum in ipso est, illos occidit, & fortè qui imitatur, moritur, & qui non imitatur viuit, & tamen quantum in ipso est, vtrumq; occidit.* Quod & illa D. Gregorij confirmant: *Scire*, inquit, *Prælati debent, quod si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot subditos ad perditionis exempla transmittunt. Vnde necessè est, vt tantò se cautiùs à culpa custodiant, quanto per praua, quæ faciunt, non soli moriuntur.* Et alibi, *Quanto mundus gladio feriatur, aspicitis, quibus quotidiè percussionibus intereat populus, videtis, cuius hoc nisi Sacerdotum peccato agitur. Nos perennti populo auctores mortis existimus, qui esse debemus Duces ad vitam, ex nostro peccato populi turba prostrata est*, & alibi ruinam populi ex culpa Sacerdotum maximè pendere, asseruit. Demonstrat hoc idem D. Ambrosius corporis similitudine: *Sicut in corporalibus morbis capite vitiato, necessè est, reliquum corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari; ita & bi,*

Rom. 12. *2. Corint. 8.* *De communi uita cleric.* *Rom. 15.* *Hom. 17. in Euang.* *Lib. 3. de leg.* *Lib. de Past.* *In 2. P. Past c. 3.* *Hom 17. in Euan.* *Hom. 39. in Euang.* *De dig. Sacr. c 5.*

hi, qui caput videntur esse in Ecclesia, morbo suo fraternum vitiant corpus, vt nihil ex totius corporis compage insauciatum possit euadere, quod negligentium Sacerdotum vitiositas non infecerit: vnde populum videmus nugacem, & indoctum, eo quod tales habeat Sacerdotes.

Cur autem tantum possit malum Præfecti exemplum in subuertendis subditorum animis, causæ plures afferri possunt. Naturalis nempè propensio subditi ad imitandum superiorem. *Ita*, inquit D. Isidorus Pelusiota, *natura comparatum est, vt ad eius, qui praeest, similitudinem, ij qui parent, se se effingant*, Auget hanc naturæ propensionem eiusdem ad malum potius, quàm ad bonum procliuitas, qua faciliùs ad consectanda vitia, quàm ad virtutes imitandas, quasi nolentes trahimur. Exploratum id habuit Gregorius Nazianzenus, cùm ait; *Neque vel indelebilem tincturam pannus, vel fœtidum, aut suauem odorem res admota, ita facilè contrahunt, vel exitialis quidã vapor in aerem diffunditur, ac per aerem animantia occupat, quàm subditi Antistitis improbitate celerrimè impleri solent, & quidem multo facilius, quàm virtute.* Aliam causam adiungit Gregorius Magnus. *Quia superioris facta, tacitæ leges, ac praecepta à subditis existimantur; cũ Pastor per abrupta graditur, cõsequens est, vt grex ad praecipitium sequatur, & qui labenti innititur, necesse est, vt cum labente pariter labatur; persuadent enim sibi subditi, id eis in primùm licere, quod à suis Pastoribus fieri palam conspiciunt, & audentius idem perpetrant, ex quo superioris culpa redditur maior.* Quam ob causam D. Chrisostomus Sacerdotum peccata, non tantum ipsis, sed alijs etiam esse perniciosa, affirmat; nam vulgarium hominum delicta, velut in tenebris commissa, auctores suos solum perdunt, cæterum hominis illustris, ac vulgo cogniti peccatum commune omnibus damnum affert. Si quidem, vt ait idemmet Gregorius: *Delinquentem superiorem nemo reprahendere præsumit; tunc autem in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.* Sicut ergo si inferiora astra eclipsim paterentur, non idcircò stellæ omnes lumen suum amitterent; attamen, si sol ipse, qui princeps omnium astrorum est, suam amitteret lucem, reliquę omnes stellæ obscuritatem paterentur; sic eorum defectus, qui in Republica præsunt, in vniuersalem subditorum perniciem cedunt. Certum autem est, tantam debere esse Sacerdotis integritatem, vt illius nitorem non tantum maculet ipsa peccati labes, sed omnis etiam probabilis peccati suspicio: quia authoritas illorum, qui cæteris præsunt, non tantum facti veritate, sed etiam fama nititur, & aliquando in Rectore animarum vnius peccati suspicio peior est vitio latente, propter aliorum offensionem, & scandalum. Qua propter tantam circumspectionẽ sancti adhibuerunt vt se etiam à licitis abstinerent. Quo sensu dicebat Paulus. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, & omnia sustinemus ne quod offendiculum demus euangelio Christi.* Et aliquando veritus idem Apostolus, ne turci suspicio immerito apud discipulos oriretur, alios in administrationem pecuniarum assumpsit, vt eã à se depelleret. Vnde Titum Discipulum monebat his verbis *omnibus temetipsum prabè exemplum bonorum operum, in doctrina verbum sanum, & irreprehensibile, vt is, qui ex aduerso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis:* talis etenim esse debet vita Pastoris, vt de eo illud idem dici posit, quod

Lib. 2. ep. 109.

Apost. 1. n. 22.

1. parte Past. c. 21.

Lib. 3. de Sacer.

1. parte Past. c. 2.

1. Corint. 8.

Ad Tit.

de sole Pythagoras dicere solebat, *Aduersus solem ne loquaris, quis enim eius lucem, & splendorem arguat?* nihil sole splendidius; & ideò Sacerdotis tunicam hyacinthinam esse volebat Deus, coloris scilicet cęli, vt hoc ipso innueret, vitam Sacerdotis cœlestem esse debere.

Leu. 8.

Neq; hoc etiam satis sit Rectori animarum sed omne adhuc virtutis exẽplum ab eo expectatur, ex Saluatoris nostri præcepto. *Sic luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in Cęlis est.* Nolo vos tantùm in occulto benè operari, sed etiã in conspectu aliorum, non vt inaniter opera vestra bona ostenteris, sed, vt vestro exemplo cœteri ad virtutem trahantur; alijs siquidem, tanquam imperfectis imperat Deus, ne iustitiam suam faciant coram hominibus, vt videantur ab eis, quia priuato vero satis est, si suam salutem curet; illis verò, qui duces aliorum constituti sunt, opus est, vt se, & alios pariter saluent, & in bonum ædificent; ideò: *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum.* Hoc est, (vt eleganter exposuit auctor Comẽtarij in Mathęum) *Sic illuminate, Sic docete, non vt verba vestra tantummodo audiant homines, sed vt opera vestra bona videant, vt quos illuminaueritis per verbũ, quasi lux, condiatis per exempla operum vestrorum, quasi sal, quoniam qui docet, & facit, quod docet, verè ille docet: qui autem non facit, quod docet, non alium docet, sed se ipsum condemnat: & melius est facere, & non docere, quam docere, & non facere, quoniam qui facit, & si tacueris, aliquos corrigit exemplo suo, qui autem docet, & non facit, non solum neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat.* Idem ferè docuit Theophylactus in illa Domini verba: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Demus*, inquit, *operam; vt virtute simus præditi duas habentes lucernas ardentes, & sermonem internum, & externum quem pronunciamus exterius, nobis solis lucere, & ardere satis non est, Ego enim, inquit Christus, vos elegi, vt eatis, & fructum afferatis. Exterius lucere, & ardere etiam opus est.* Idipsum quoq; insinuat Gregorius illis verbis. *Lux gregis flamma est Pastoris, decet enim Pastorem, decet Dominicum Sacerdotẽ moribus, & vita clarescere, quatenus in eò, tamquam in speculo vitæ suæ plebs commissa, & eligere, quod sequatur, & videre possit, quod corrigat.* Maior autẽ vis ad spiritualiter proficiendum in populis inest in bona vita Pastoris, quam in quacumq; dicendi facundia, & virtute. *Etenim validiora sunt exẽpla, quàm verba*, (inquit Leo Papa) *& plenius opere docemur, quàm voce*, & D. Chrisostomus ait: *Omni tuba clariora sunt documenta operum, & multo certior, & fidelior est doctrina operum, quàm sermonum.* Imò, si voce tantùm, & ore loquatur Sacerdos, præsertim, cùm de reformatione morum agitur, ob naturæ nostræ infirmitatem solent nimis ardua, & difficilia plerumq; videri, quæ dicit: cum sciatur, quàm facilis sit lingua ad docendum, brenis autem manus ad operandum; & si viderit populus ea, quæ sibi à suo Sacerdote dicuntur, in ipso per operationem expressa, tunc omnis difficultatis, & asperitatis vmbra euanescit; vnde Theophylactus. *Quando*, inquit, *qui docet, non solum docet, sed etiam operatur, videtur simul cum ijs, qui docentur, laborare, & operari.* Huius rei causam assignat Seneca. Quia homines magis oculis credunt, quàm auribus. Quin etiam Sacerdos, qui nullam metuit reprehensionem à subditis ob vitæ suæ honestatem liberius, ac diligentius

Mat. 5.
Hom. 10. in Math
Luc. 12.
Lib. 3. ep. Ep. 32.
Serm. de ieiunio.
In Mat. 23.
Ep. 6.

gentius cum illis agit, vitia corrigit, & illorum peccata damnat: *Iudicet ille de alterius errore, qui non habet, quod in se condemnet*, dixit Ambrosius. *Et non potest authoritatem habere sermo*, inquit Cassiodorus, *qui non iuuatur exemplo: cum iniquum sit bona præcipere, & talia non fecisse*. Hanc inter cæteras laudes D. Hieronymus Origeni tribuit, vt auctor est Eusebius. Quod quale haberet verbum, talem haberet, & vitam.

Ser. 20 in Ps. 118. Lib. 11. var c. 8. Hist. eccl. lib. 6. 3.

Danda igitur opera est, vt magis vitæ exemplo, quàm verbis populus ad salutem instruatur, vt Sacerdos dicere possit cum Paulo. *Quæ audistis, & vidistis in me, Hæc agite. Ambulate, sicut habetis formam nostram.* Et tales profectò desiderandi sunt, qui alijs præficiantur. *Eligamus eos*, inquit Seneca, *non qui magna velocitate verba præcipitant, sed eos, qui vita docent, qui cũ dicunt, quid faciendum sit, probant faciendo, qui docent, quid vitandum sit, nec in eo, quod fugiendum dixerint deprahendatur, cum elige Doctorem, quem magis admireris, cum videris quam cùm audieris*. Sed audiamus tandem, quæ à sanctis Patribus in Tridentina Synodo in hanc sententiam monita fuerint. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quam eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conijciunt, & ex eis sumunt, quod imitentur. Quapropter, sic decet omnino clericos in Domini sortem vocatos, vitam, moresq; suos componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsq; rebus omnibus, nihil, nisi graue, moderatum, ac religione plenum præseferant.*

Ad Filip. 4. Ep. 53. Sessione 22. cap. 1. de refor.

At verò hæc bona fama, & existimatio, de qua loquimur, nisi solida, & vera virtute comparatur; nã sicut ex putri, non nisi fœtor, ita ex virtute, vbicumq; sit, nisi bonus odor exhalat. *Gloria, & honor, & pax* (inquit Apostolus) *omni operanti bonum*. & si quis neglecta interna, & vera cordis iustitia; in externa tantum facie sanctitatis elaborat, vt bonam opinionem apud rude vulgus conciliet, aut inani ostentatione, aut simulatione virtutis, se fulcire pro se sperat, aut ita vitia sua tegere, vt in lucem non prodeant, vehementer errat. Quid enim prodest, si tamquam pius, & innocens ab imperitis iudiceris, reus verò & iniquus à verò Iudice condemneris? Dei imprimis iuditium, & approbatio sanctitatis expectanda est, vt dicebat Paulus. *Parum est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, qui autem me iudicat, Dominus est*, Præterea manifestum cuiq; est, quodcumque fictum, & simulatum diuturnum esse non posse, nec latere diu. Falsus denarius exterius tantum deauratus, si frequentius contrectetur, & exerceatur facilè adulterinus apparet; ita prorsus ficta, & simulata sanctitas, se ipsam prodat, necesse est; & vitium sub pallio virtutis longiori tempore, nequit delitescere. Nolo igitur artem pictoris imitetur Sacerdos; hic enim, cùm interiora exprimere nequeat, faciem tantum, & exteriora effingit; sed potius naturam ipsam, quæ vt est optima rerum opifex à corde in generandis animalibus suum opus incipit, sic pariter de interiori sanctitate sit illi prima cura; quia qualis erit ordo in interna horologij parte, talis erit in exteriori sonus, & index. Itaq; *Beatus est*, vt concludamus cum D. Hieronimo, *qui tam sanctè, tamq; grauiter disponit vitam suam, vt de eo, ne sinistrè quidem aliquid fingi possit, dum aduersus obtrectatorum libidinem*

Ad Philip. 2. Ep ad celans.

pugnat meriti magnitudo, nec fingere quisquam ausus est, quod à nullo putat esse credendum, Quod si id assequi difficilè, atq; nimis arduũ est, saltem hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malę mentes occasionẽ inueniant detrahendi: Ne ex nobis scintilla procedat, per quã aduersus nos sinistræ famæ flamma confletur. Alioquin frustra irascimur obtrectatoribus nostris, si ijs ipsis obtrectandi materiam ministrauimus. Si autem nobis diligenter, atq; solicitè omnia ad honestatem prouidentibus cunctisq; actibus nostris timorem Dei præferentibus, illi nihilominus insaniũt, consoletur nos conscientia nostra, quæ tunc maximè tuta est, tunc optimè secura cũ nec occasionem quidem malè de se sentiendi dedit, hucusq; Hieronymus. Et D. *2. ad Timot. 1.* Paulus sic Timotheum discipulum monuerat. *Solicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.*

De modestia seruanda in vestitu. *Cap. XI.*



IN externo etiam corporis cultu, eam modestiam seruet, quæ suæ dignitati respondeat, & proximũ ædificet. Quidquid enim à Sacerdote proficiscitur, vel circa illud est, ita debet esse ordinatum, & compositum, vt nisi humilitatẽ, sanctitatem, & seculi contemptum indicet. Et incredibile est, quantopere Sacerdotem, apud populum commẽdet humilis sed grauis, & modestus vestitus ne in vestitu sit nimis exquisitus. Quare caueat, quod est vnum extremum fugiendum, ne uè nimis neglectus, quod est alterum vitãdum sed eo habitu incedat, qui vti proprius, & singularis ob personam quam profitetur, illi præscriptus fuit.

Cæterum, vt primum extremum fugiat, proderit si consideret in hac nimis accurata, & exquisita cura, & vsu vestium in esse peccatum, nec meo quidem iuditio leue, datur siquidem Sacerdoti, vt de Ecclesiæ redditibus victum, & vestitum habeat, at non, vt vanitatem, vel muliebrem luxum sectetur, & quærat, sed vt honestam, & necessariam vestem induat: si enim in laicis hominibus huiusmodi luxum, & vanitatem in vestibus ita damnamus, vt peccatum etiam esse, merito asseramus, quia inquit D. Gregorius. *Hom. 40. in Euãg.* *Sũt nonnulli qui cultum subtilium, & preciosarum vestium non putant esse peccatũ: quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei, tam vigilanter exprimeret, quod diues, qui torquebatur apud inferos, bysso, & purpura indutus fuisset.* Quid de Sacerdotis nimis exquisito corporis cultu dicendum erit? in quo præter communem peccati deformitatem, hæc est etiam grauitatis causa accedit, quia, Ecclesiæ, & pauperibus inique subtrahitur, quod in his vanitatibus insumitur: & si in Deuteronomio omnino vetitum erat, ne vir vte- *Deut. 22* retur: veste fœminea, quod non tantum de forma vestis accipiendum est, quam de more, vt non ita delicate, & molliter, sicut fœminæ vestes indueret: multò magis cautum esse deberet Sacerdoti, more laicorum in vestitu delitias, & vanitatem sectari.

Addit D. Bernardus hunc vsum tam exquisitum, & affectatum vestium, mollitiem quandam animi, & deformitatem apertè indicare, *Mollia* (inquit

quit ille) *indumenta animi molliciem apertè indicant, non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus*, quod, nec D. Chrisost. latuit. *Hoc studium in ornando corpore internam deformitatem indicat, & huius delitiæ, illius manifestam faciunt famem, & huius vestium sumptus illius indicat nuditatem*, & alio in loco in illud Apostoli. *Nemo militans Deo &c. Miles es Spiritualis, talis autē miles, non dormis in lecto eburneo, sed humi. Non oblinitur vnguentis. Nam ista cura est meretritijs amoribus implicatorum, ac perditorum scænicorum, mentisq; deploratæ hominum. Te verò non oportet olere vnguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim, ac vestium fragrantia arguit intus latere animum graue olentem, & immundum.* Et re vera aliud inferri nequit, si enim Sacerdos totus esset, vt esse deberet, in ornatu, & cultu spiritus, & animi; *cum omnis gloria filiæ regis sit ab intus*, sibiq; esset preciosior anima, quàm corpus, vanum corporis cultum profectò negligeret, sciens, quod, sicut mercator preciosa monilia, & gemmas vili capsula contegit, vt eas securius custodiat, & asseruet, ita salus animæ humili, & modesto corporis tegumento tutior conseruatur, & si Sacerdos in sortem Domini vocatus mundo abrenuntiauit, anne in tam accurato vestium studio, & luxu fidelis habendus erit? *Ex cordis thesauro* (inquit D. Bernardus) *procedit sine dubio quidquid foris apparet vitiosum. Vanum cor, vanitatem ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis inditium est.* Et addit insuper hunc luxum, & mollitiem vestium non tantum esse inditium animi effœminati, sed etiam quandam illecebram turpis amoris, & irritamentum concupiscentiæ; quò enim corpus mollius tractatur, magis contra spiritum inualescit, & delitiæ vestiū ignem libidinis magis incendunt.

Adde hanc elaboratam, & affectatam Sacerdotis curam circa externum cultum corporis esse populis ipsis perniciosissimam; dum enim corpus ita molliter tractatur, ad laborem pastoralem minus idoneum efficitur, & dum tempus insumit Sacerdos in vestitu composito, cum illud esset totum pro Dei gloria, & salute animarum ponendum, illud gregi suo surripit, & furatur. Multi præterea grauiter offenduntur dum vident sacerdotem suum ita ornatum, & compositum, nec ad illum liberè accedere præsumunt, hoc enim arrogantiam quandam, & magnam animi elationē arguit, quæ odium parit. itaq; si nihil aliud esset, nisi quod subditorum animi auocantur à suo Sacerdote, & Pastore, sine dubio ab hoc vitio prorsus abstinendū esset, præsertim cùm videamus irrationabilis gregis Pastorē pellibus, & exuuijs, ouiū suarū indutum incedere, vt ēt ex habitu ipso facilius illius vocē agnoscant, & sequātur. Sed formidanda sunt D. Bernardi verba, vbi de huiusmodi loquitur. *Intuere quomodo incedunt nitidi, & ornati, circumamicti varietatibus, & tamquam sponsa procedens de thalamo suo. Vnde verè illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum, aureorum, & argenteorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est, quod illa pauper, inops, & nuda relinquitur facie miseranda, inculta, hispeda, & exangui. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere; non est restituere, sed prosternere, non est pascere gregem, sed mactare, & deuorare.* Hucusq; Bernardus.

In Apolog. Agul.
Hom. 37. in Gen.
Conc. 2. de Lat.
In Apolog. ad Gul.
Serm. 1. in Cant.

nardus. Quę cum ita sint certè his Sacerdotibus idem optãdum est, quod à Vespasiano Imperatore factum narrat Suetonius, cui cum adolescens quidam ob impetratam præfecturam gratias ageret nimis ornatus, & cõptus, odorem fragrans hac grauissima increpatione ab eo dimissus fuit, *Maluissem alium subolenisses*; statimq; literas reuocauit eumq; gradu priuauit. At si in præsenti debitas pœnas non luunt, nõ saltẽ effugient diuinam vltionem, iuxta illud: *Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.*

Suet. in Vesp. c. 8.
Sofonia 1.

Amictus Sacerdotis, & veri pastoris interior quidem esse debet insignis sanctitas, & virtutũ ornatus; exterior verò grauis modestus, & humilis, mollia verò, & preciosa vestimenta, aulicorũ, & fœminarum potius indumenta sunt. Exemplo formidabili Sacerdotibus huiusmodi sit, quod ex lib. de viris illustribus Ord. Cistercienfis refert Io. Maior in suo speculo exemplorũ in verbo *vestimentũ* his verbis. *Certa relatione agnouimus, quia Abbas, quidam in saxonia quoddam cœnobium Cisterciense regens, panno terræ illius vti nequaquam dignabatur: sed pretiosos de Flandria pannos annuatim sibi comparari faciebat. Quo defuncto, cum monachi vestimenta ei us inter se partiventur, prior domus vnam de tunicis eius sibi retinuit, quàm cum quadam solemni nocte quasi pro reuerentia indueret, tanquam si candentibus laminis candentis æris vreretur terribiliter exclamauit, & detestabilem vestem longius à se proiecit. Qua proiecta velut candens ferrum scintillas ex se emittere visa est. Attoniti autem stupore miraculi cæteri, qui de anathemate illo aliquid rapuerant, cum omni velocitate partes singulas in medium proferunt, & in vnum locum componunt scintillis creberimis vndique, quasi de clibano ardenti micantibus. Nec cessauit exitiale prodigium, quousq; vicini Abbates in testimonium tam tremendi Iuditij Dei acciti sunt.*

Alterum extremum, in quo peccare potest Sacerdos est, si nimis sordidus, & neglectus in vestitu appareat: pari enim modo ornatus, & sordes fugiendæ sunt, vt bene Hieronymus ad Nepotianum, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Idem ferè Eustochium monet. *Vestis nec satis munda, nec sordida, & nulla diuersitate notabilis; ne ad te obuiam prætereuntiũ turba consistat, & digito monstreris.* S. Bernardus (vt Auctor eius vitæ refert) facto rem probabat, & facti rationem reddebat. Nam cum scripsisset; in vestibus ei paupertas semper placuit, sordes numquam, nimirum animi fore indices aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut foris gloriam affectantis humanam. Quis non horreat, Sacerdotem sordidum maculosa veste indutum, illuuiosum, sacra tractantem, & sanctis assistentem Altaribus, cuius sordes eò magis offendunt astantium oculos, quò minus latere non possunt. Faciunt in hanc sententiam, quæ in Exodo leguntur: Reus ne scilicet Sacerdotes ad sacrificia accederent, nisi prius manus, pedesq; lauissent. Quam ob causam Iesus Sacerdos sordida veste indutus ab Angelo increpatur, & iubetur vestem commutare, quò se dignum Angelico conspectu constitueret. Nefas erat olim aulam Assueri Regis intrare, sacco, & laceris vestibus induto; pœna mortis proposita. Et in Leuiticis Qui laceras, & dissutas vestes habebat, leprosum se esse indicabat, atq; proinde ab hominum consortio elongabatur. Et licet corporalis munditia Deum, qui purissimus spiritus est, nihil tangat, tamen vult nos, non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter mundos

Ep. 2. ad Nep.
Ep 22. ad Eust.
Gofrid. Ab. lib. 3. c 2.
Ex. 30.
Zach. 3.
Est 4.
Leu. 13.

dos esse quia spiritus mundissimus munditiam diligit. Igitur danda Sacerdoti opera est, ne vel nimis comptus, vel neglectus conspiciatur; multum enim ædificantur populi, cùm vident Sacerdotem suum religiose mundum extersum in corpore, in vestibus, & in rebus omnibus, atq; inde colligunt interiorem conscientiæ nitorem non minus illi esse curæ, quam exteriorem corporis cultum. Tria enim sunt quæ hominis interiora enunciãt. Amictus corporis, risus dentium, & incessus, teste sapiente. *Eccle.19.*

Eam postremo vestis formam gestare non dedignetur Curator (quod tertio loco propositum erat) quam muneri suo, & studio congruam esse intelligitur. Quæ quidam vestis ex vetustissimo vestræ Mediolanensis Ecclesię præsertim instituto, est talaris, & per ampla, quæ ad collum aptè connectitur, cum manicis pariter amplioribus, & caputio quoq; nisi, magnam quandam grauitatem, & huius artis dignitatem præseferre videtur; neq; enim sanè iustam causam inuenio, cur hanc togam deferre ita grauentur, si enim in percipiendis prouentibus, si in sectandis temporalibus lucris; si in ceteris functionibus dignosci, nominari, & esse volunt, & ambiunt Parochi, & Curatores animarum, quare in externo habitu publicè nolunt dignosci, notari, & distingui à ceteris; si alia immutata seruant, cur solam vestem, mutare volunt? quasi alios à seipsis fingentes; quam excusationem pro se afferre possunt; nunquid volentes, & forsan etiam affectantes curam animarum suscèperunt? cur igitur dedignantur insignia tam eximiæ artis gestare? Miles illius gradus, quo insignitur, insignia portare, exultat, omnes ductu rationis naturalis ducimus indecorum coram alijs incedere quempiam, non vestitum eo modo, qui proprius, & accommodatus sit personæ? Et quis non irrideret Senatorem qui sine toga, sed cum pallio breuiori equitis, vel militis more veniret in curiam? & Tertulianus narrat: Quandam Matronam Romæ, quia sine stola in publicũ prodierat, quæ propria erat Matronarum, pœnã stupri dedisse. Noster aũt Curator eam vestem erubescet, quæ illum inter alios Sacerdotes excellere facit, & tamquam spiritualem animarum pastorem indicat? Hunc errorem crediderim in aliquorum animis irrepsisse vel ex magna quadã mentis elatione, quasi verò iuditiũ suum præferre velint iuditio tot grauissimorũ, & religiosissimorũ Sacerdotum, qui hoc genus vestis, & amauerunt, & gestauerũt, & quod maioris cuiusdam temeritatis est, velint etiam improbare, quod antiquisima consuetudine, inueterato vsu semper hucusq; continuatum fuit, quodq; tot Conciliorum sanctionibus decretum, & præceptum est, nuper autem sacrę Cõgregationis in Romana curia speciali decreto confirmatũ, pœna in contumaces proposita. Vel irrepsit hic error ex quadam licentia, & libertate vitę laxioris, vt liceat scilicet sibi liberius discurrere, & euagari per ciuitatem quasi sub ementito habitu, cum optime nouerint, quàm grauis, quàm pius, & quàm decorus sit iste habitus Parochialis, & quantam grauitatem morum, & circumspectionem requirat in omnibus. Vel deniq; ex ignorantia, quasi isti credant vestem huiusmodi nimis vilem, & abiectam esse, cum tamen aliter sentiendum, ac iudicandum sit, si ipsa forma vestis attentius consideretur. Magna igitur culpa ille vacare non poterit, qui contra legem, contra vsum, & morem indutus incedit.

De

Quàm prudens esse debeat Curator.

Cap. XII.



PRudentiæ uirtus, cùm ab omnibus quidem, tum uerò præcipuè ab ijs quibus aliorum cura incumbit, excolẽda est. Col. 2. c. 2. Namq; teste Io. Cassiano, uirtutum omnium regula, ac optima moderatrix est, qua remota nihil cuiusuis generis est, quod licet bonum uideatur, non in uitium recidat; ac præterea etiam, quia adeò intrinseca est huic arti, ut sine ea nullo modo pro dignitate exerceri queat. Quam ob causam Lib. 6. de Sacerd. D. Chrysostomus dixit, Sacerdotem non solum purum, ac mundum esse debere, uerùm etiam prudentem, & multarum rerum experientia ornatum. De sex alis. c. 7. Quod D. Bonauentura Salomonis exemplo confirmat, qui in initio sui regiminis habens potestatem à Deo postulandi, quæ uellet, reliquis omnibus neglectis, petiuit sapientiam sine, qua, asseruit, non posse benè populum regi, cuius rei ea ratio esse potest, quia Rector est Dux gregis sibi commissi; qui si errauerit, grex in dispersione confusus, interibit. & sicut Math. 5. oculus est lux totius corporis, ita pastor gregis, iuxta illud: *Vos estis lux mũdi*. Secũdũ quod oculus est clarus, & obscurus, sic ẽt corpus ab eo regitur directè, uel per deuia. Propterea Plato Respublicas fore beatas dicebat, si 3. etic. c. 3 quando earũ rectores prudentes, & sapientes forent. Quod nec Aristot. latuit, qui dixit, prudentiã propriam esse Præsidentis, nã cęteræ quidem uirtutes uidentur communes, tam eorum, qui præsunt, quàm eorum, qui 3. p. Past. admon. 5. subsunt. Quare D. Gregorius: *Admonendi sunt* (inquit) *qui præsunt, vt per circumspectionis studium oculos peruigiles intus, & in circuitu habeant, & cœli animalia fieri contendant. Dignum quippe est, vt cuncti, qui præsunt intus, atq; in circuitu oculos habeant, quatenus, & interno Iudici, & semetipsis placere studeant, & exempla vitæ præbentes exterius, ea etiam, quæ in alijs sunt corrigenda, deprehendant*. Pier. Valer. de not. Hierogli fi. 33. Hincq; & apud Aegyptios in uertice sceptri oculus pingebatur, quo Principis prudentia, & potestas simul significaretur, & uerè non uulgaris consilij, & prudentiæ est, tam uaria hominum ingenia regere, & quod etiam est maius, vnumquemq; eorum uarijs uijs, & modis ad unum eundemq; finem dirigere. Quia *non omnes par morum qualitas astringit* (inquit D. Gregorius) *non vna, eademq; exhortatio omnibus congruit*. & ille profectò imperitus sit necesse est, qui uno, eodemq; collyrio omnes morbos curare contendat. Quare, ut satisfaciat omnibus magna prudentia opus est. Qua una si careat Sacerdos, alijs alioqui uirtutibus insignis, suo Serm. 49. in cant. decore, & splendore priuatur; quia *Discretio* (inquit D. Bernardus) *omni virtuti ordinem ponit, ordo autem modum tribuit, & perpetuitatem*. Vnde non satis est, zelo feruere diuini honoris, & salutis animarum, nullo labori parcere, insectari uitia, & se strenuum in suo munere præbere, nisi hæc omnia ad prudentiæ normam, & regulam dirigantur, nã latens intentio, & bona mens Sacerdotis non patet omnibus, neq; cuicumq; manifesta est, externa autem operatio omnibus est aperta, quæ si prudentiæ limites

exce-

excedat, virtus pro uitio reputatur. Et uerè per imprudentiam pleraq; committuntur,quæ postea displicent auctoribus,& multis non leue detrimentum afferunt, sic enim scriptum est. *Dux indigens prudentia multos opprimet.* Prou. 28.

Sed facit ad rem nostram doctrina S. Basilij, qui docet, duplicem esse prudentiam alteram falsam, & veram alteram, de falsa sic idem Basilius *Vna est prudentia propriæ commodi custos, & alieni doli obseruatrix, qualem serpens habet: ille, si quid periculi imminere viderit, caput suum super omnia custodit: ea videtur esse versutia illa, quæ prona est ad proprium commodum, & simpliciores defraudandos.* Magnus quoq; Gregorius sic eam describit *soror, de qua huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis celare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hac sibi obsequentibus præcipit, honorum culmina quærere; adepta temporalis gloriæ, vanitate gaudere; irrogata ab alijs mala, multiplicius reddere, cùm vires suppetunt nullis resistentibus cedere, cùm virtutis possibilitas deest, quidquid per malitiam explere non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.* Hæc autem sapentia, vera prudentia non est, sed potius fraus & versutia; cũ vera prudentia à fuco, & dolo omnino aliena sit vnde, & prudentia absq; bonitate, malitia, & simplicitas absque ratione,stultitia nominatur à D. Hieronimo, Porrò *vera prudentia (* inquit Basilius, *est cognitio eorum, quæ agenda sunt, & non agenda, quam si quis sectatus fuerit, numquam ab offitio, virtuteq; discedet, numquam vitiorum pestem incurret.* Siue, vt definit D. Thomas, *vera prudentia est, quæ recto, & vero fine posito, vias deinde, & rationes aptas applicat ad eum consequendum.* Ex quo sequitur, nisi verus sit finis, nec posse veram esse prudentiã: hic autem est in Cura animarum Dei gloria, & salus *est cognitio eorum, quæ agenda sunt, & non agenda quam si quis sectatus fuerit nunquam ab offitio virtuteq; discedet, nunquam vitiorum pestem incurret,* animarum in hunc finem, qui omnes conatus dirigit, ille vere prudens habendus est. In princ. Prou. Hom. 41. 10. Mor. c. 16. Lib. 2. comment. in Osee. c. 7. 1. 2 q. 47. art. 6.

Nec desunt adiumenta ad hanc virtutem aquirendam, & augendam. Primum enim à Deo omnium bonorum largitore imploranda est, vt ipse mentem nostram illuminet, & dirigat *pedes nostros in viam pacis, Aliquando enim*, inquit. D. Gregorius, *dum cuncta nos agere consilij, grauitate gaudemus, pulsante causa emergentis articulo, præcipitatione subita rapimur.* lib. 2. mor. cap. 36.

Secundum, vt se ab omni labe, & culpa purum, & integrum seruet qui diuino lumine magis illustretur, & certius dirigatur, non enim illustrat Deus mentem in peccatis iacentem supernaturali lumine, neq; se illi docendo coniungit, sed relinquit potius in manu consilij sui. Propterea optimè sensit D. Ambrosius. In acquirendis consilijs plurimum conferre vitæ probitatem, prærogatiuam virtutum, & gratiam frugalitatis. Lib. 2. of. cap. 12.

Tertium est diligens obseruatio eorum, quæ quotidie eueniunt; experientia enim, sicut est omnium rerum magistra, ita est perpetua comes prudentiæ: Habebit etiam hoc adiumentum ex lectione præclare gestorum virorum illorum, qui in cura animarum insignes extitere, illorum nãq; vestigijs inhærere, qui ante nos fœliciter cursum suum consumarunt in via, tam lubrica, summi benefitij loco est.

Postremò ponendum studium est in ijs præcipuè remouendis, quæ pru-

dentia impediunt, cuiusmodi est præcipitatio, vt nihil agat, & loquatur, nisi maturo prius iuditio adhibito. Hinc illud Ecclesiastici dictum. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*, nam leuitas, & nimia quædam facilitas, propriè imprudentia est. Quare interrogatus philosophus Demonax à quodam principe, quomodo delegatam sibi prouinciam rite gubernare posset, Respondit. *Si minimum loquens, plurima audieris*. Quò facile monetur qui alijs præfectus est vt non statim ferre iuditium debeat, cùm primum audit aliquid, sed multa meditatione, & consideratione opus est, vt est etiam apud sapientem. *Qui cito credit leuis est corde*. Iræ item passio amouenda est cùm hæc in eo præsertim, qui præest, multorum malorum seminarium existat: obstruit aditum bonis consilijs, claudit oculos, ne futura præuideat, mentem ligat, ne sit bene compos sui, præripit iuditium, nemini parcit, denique, (vt ait D. Gregorius) *Per iram sapientia perditur, vt quid, quoue ordine agendum sit, omnino nesciatur*, quia ita excludit illam maturitatem mentis, & consilij, que à prudentia nunquam se iungitur. In primis autem tollenda est omnis auri, aut cuiuslibet humani fauoris cupiditas; quæ verè, & solidæ prudentiæ, omnino repugnat, queuè omne iuditium peruertit, vt egregie D. Ambrosius docuit. *Nullus, neglecta vilitate communi, suo lucro prospiciat, ne si quisquam propria commoda appetit; friuola æstimatione fallatur, quia nec liberò iuditio præferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat. Super cecidit, ait Propheta, ignis scilicet passionis animum incendentis, & non viderunt solem: cæcata enim cupiditatibus mens præsentem lucem veritatis minimè intuetur*, ita Ambrosius.

Eccl. 32. Plut. lib. 8 Apoph. Eccl. 7. Lib. 5. Mor. cap. 31. Lib. 12. regist. ep. 68. Ep. 37.

Quam periculosum sit, Rectori inniti prudentiæ suæ. Cap. XIII.



Roprium autem, & singulare veræ prudentiæ est, libenter aliorum sententias perquirere, & sapientum virorum cōsilio vti: nā qui, *sapiens est, audit consilia*, inquit. Sapiens, & *Superbia magna est* ait D. Basilius, *existimare se nullius egere consilio, ac sibi penitus acquiescere; quasi, vel solus sapiat, vel, quam optima in medium consulere valeat. Magnam profectò affert hominibus vtilitatem consilium, eò quod nemo sibi sufficiat ad electionem rerum vtilium, honestarumuè; sed pluribus fundsotijs, usque solertibus opus est*. Facit ad hanc rem totam illustrandam, quod à S. Gregorio de diuina prouidentia, circa rerum temporalium dispositionē his verbis adnotatum legimus. *Hoc omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque vnicuilibet regioni fructus omnes tribuere, sed si vna quælibet regio alterius fructu non indigeret, communionem cum altera non habuisset; vnde fit, vt huic vini, alij verò olei abundantiam tribuat, hanc multitudine pecudum, illam verò vbertate fructuum facit abundare, vt cum illa defert, quod ista non habet, & ista reddit, quod illa non detulit, per communionem gratiæ simul terræ coniunctæ sint. Sicut ergo regiones terrarum, ita sunt mentes Sanctorum, quæ dū vicissim sibi conferunt, quod acceperunt, quasi fructus suos regiones regionibus impen-*

Prouer. 12. Rom. 12. Hom. 12. in prou. Hom. 10. in Ezech.

V pen-

pendunt, vt in vna omnes charitate iungantur; hæc omnia Gregorius. Et sanè quis adeò in terris instructus, & sapiens putetur, qui nullius ope, aut consilio rebus agendis indigeat? Certè Moises Aegyptiorum sapientissimus, familiari cum Deo colloquio illustris consilium sibi datum à Iethro socero suo accepit. Quod Moisis factum ad nostram eruditionem trahit D. Chrysostomus de laudibus Pauli. *Consiliarijs omnes opus habent. Multa enim sunt, quæ magni, & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parui, & abiecti scire solent. Nam postquam Moises ex Aegypto exijt, & in solitudinem venit, præfuit sexcentorum millium populo, & solus omnium contendentium lites diiudicauit, quod vt vidit socer eius Iethro, homo alioqui Barbarus, & insipiens (nihil enim est Gentili insipientius) cum correxit; non curans, quod sapiens esset Dei amicus, ille verò sapiens, ille tot myriadum Dux omni mansuetudine, eum dicentem audiuit, & consilio aquieuit*, sic D. Chrisostomus. Docuit hoc idem Saluator suo nobis proposito exemplo, qui licet infinitæ esset sapientiæ, hoc etiam nobis veræ humilitatis, & prudentiæ, exemplum præbuit, Petri sententiam, & consilium requirens. *Quid tibi videtur Simon, reges terræ, à quibus accipiunt tributũ vel censum, à filijs suis, an ab Alienigenis?* Hom 9. Mat. 17.

Sed & præterea (vt quotidiano experimento constat) facillimum est, quamdiù sumus in corpore, ob humanæ naturæ fragilitatem, nostrismet illudi sensibus, qui tetram quandam caliginem menti offundunt, suoq; met iuditio decipi: & causam reddit D. Basilius cùm ait: *Illud firmissimum tenendum est omnium dificillimum esse, se ipsum cognoscere, & curare; propterea quòd naturaliter se ipsum, quisq; amet, & quia in se ipsum, quisq; propensus est; ideò in veritatis iuditio fallitur*. Quare, nihil securius, quam habere consultorem, ad quem in rebus difficilioribus confugias, cui ad discernendam veritatẽ non obstat amor sui ipsius. Alteram causam affert Cassianus ex Dæmonis ad decipiendum versutia. *Qui se transfigurat in Angelum lucis, vt obscuram, & tetram caliginem pro vero lumine scientiæ fraudulenter offundat, Qui nisi humili, & mansueto corde suscepti mansuetissimi fratris, vel probatissimi senioris, reseruentur examini, & coram iuditio diligenter excussi, aut abijciantur, aut recipiantur à nobis, sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro Angelo lucis, Angelum tenebrarum, grauissimo feriemur interitu: quam perniciem impossibile est, euadere quempiam in suo iuditio confidentem*. Nam, qui aliorum consilia spernit, se nimium pertinacem ostendit, at pertinaciæ comites sunt, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, & præcipitatio, quæ vere, prudentiæ aduersantur, & omnem boni regiminis regulam tollunt, hocq; vitium (quod *capitositatem* Gerson appellauit) vt plurimum in esse in his, qui præsunt, asseruit, valdeq; periculosum esse D. Bonau. testatur. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo, stultus spem habebit; stultus enim sibimet non confidens, quærit consilium à sapientibus, ne decipiatur. Ille autem, dum de se, plusquam debet, præsumit, etiam vbi errat, recta se plerumq; sentire deceptus putat*. Quod cùm summæ superbiæ inditium sit, iustissimo Dei iuditio, *qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam*, homines isti propriæ nimis sententiæ innitentes, turpissime labi permittuntur, vt est in Apocalypsi. *Tu dicis, quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. Atq; hoc pacto Deũ punire occultã mentis superbiã per manifestã ruinã, asperte docuit Gregor.

Con. mon. cap. 22. Col. 61. cap. 12. t. 4. in des. ter. de 4. uir. Seu alis c. 7. Prou. 26. Apocalip. 3. Lib. 10. Mor. c. 8.

Deniq; si in temporali regimine, vbi de caducis tantum, & perituris rebus agitur, & in quibus, si error, aut damnum contingat, ex imperitia regentis, facilè compensari potest, necessariam tamen pro bono regimine consultationem, omnes asseruerunt: quantò magis in negotio animarum, in quo imprudentia Sacerdotis non temporale, sed æternum sibi, & animabus damnum afferre potest; optimè D. Hieronymus in Isaiam *Graci*

Cap. 3. *Poëtæ laudabilis illa, & admiranda sententia est, primum esse beatum, qui per se sapiat: secundum, qui sapientem audiat, qui autem vtroq; caret, hunc inutilem esse, tam sibi, quàm omnibus.*

Et sicut in magnis ponderibus vehendis, vel ducendis, non vna dumtaxat manus sufficit, ita in onere Pastorali omnium difficillimo, & laborioso, in quo tot difficultates, & discrimina occurrunt, vnius hominis mens, & consilium nullo modo tantæ moli sustinendæ par esse potest. Quare, &

Eccl. 4. scriptum est. *Melius est, duos esse simul, quàm vnum; habent enim emolumentum societatis suæ.*

Porrò commoda, quæ in consilijs prudentum virorum insunt, paucis D. Bonauentura expressit, vt ad ea accipienda, magis excitentur Prælati, &

De sex Superiores, *Debet qui præest* (inquit) *consilia libenter audire, & humiliter quæ-*

alis c.7. *rere. Et in hoc triplex humilitas consistit. Primò, si alij idem sentiunt, quòd & ipse, securior est, quod non decipiatur. Secundo, quidquid fecerit, cum prudentum consilio, si aliquid inde euenerit contrarij, minus ei poterit imputari, quàm si de suo tantùm sensu id fecisset. Tertio, quia sæpè in meritò humilitatis talis, Deus dat ei*

Exod.8. *agnoscere per se, vel alium, quod ante non intellexit. Hinc Moises, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Iethro soceri sui gratum habuit, & seruauit. Hinc Apostolus Paulus, spiritu Sancto plenus, euangelium quod per reuelationem Iesu Christi acceperat prædicaturus, ipsius instinctu Hierusalem, cum Petro, & Ioanne, & Iacobo Coapostolis suis se contulit, vt esset securior, in prædicando, cùm ab eis non discordaret, & exemplum per hoc daret fidelibus Prælatis, consilium requi-*

Eccl. 32 *rendi: Omnia cum consilio fac, & post factum non pænitebis; ait scriptura*, Hactenus Bonauentura.

Studeat itaq; Curator sapientem aliquem, & prudentem, vel plures etiã viros habere ex illis, qui in eadem regiminis naui multas tempestates superatint, multosq; scopulos euaserint, qui non modo maris pericula, monstrent, sed rationes etiam tradant, quibus euitentur. Multum enim valet ad alios instruendos experientia. Atq; hi sint probatæ vitæ, qui præter Deum nihil timeant, & nihil sperent nisi à Domino. *Talis enim esse debet*

Lib.2. of- (inquit D. Ambrosius) *qui alteri consilium dare vult, vt se ipsum formam alijs*

fic. c.17. *præbeat ad exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, vt sit eius sermo salubris, atq; irreprahensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora.* Virum huiusmodi si inuenire, si illius consilia, & monita audire datum fuerit, magnum præsidium se inuenisse existimet; & sapientis monitum

Eccl.6. exequatur. *In multitudine Prælatorum prudentum sta, & prudentiæ illorum coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te. Et si videris sensatum, euigila ad eum, & gradum ostiorum illius exterat pes tuus.*

De

De obedientia curatoris erga Episcopum suum. Cap. XIV.



VErùm si talia commoda, & adiumenta, pro recto regimine animarum verè percipiuntur ex consilijs, & institutionibus prudentum virorum, quanta erunt ex ductu, & gubernatione sui Episcopi, & Prælati, & ex prompta decretorum eius executione, quæ sunt quasi ossa, & nerui; sine quibus hæc tam insignis præfectura consistere nequit? Qua in re, cùm non minor existat Sacerdotis obligatio, quàm vtilitas; videndum quid sit id, quod suo Episcopo Curator debet. Debet autem (vt summatim dicam) amorem, reuerentiam, & obedientiam.

Et quidem de amore. Quis non videat coniunctionem illam arctissimam, quæ inter Episcopum, & inferiores curatores intercedit, necessariò requirere mutuum hunc affectum amoris. Episcopo enim animarum cura primo commissa est; ipse (præter summum Romanum Pontificem, qui vniuersalis est Pater, & Pastor) Primus est in sua Ciuitate, & Diœcesi Curator, quandoquidem solus Episcopus ea ex sui ordinis ratione habeat, quæ ad perfectam, & absolutam curationem animarum requiruntur, nempe collationem omnium sacramentorum; Cæteri autem inferiores Parochi animarum curam administrant, tamquam agentia secundaria, & sui Episcopi adiutores, & cooperarij. Quare, *sicut Moisi septuaginta senes dati sunt in adiutorium regiminis* (Inquit D. Thomas) *ita Parochi in adiutorium ministerij concessi sunt, & veluti membra, cum illo tamquam capite, ad hoc tam præclarum ministerium assumuntur*: Qui maior potest esse nexus amoris, & dilectionis? quem & Deus ipse apertè indicauit, cum daturus moysi eosdem septuaginta viros in adiutorium dixit. *Duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesq; ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Quod si Episcopi capita, nos vero membra sumus; cur non diligendos, & à nobis obseruandos dixeris?

Gaiet. 2.2. q. 184. ar. 6. 8.

Quodlib. 3. art. 17

Num. 11.

Sed & curatores ipsi à suis Episcopis, non tamquam serui, sed vt amantissimi fratres, omni humanitatis affectu colligendi, & fouendi sunt; aliter enim Curatores aliter cæteros de populo tractare fas est, Parochum enim Episcopi brachia dixerim esse, ob intimam muneris cum ipso coniunctionem, vt planè hoc etiam necessario sequatur; quod dum Episcopus, piam Parochi mentem fouet, dum eius conatus iuuat, dum illum protegit, & tuetur, suam potius, quàm ipsius causam agat. Huc spectat, si aditus auresq; faciles illi præbeat, confugientem comiter excipiat, patientiam retineat in audiendo, lenitatem, & promptitudinem in satisfaciendo, obtrectatoribus aures, minus autem assensum non ita facile primò præbeat, & illum non tamquam seruum, aut vile mancipiũ minis terreat, sed amanter potius amplectatur. Ne illud de suo Episcopo dicat Curator, quod est apud Bernardum de indiscretis, & inhumanis Prælatis. *Quid iugum vestrũ*

Ser. 23. in cant.

super

super eos aggrauatis, quorum potius onera portare debetis. Hic autem affectus benignitatis, & comitatis, qui opere ipso potius, quam verbis exhiberi debet, quanti fieri, & quam studiosè retineri ab Episcopo debet, indicat. S. Nazianzenus, qui in laudatione Magni Athanasij hoc præter cætera, comemorat tanquam magnum, quod esset vita sublimis, animo humilis, atque ea virtutis excellentia, vt nemo ad eum aspirare posset; sed simul ea comitate, vt eius congressus, & colloquium esset omnibus expositum, essetque sermone iucundus, iucundior moribus. neque in eo, vel mollitiores de soluta, nec seuere eas fastuosa, & importuna appareret.

Accedit etiam quod licet in Episcopo sit Iudicis potestas, quæ timorem incutit, & discolis; patris tamen partes tueri erga omnes, & præsertim Sacerdotes debet quorum gubernatio paterna debet esse, non despotua, nec illorum Dominus, sed pater appellandus est, ac patris affectus filiorũ amore est compensandus. Atque hac cogitatione D. Hieronymus Nepotianum ad amorem erga suum Prælatum excitabat. *Esto subiectus Pontifici tuo, & quasi parentẽ suscipe, amare filiorum est, & timere seruorum*.

Ep 1. ad nepot.

Debet etiam curator suo Episcopo magnum honorem, & reuerentiam; nam illi, qui in dignitate constitutus est, & supra nos potestatem habet, obseruantiam, & honorem debemus, ipse Dei vices gerit, cuius dignitas participatio quædam est Diuinæ potestatis, cùm à Deo sit omnis potestas; ipse verè custos, & speculator, qui non tantum supra populum sibi commissum vigilat; sed etiam supra Rectores animarum, tamquam etiam pro ipsis redditurus rationem, ipse magister à quo dirigi, & instrui debet sacerdos, vt se ipsum, & populum regat, & ritè custodiat, ipse tamquam diuinum oraculum, per quod Dei beneplacitum magis innotescit, quis ergo præsulem suum summopere non colat, & obseruet?

Existimo autem hanc reuerentiam erga Episcopum non tantum exterius, & in ipsius præsentia deferendam, sed intimo cordis affectu magis exhibendam esse; testimonium insigne est Sancti Bernardi, *Iustitia*, inquit, *virtus est, quod suum est vnicuique tribuens, tribue ergo tribus, quæ sua sunt. Redde Superiori, redde inferiori, redde æquali cuicumq;, Quod debes. Redde reuerentiam Prælato, & obedientiam, quarum altera cordis altera corporis est, nec enim sufficit exterius obtemperare superioribus, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de illis*, Et externa, sine interna reuerentia non est actus perfectus, sed simulatio propria, nonnullorum aulicorum, qui sæpè externis signis honoris colunt, & reuerentur, quem tamen alioqui odio, & inuidia prosequãtur. Sacerdotis affectus, erga Præsulem, sincerus sit, de eo nisi honorifice, & reuerenter loquatur, vt magis etiam à laicis obseruetur; qua in re, seculares ipsi exemplo esse possunt, qui Principes suos, nisi magna cum reuerentia nominant, illorum virtutes extollunt, defectus tegunt, & tolerant, Principis sui, honorem, & dignitatem ad suum quoque honorem spectare putantes. Sacerdos autem tantæ erit temeritatis, vt audeat etiã coram secularibus sui Episcopi actus, & leges dijudicare, piam eius mentem perperam interpretari, & de eo indiscriminatim obloqui, quæ omnia Episcopi famam non leuiter lædunt, non ne hoc ipsum in proprium ipsorummet improperium vertitur? cùm scriptum sit. *Ne glorieris in contumelia*

Ser. 3. de Aduent.

lia patris tui; non enim est tibi gloria eius confusio: gloria enim hominis in gloria patris sui, & dedecus filij, est pater sine honore. Hinc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamidis Saul., quia nimirum non debuit mittere manum suam in Principem populi, & in Christum Domini. 1.*Reg*.24.

Sequitur obedientia, quæ præcipuè consistit in prompta, & facili earũ rerum executione, quæ pro recto, ac sancto animarum regimine ab Episcopo ordinantur; quia si ad omnes artes ritè exercendas necessaria est subordinatio, & obedientia discipuli ad magistrum, quanto magis in hac arte, quæ cæteris præstat, vt verè dici possit Sacerdotem, qui viuit in obedientia sui prælati, onus suum aliorum humeris impositum portare; & vt communi prouerbio dicitur; *natare supra aliorum vlnas*, quid securius, aut quid optabilius esse potest in tantis periculis? Maximè cùm credendum sit, eos, qui animabus præsunt, & illos præsertim, qui insigni aliqua dignitate fulgent, vt sunt Episcopi non fortuitò, aut humano tantùm consilio præesse, sed Dei iuditio, & ordinatione; neq; suo tantùm iuditio, & spiritu regere, verùm lumine à Deo accepto, quò etiam nolentes, & inscij aliquando ad Dei beneplacitum implendum aguntur, & iuxta rerum exigentiam, tanto sæpè cælesti lumine perfunduntur, vt eorum consilia, seu iusta, non hominum inuenta, sed Dei videantur, & iudicentur. Quare D. Basilius, *si Paulus* (inquit) *Apostolus christianos, & Dei filios iubet subditos esse, non tantum ijs, qui humana lege, imperandi potestatem acceperunt, sed etiam infidelibus, & impijs, qualis obedientia ei debebitur, qui a Deo ipso constitutus sit præses, & à legibus diuinis potestatem accepit*. *Const. Mor. c.* 23.

Ex quo nascitur magna quædam Sacerdoti tranquillitas conscientiæ, & securitas, quæ est singulare solatium muneris Pastoralis, innuitur hoc manifestè ab Apostolo. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis*. Illi rationẽ reddent de his, quæ imperant, ad nos non aliud pertinet, nisi illorum mandatis obtemperare; Agnouit hanc summam vtilitatem ex ductu superiorum D. Bernardus. *Quid enim interest, ait, vtrum per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos hominibus innotescat suum beneplacitum Deus? Sed homines, inquis facilè falli in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda possunt, Sed enim, quid hoc refert tua, qui conscius non es; præsertim cùm teneas ex scripturis, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirent, quia Angelus Domini exercituum est? A quo deniq; diuina potius consilia requirentur quam ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei. Ipsum pro inde, quem pro Deo habemus, tamquam Deum, in ijs, quæ apertè non sunt contra Deum audire debemus* Itaq; omni fiducia, & cordis libertate in necessitatibus, dubijsq; quæ sæpe in cura animarum contingunt, curator ad suum episcopum confugiat: illi enim communicat Deus pro muneris ratione ad alios instruendos maiorem gratiam, & opem. *De Præ. & disp.*

Cæterum curatoris obedientiam, vt iam dixi, maximè requiro in exequendis ordinationibus, & decretis sui episcopi quia hæc habent quid amplius supra ipsius vocem, & viuum sermonem. Nam, si prudens, si sapiens sit Antistes, vti tenendus est, antequam quidquam decernat, & constituat, rem totam prius, cum Deo, nec non cum peritissimis viris communicat, nec quidquam in lucem prodire sinit, quod non sit prius matura

consi-

consideratione perpensum, vt meritò imprudens ille sit, qui huiusmodi decreta negligat, audeatq; suum iuditium, tot virorum, & quod magis est, sui Prælati iuditio anteferre. Quamobrem plus adiumenti capitur ex huiusmodi decretis, seu monitis, quàm si ad prælatum ipsum accedas, requirasq; consiliũ suum, quia piam Prælati mentem, vel passio superueniens immutare, vel error obrepere, vel respectus iuditium inuertere potest; at quod semel sapienter ordinatum fuit, nullius gratia, aut odio variatur. Hanc ob causam docuit Aristoteles, vtilius esse dominari legem, quàm hominem; quia, qui legem præesse iubent, iubere Deum præesse videntur, & leges. Hæc adiumenta, si habentur ex pijs, & sanctis decretis cuiuscumq; Episcopi, qualia speranda erunt ex ijs, quæ Carolus sanctissimus, & prudentissimus vir, cùm pro recta cleri institutione, tum pro regimine populi condidit, quæ aureo illo volumine, quod Acta Ecclesiæ Mediolanensis nuncupatur, continentur? In quo non tantum verum Pastorem suis coloribus expræssit, sed, quæ essent pro tuenda Ecclesiastica disciplina, populis informandis, & ad salutis portum dirigendis ineundę rationes, omni tempore, partim constitutionibus, partim monitis in vnum collegit. Præsertim cum in hoc volumine nihil ferè sit, quod ille, vt erat humilitatis studiosus, cum electissimis viris non communicarit, immo, cum Deo ipso assiduis, & quotidianis precibus, vt ex rebus ipsis manifestè apparet, quæ non humano, sed diuino consilio excogitatæ, & constitutæ videntur ad communem totius Ecclesiæ vtilitatem; quæ omnia tandem ipsius sanctitate confirmata, & illustrata fuerunt. Non recedat ergo, volumen hoc dę manu Sacerdotis, sitq; illi tamquam speculum, vt in eo se ipsum inspiciat, ad rectum, & sanctum sui ipsius, & commissi gregis regimen.

Qualem se præbeat in aduersitatibus.
Cap. XV.


Voniam verò ex artis ipsius natura multorum censuris, & obtrectationibus Curator expositus est, videndum est, quo se modo gerat in tempore angustiæ, & tribulationis. Hic nimirum est scopulus, hic, vt dici solet, est petra scandali, in quam non impingere, certè non omnium est; cum nihil ita facile hominem probet, & qualis sit intus, foris ostendat, sicut vexatio, & tribulatio, quia, *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia, qui autem impatiens, exaltat stultitiam suam*, vt est in prouerbijs, & tamen in aduersitatibus præsertim inuictum animi robur magnitudo, & insignis patientia expectatur à Sacerdote, sicut Paulus monuerat. *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus*, & virtus, vt vulgo dicitur, in arduo elucet præcipuè.

Prou. 14. *2. Corint. 6.*

Qua in re existimo nullum esse validius argumentum, ad confirmandũ, & stabiliendum cor Sacerdotis, ne deficiat in aduersis, sed in illis potius spiritualiter proficiat, quàm quo D. Paulus ad confirmanda discipulorum corda vsus est, his verbis. *Misi Thimotęum fratrem nostrum ad confirmandos*

Prima Thes. c. 3.

vos, vt nemo moueatur in tribulationibus istis; ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. Nullum siquidem maius præsidium ad muniendum pectus contra
tribulationes, & ærumnas esse potest, quam præmeditatio necessarij, &
certissimi euentus earum, id quod ex Gregorio confirmatur: *Minus* (in- Hom. 35. in Euang.
quit) *iacula feriunt, quæ præuidentur, & nos tollerabilius mundi mala suscipimus,*
si contra hæc per præscientiæ Clypeum munimur. Eadem causa Christus, cum
alijs, tùm Apostolis in primis futuras persecutiones accurate prædixit, vt
ne postquã euenissent, scandalizarentur aut turbarentur. *Hæc locutus sum*
vobis, vt non scandalizemini, absq; sinagogis facient vos, & hæc locutus sum vobis Io. 16.
vt cũ venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Patet aũt nullum esse
mare, quod tot procellarũ, & tempestatũ fluctibus agitetur, sicut status Pa-
storis: vnde, qui hoc enauigant mare, ijsdem perpetuo exagitari, & con-
cuti, necesse est. Huc spectant illa D. Chrysostomi libris de Sacerdo-
tio, in quibus postquam innumeras difficultates, & pericula, quibus con-
tinuò præfectus animarum expositus est aureo eloquentiæ flumine expres-
sit, tandem libro sexto; hunc statum vocat pelagus laborum, & abyssum
ærumnarum: idem ferè senserunt, qui illius pericula, & scopulos, experti
nobis indicarunt. D. Gregorius officium Pastorale definiens; *Quid est*
(inquit) *officium pastorale, nisi quædam ingis, & perpetua mentis tempestas* P. 1. Past. c. 8.
fluctibus curarum & cogitationum semper ferueus? Vnde meritò D. Bernardus
illorum insaniam condemnat, qui ad curam animarum properant, & ta- Ep. 73.
men nullis se angi, & premi, tribulationibus, & angustijs patiuntur; longe
falluntur, quia sicut mare sine fluctibus esse nequit, ita nec Pastor sine ad-
uersitatibus. Et sicut faber ferrarius rubiginem à ferro tollere, illudq; in
varia mutare non potest, absq; eo, quod vapor ignis illius carnes si non
exurat, denigret tamen; & sicut mater filios gignere, & educare non po-
test sine dolore, & molestia; ita prorsus Rector animarum nec peccatorũ
scoriam ab animis excutere, filios Deo parere, & munus suum rite obire
potest, sine molestia, & contradictionibus: sane D. Bonauentura, elegan-
ti similitudine concludit hoc idem. *Sicut* inquit, *tectum tabernaculi, vt in-* De sex alijs cap. 5.
teriora munda remaneant, & nitida, excipit in se pulueres, & imbres, & vento-
rum impulsus; ita superiores, qui fideliter subditos suos defendunt à turbine peccati,
necesse est, sæpè diuersarum excipere tempestates aduersitatum. Anaxagoras, te- Lib. 2.
ste Laertio, præmeditatione mortis, denunciata morte filij; nihil turba-
tus nunciantibus respondit, *sciebam me genuisse mortalem*.

Et ratio potissima est quia Pastor præcipuè à Deo vocatur ad eos adiu-
uandos, & portandos, qui renuunt portari, Christi exemplo, qui venit vo-
care non iustos, sed peccatores ad pęnitentiam, & quærere, & saluum fa-
cere, quod perierat. Pastori animarũ siquidẽ illud Domini dictũ optimè
cõuenit quod Ezechieli dixerat Deus. *Fili hominis mitto ego te ad filios Israel,* Ezech. 2.
ad gentes apostatrices, ad duros facie, ad indomabiles corde, ad irritatores, ad subuer-
sores, ad incredulos, ad domum exasperantem, ad scorpiones. Propterea D. Bernar-
dus onus Pastorale, onus vocat animarum infirmarum, *nam quæ, sana sunt* Ep. 73.
portari non indigent, (inquit) *ac per hoc onus non sunt. Quoscumq; igitur de tuis*
inueneris tristes, pusillanimes, murmuriosos; ipsorum te patrem, ipsorum te noueris
Abbatem: consolando, exhortando, increpando agis opus tuum, portas onus tuum,

& portando sanas, quos sanando portas: siquis verò ita sanus est, vt magis iuuet te, quàm iuuetur à te, huius te non patrem, sed parem agnoscas. Quid igitur causaris te, si aliquando, qui tecum sunt, magis grauari consortio, quàm frui: cùm solus omnium omnibus datus sis solatium, tamquam omnibus sanior, omnibus fortior, qui omnibus sufficias per Dei gratiam solatiari, & à nemine omnium indigeas confortari; deniq; in quantum grauaris, in tantum lucraris, hæc omnia Bernardus. Quæ si rectè considerarentur, non tantum esset, cur tristari, ac mœrore confici deberet Curator in aduersis, quę pro executione proprij muneris eueniũt, sed quod magis est, exultaret, & dilataret cor suum, recogitans, se tunc veri Pastoris partes agere.

Atq; hinc, si meam licèt sententiam adiungere, inferri posset, non benè de eo Curatore animarum sentiendum esse, qui dicit, sibi omnia tranquilla, placida, & iucunda euenire; quia si res accuratius exploretur, facilè apparebit, hanc tranquillitatem humanę cuiusdam dexteritatis, & sapientię mundi vel socordiæ, quæ labores refugit, & horret difficultates, effectum esse. Id probo Dilemate: vel enim omnes in populo, qui suæ curæ commissi sunt, ita piè, & sanctè uiuunt, vt nulli sint abusus, nullæ ægritudines sanandæ, nullæ spinæ conuellendæ, vel sunt ex ipsis proterui aliqui, & contumaces, qui curari indigeant; primum abest experientia, quia propter humanam fragilitatem omnis vinea tribulos, & spinas germinat, si vero sunt, profectò huiusmodi radicitus conuelli non possunt, sine aliqua conuellentis offensione, quia contra bonum, malum, & Paulus dicit, *si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Restat igitur hæc omnia causari ex ignauia Sacerdotis superficietenus vineam suam excolentis.

De sex alis. cap. 5. Addit D. Bonauentura aliud præsidium ad muniendum pectus Sacerdotis ex fructibus, qui ex aduersitatibus proficiscuntur, quos quoniam paucis ipse complexus est, referre placet. *Per aduersitates Rector à peccatorũ puluere purgatur, quem contrahit ex humanæ infirmitatis surreptione; in multis enim offendimus omnes, etiã in pluribus negotijs, plures negligentiæ sæpè fiunt, à quibus purgari necesse habent hic Prælati, ne illic durius puniantur, iuxta illud: si iniquè aliquid gesserit,* 2. Reg. 7. *corripiam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Item dum per has deprimitur, à tumore superbiæ custoditur, quæ potentibus periculosius insidiatur; dum, & sublimitas officij, & libertatis licentia, & boni operis placentia facilè mentem eius extollerent, nisi aduersitatis iugum collum præsumptionis eius humiliaret; & sic à superbiæ voragine defensaret. Vnde David secundum cor Dei electus, quando premebatur aduersis, deuotissimus fuit, & humilis; quando autem extollebatur prosperis, incidit in culpam offensionis, ipso attestante, cum* Ps 118. *dicit: Bonum mihi, quia humiliasti me.* Quin etiam considerandum est, hãc animi firmitatem, & patientiam Pastoris, quæ in aduersis fortiter tolerandis elucet præsertim, tanti ponderis esse apud subditos, vt plures hoc solo virtutis exemplo inspecto, facilè ad omnem virtutem excitentur, quod illo D. Pauli confirmari potest, qui coapostolos suos ad patientiã cohor- 1. Corint. 4 tans, hoc argumento vsus est: *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus;* cum enim essent, vt ipsemet Apostolus dicebat, tamquam morti destinati, rem sumpsit ex spectaculis, vt optime sensit D. Thomas, quæ Romæ tunc præsertim fiebant, quando quis ad mortem damnabatur,

conuocabantur homines ad illorum occisionem, quasi ad spectaculum. Et eueniebat aliquando, vt spectante populo inuictam martyrum constantiam in perferendis supplicijs pro Christi nomine, aliqui ad eandē Christi fidem suscipiendam excitarentur: sicut innumeris huiusmodi casibus Ecclesiastica historia abundat. Cùm igitur aduertit populus Sacerdotē suum, libenter ferre iniurias, æquanimiter tribulationes tolerare, facilè iudicat esse virum perfectum, cùm dicat Iacobus. *Probatio fidei, quæ fit per tentationes, patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat*, sicq; hoc exemplo posito, ad omne opus bonum prouehitur. In cuius rei confirmationē in vita Patris Xauerij societatis Iesu refert Petrus Ribadeneira, quòd cum in Prouinciam Iaponensem peruenisset, & ciuitatem Amanguche dictam, introisset, cum Ioanne Ferdinando socio, & aliquod ibi dies verbum Dei disseminasset, nullum tamen ad Christi fidem conuertit, magis potuit Ferdinandi socij insigne, quod præbuit patientiæ exemplum, nam dum, & ipse concionaretur, in facie consputus in contemptum, nihil tamen commotus, toga faciem mundauit, & eodem sereno vultu, quo ante, concionem prosequutus est. Cujus mirabilem patientiam quidam ex gentilibus admiratus, ad Christi fidem plus tali exemplo, quam ipsa concione amplectendam animatus est, certissimè credens, eam legem, quæ talē moderationem animi, & tolerantiam in publicis iniurijs docet, nisi verā, & sanctam esse posse. Et vere insignis est splendor patientiæ, per eam possidemus animas vestras, & alienas; *patientia est prima dos animæ, omnium affectuum clauis, passionum frænum, & custos conditionis nostræ*, inquit Magnus Gregorius. *Qui hac virtute caruerit, tamquam exanime corpus est, nauis sine doctore, omniū ventorum vicissitudinibus obnoxia, mare cunctis naufragijs infame.*

Iacob 1.

3. p. Past. adm 10.

Sed parua hæc sunt, vrget Christi exemplum, nempè, sicut ipse non alijs instrumentis salutem nostram operatus est, quàm summo labore, & ipsa morte ab illis illatā, qui ab ipso maioribus beneficijs affecti fuerant, ita curator ducis sui exemplo nihil magis affectet, quàm pro salute animarum benefacere, & male pati: imo, & sanguinem ipsum fundere, si opus sit. Quanta passi sunt Apostoli, & post ipsos, tot sanctissimi, & vigilantissimi Pastores, qui post ærumnas, infamias, & diuturnas insectationes, vitā ipsam pro sui gregis salute profuderunt. Vndè ea fortitudo animi digna Pastore; si vnius hominis impetum sustinere non potest, si contumeliam vnam ferre non valet, si cadit in aduersis? amoris defectus est. Deum igitur, & animas vere diligat, & hoc satis erit ad omnia aduersa superanda, quia *fortis est vt mors dilectio*.

Cant. 8.
Rom. 8.

Verum hæc omnia vim habent ad stabiliendum cor sacerdotis, ne moueatur in tribulationibus; illud modo addendum, qualē se præbeat exterius, oporteat, vt cæteri suo exemplo proficiant.

Primo autem loco omni studio contendat, eam mentis, & vultus hilaritatem retinere, quam in iucundis, & prosperis seruat: vt nullus propter aduersitates, eum à se ipso mutatum dicere possit. Hoc docuit Saluator illis verbis: *Cùm persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me, gaudete, & exultate*, quod & fecit Paulus, dum dicit: *Propter hoc placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in perse-*

Mat. 5.

2. Corint. 12.

tionibus, in angustiis pro Christo, quod notandum est, cum inquit *pro Christo*: quia tribulationes, quæ pro Christo tolerantur illæ sunt, quę Sacerdotis animam replent omni gaudio, & exultatione, in quo virtutis genere eximius fuit S. Carolus, qui tantæ fuit æquanimitatis, & constantiæ, vt in omnibus periculis, & aduersitatibus eundem vultum, eundem statum omninò retineret, quæ res multis erat magnæ admirationi, cæteris enim de suo periculo trepidantibus, ipse non commouebatur. Illud B. Ephræm optimè seruans, qui constantiam in aduersis incudi comparat, quæ licèt continuò pulsetur, non tamen dat terga, nec concauitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet, eademq; sibi similis.

Car. à Basi. Petri lib. 7. cap. 10.

Serm. de fide.

Secundo loco monet D. Bonauentura, vt cùm aliquid aduersi, contigit vel dicto vel facto, Sacerdos impetum feruoris reprimat, ne in verbis vel motibusq; impatientiam ostendat; considerans damnum, aut iniuriam sibi illatam à Domino fuisse ob bonum suum, aut ordinatum, aut permissum. Medicinam autem ab amantissimo, & sapientissimo medico respuere, & cum iniuria, & clamore reijcere, summæ temeritatis est. Sic profectò Dauid iniuriam, & conuitia à Semei illata æquanimiter tulit, & iracundiam repressit. *Dimitte, vt maledicat; Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid, & quis est, qui audeat dicere, quarè sic feceris.*

De sex alis. cap. 5.

2. Reg. 16.

Postremo ex eodem, *nec propterea eorum, qui in ipsam insurgunt curam segnius agat, nec quærat eos à se remouere, immo lubentius teneat illos, vt per hoc, & illos, & alios adificet, benefaciendo ingratis, & vt per se virtutis exercitium in eis habeat, exemplo summi Pastoris, qui ait: eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos*, hæc Bonauentura.

Et quia vt plurimum in eo munere impedimenta occurrunt, in quibus, cùm de iactura honoris, vel rei familiaris, vel etiam ipsius vitæ, agatur, facilè demittitur animus, & ad indigna inflectitur: idcirco vni Dei gloriæ, & animarum saluti prospiciens, nullo se damni metu à recto sui muneris cursu dimoueri, aut flecti sinat: ille enim (ait Gregorius Mag.) *verè patiens est, qui nec aduersis atteritur, nec à spei suæ rectitudine curuatur* in qua quidē animi fortitudine cũ magnũ, tũ suæ, tum aliorum salutis pondus positum sit; videamus quibus potissimũ adiumentis ad eam retinendam induci possit.

Lib. 11. mor. c. 17.

Atq; in primis hoc veluti fundamentum ponatur, nihil à se præclari, & egregij præstari posse sine hac immobilitate, in negotijs, & consilijs ritè susceptis; virtus namq; circa difficilia, & ardua versatur, & vbi nulla operis difficultas, nullaq; contradictio intercedit, nullus etiam est virtuti locus. Hinc Philosophi ad ea, quæ sola natura præstare potest virtutem non adeò necessariam crediderunt, sicut Seneca dixit; nullam esse datam parentibus legem amandi, & indulgendi liberis suis, quia parentes, natura duce, satis ad hoc trahuntur. Ea autem deficiente, si opus aggrediendum sit, virtute, & constantia opus est. Vnde virtus operarios suos strenuos, & constantes requirit, segnes autem, & leues reijcit: ex quo, & illud benè dictum est, virtutem sine constantia viduam esse. Non ergo sufficit ad virtutem, eam cognoscere, æstimare, desiderare, & ad eius consecutionem intendere, nisi etiam animus ad superandas difficultates, robur, & constantiam induat: hoc Philosophi dixerunt, & quidem sapienter ex intrinseca naturæ aduersus virtutem repugnantia. At quid dixissent de eo,

qui,

qui virtutes, tum in se ipso, tũ in alijs inserere debet, contra uerò illi foris pugnæ, intus timores? *Noli quærere fieri Iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitatem*: idest, si tibi non sufficiat animus aduersa quæq; superandi, & acriter pugnandi, aliorum regimen, non suscipias. Ecclesiastici Ducis prima laus, prima virtus fortitudo, & constantia est. Quare Christus constructurus Ecclesiam Petro dixit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, supra petram durissimam, quæ malleorum ictibus non cedit, Ecclesia ædificata est, non super arenam, quia qui Ecclesiæ præesse vult, fortis, & constans in bono sit, necesse est: extant Domini verba apud Hieremiam, *Ecce ego dedi te hodie in Ciuitatem munitam, in columnam ferream, & murum æneum, super omnem terram Regibus Iuda, & Principibus eius; bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum*: & apud Ezechielem *Ecce dedi frontem tuam ualentiorem frontibus eorum, ut adamantem, ut silicem dedi faciem tuam*. Neq; magis indecorum, & indignum est, quàm Ecclesiasticum Prælatum ad sonitum tubæ, quæ hostes appropinquare demonstrat, bellumq; indicit, trepidare, & dare terga. Deplorauit hanc inconstantiam in Sacerdotibus Hieremias; *Filij, Sion incliti, & amicti auro purissimo, quomodo commutati sunt in vasa testea, opus manuum figuli*: vertuntur enim sicut terra mollis in omnes figuras.

Eccl. 7. Mat. 16. Hierem. 1. Ezech. 3. Tren. 4.

Nec aduertunt Sacerdotes isti ita timidi, & pusillanimes, hanc esse Demonis artem, vt eos terreat huiusmodi laruis ad impediendum spiritualem profectum in subditis, cum enim timorem Domini ab illis auferre non possit, saltem facit illos vana timere, & animo cadere ob difficultates, & pericula obiecta, vt quod semel mente sancta conceperunt, inani timore perculsi numquam in lucem edant; vt superius Gregorij auctoritate monstrauimus. Confirmatur exemplo filiorum Israel, quorum exploratores, prius exterriti alios etiam exterruerunt, & sic omnes, paucis exceptis, promissionis terra priuati sunt. Agnoscenda est igitur Sathanæ calliditas, atq; omni mentis conatu resistendum, ne à recto declines: gallina numquam filios suos educet, si vbi primo super oua incubare cæperit, vel prætædio, vel aliquo timore exterrita deserat.

Lib. 31. Mor. c. 29.

Præterea Christiano viro Sacerdotiq; in primis nihil timendum est, præter peccatum, & plus timendus Deus, ne offendatur, aut eius Ecclesia lædatur, aut impediatur salus animarum, quam omnia mala, quoniam ex D. Chrysostomo *Nihil aliud est triste, nisi Deum offendere, non persecutiones, non conspirationes, non contumeliæ, non flagella, non deniq; ipsa mors, quia hoc solum malum est*. & Christus discipulos monens. *Nolite* (inquit) *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennã*. Innuitur idem à D. Chrysostomo in hæc ipsa Christi verba exemplo trium puerorum. *Tunc fornax accensa erat septuplum, quàm moris erat accendi: illi verò hanc contempserunt, peccatum autem timuerunt*: sed quod Chrysostomus docuit, factis ipsis comprobauit; cui cùm Eudoxia Imperatrix Arcadij coniux per suos legatos multas minas intentaret, eo quod iniquis eius conatibus se opposuisset, legati ei responderunt: frustra illum hominem terres, nihil ille, nisi peccatum timet. Chrysostomum optimè imitatus est S. Carolus, qui tantæ fuit con-

Hom. 25. ad Pop. Ant. Mat. 10. Hom. 6. ad Pop. Ant. Metaphr. in vita.

constantiæ, & fortitudinis, vt nullis vnquam minis, aut periculis nullo amoris obtentu, neq; suorum gratia à sanctis suis institutis dimoueri potuerit, imo dicebat, qui Deo verè seruiret, tunc ei esse maximè sperandũ: cùm extenuata maximè spes humano iuditio putaretur. Hinc Tertulia-
De corona militis. nus: *Nulla est necessitas delinquendi, quibus una est necessitas non delinquendi.*
Serm. 14. in ps. 118. Procul itaquè *abigendi sunt timores* (ait D. Ambrosius) *quia, qua iusta sunt, dura non sunt.* Sed nihil gloriosius, quàm omnia mala perpeti, vt vel vnum tantum peccatum euitetur à nobis, vel in alijs impediatur, ne offendatur Deus. Sed causatur hic timor, & inconstantia in Sacerdote ex deffectu
Serm. 9. in ps. 118. charitatis. *Generaliter enim charitas excludit timorem* (inquit D. Ambrosius) *vt miles, qui Imperatorem diligit, bella pro Imperatore susceptà nõ metuit, vt seruus amans Dominum quamuis per dubia, & prærupta mittatur, tamen omnia pericula Domini amore contemnit; ac si quis Dominum petat, se ipsum offerre non trepidat, & qui trans mare positos filios videre desiderat, non metuit naufragia liberorum charitate, ingreditur maris fluctus, subit in certa nauigij, sed metum discriminis leuant desideria filiorum. Ita Paulus: Quis ergo separabit nos à charitate Christi? hæc* omnia Ambrosius. Timent ergo, & quauis proposita difficultate nõ tantũ deterrentur, sed à bono suscepto desistunt, quia Deum verè non diligunt. Paruus ignis, qualis est in lucerna, minimo quoq; flatu extinguitur: magnus autem ignis, maiore ventorũ impetus augetur. Ita amor, si verus sit, ex aduersitatibus recipit augumentum, & quo magis exagitatur, eò feruescit,
Lib. 2. de consideratione. & incalescit magis, quia ex sententia D. Bernardi. *Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa tribulatione.* Huiusmodi erat D. Pauli charitas, qui pro Christo in vincula coniectus, se vinctum potius nominare voluit, quàm Apostolum, vel Doctorem, quia, qui Christum verè amat, is planè nouit, nihil esse gloriosius, quàm pro eodem pati. Sed hoc animi robur, & firmitatem nequaquam habere poterit Sacerdos, nisi præclara quadam mentis altitudine terrena omnia despiciat, honores, uoluptates, diuitias, existimationem propter Dei gloriam, & salutem animarum; alioqui enim semper anxius, & pauidus erit, & quod ab ipso non impetrauit metus, obtinebit interdum magnatum auctoritas, uel habendi cupiditas. *Nihil in hoc mundo appetens,* (inquit Gregorius) *nihil pertimescens, videbar mihi in quadam rerum vertice stare, ita vt in me plene illud impletum crederem, quod pollicente Domino, ex Propheta didicissem: sustollam te super altitudinem terræ.* Qui enim in eminentissimo positus est cacumine, quæ spectat inferiora parua, & pusilla æstimat, nec rerum uicissitudine, & quasi iaculis tangitur, ita Sacerdos nihil hìc appetens, quæcumq; in hac uita euenire possunt, seipso inferiora ducit, neque illorum casibus mouetur, & perturbatur. Probatur exemplo D. Pauli, qui, quia crucifixus erat mundo, omnia arbitrabatur, ut stercora, sicque ita firmiter adhærebat Deo, ut creatura nulla à Christo illum dimouere posset; Hoc probè intellexit, atq; etiam exequutus est Chrysostomus, qui dum Constantinopoli excludebatur; his uerbis subditos suos compellauit. *Ego exilium non timeo, cùm Domini sit terra, nec mortem, qui sciam, quod mihi viuere Christus est, & mori lucrum, nec bona temporalia, cùm nihil in hunc mundum intulerim.*

Quo-

Quomodo se gerat mortis suæ tempore quo vitam hanc salutari, & exemplari fine concludat. Cap. XVI.


Vemadmodum autem nihili refert, onustum mercibus nauigium fæliciter quidem in portum usq; uehere, si postea ipsis penè portus faucibus naufragetur. ita nihil curatori proderit totum uitæ suæ cursum, inter tot difficultates, & discrimina laudabiliter transegisse, si in morte, ubi summa salutis consistit, miserè labatur, & depereat. Facilè namq; tunc iacturam salutis pati solent homines, ob innumera pericula aperta, & occulta. Quare magno etiam studio, & animi præparatione opus est.

Curabit igitur inprimis, ut maturè, hilariq; animo terrena hæc omnia contemnere incipiat, ne in morte, anxiũ miserè torqueant, & excrucient; cum non tantum, mors ipsa, sed memoria, sola nimis amara esse soleat homini habenti pacem in substantia sua. *Contemne viuens, quæ post mortem habere non poteris*, inquit D. Bernardus. Nam si verè cogitemus, & si omnium hominum uita nihil aliud sit ab eius exordio usq; ad extremum terminũ quàm perpetua colluctatio cum hostibus; pręcipuè tamen cum ex hac vita migrandum est, ob infensiores Dæmonum impetus, qui pugnam hanc nimis ancipitem, & formidabilem reddunt; atqui hostes, quibus cum certamen ineundum erit, nudi nos aggredientur: nudos ergo cum nudis luctari tunc necesse est. Si enim vestitus quispiam athleta cum nudo decertet, citius vestis onere implicatus ad terram deijcitur, & verò quid sunt terrena omnia, nisi quædam indumenta corporis? prius ergo quam in arenam sacerdos descendat, terrenorum affectum exuat, ne miserè mox succumbat. Declarauit hoc Paulus eius proposito exemplo, qui in stadio currit, cui hæc prima cura est, vt se illis omnibus expediat, quę cursum possunt retardare, ea verò adiumenta cõquirat, quæ ad celeriorem cursum conferant. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, etiam à certis cibis, etiam à coniugio, & hic quidem, vt corruptibilem coronam accipiat, quantò magis nos, vt incorruptam, & immarcessibilem consequamur à rerum terrenarum amore abstinere debemus? ne quid sit, quod in tam periculoso stadio animas nostras detineat, & prægrauet.

Ser. 53. de modo bene uiuendi.

1. Corin. 9.

Præterea, qui hac despicientia rerum humanarum extremam vitæ suæ horam præuenit, maximis angustijs, & pressuris liberatur, non eum angit diuitiarum amissio, non discessus à propinquis, non cura commodorum; quia hæc omnia, non tamquam sua reputauit, imò iam ante reliquit affectu. *Sed quis mortuus, mori potest?* (Inquit Ambrosius,) *nisi prius animam accipiat, vt iterum mori possit*, & subdit, *illi sunt Beati, & illi in Domino moriuntur, qui prius moriuntur sæculo, & postea carni, qui prius veterem hominem cum suis concupiscentijs in se extinguunt, vt dicere possint cum Apostolo; mihi mundus crucifixus est; & ego mundo.*

In Hunc locum.

Ad Gal. 6.

Neque verò multum graue fuerit Sacerdoti, ad hanc altitudinem mentis

tis pertingere, vt hæc omnia subtus se habeat, omnia despiciat, si harum rerum naturam consideret: quàm scilicet instabiles sint, quàm inanes, imo quàm sæpè damnosæ, & noxiæ ipsis præsertim sacerdotibus, si illis cor apponatur? Sapienter enim D. Bernardus, *Quid tibi insipiens delitiæ sapiunt, quid diuitiæ illæ cæcos oblectant oculos, quibus mercaris tam graue Iuditium, e im dura te ipsum obligas rationi*. Quis ergo tàm insanus est, vt in ijs rebus cor apponat, quæ & breui relinquendę sunt, & æternæ salutis itineri officere possunt, Quare valet hic D. Ambrosij argumentum. *Si Euangelio Domini etiam populus ipse ad despicientiam opum informatur, atq; institutus est; quantò magis nos leuitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio est?*

Ser. Ecce. nos.

Verùm non est satis ad velociter, & expeditè currendum, vno tantùm ratem pondere leuasse, si alio adhuc grauiori teneatur; quia ex Apostoli sententia: ab omnibus se abstinet, qui in agone contendit. Parùm est, si cũ sacerdos, se terrenarum rerum affectu expoliauit, immoderato agnatorum affectu irretitus teneatur: qui sanè affectus talis esse solet impedimenti in mortis certamine, vt multi ab eo turpiter victi, & superati non leuia de sua salute ambigendi argumenta, præbuerint. Etenim, si verè creditur, quod à sanctis Patribus traditum est; ijs præsertim machinis Dæmonem morientem hominem aggredi, quibus viuentem aliquando prostrauit; si dum viueret Sacerdos, ita tenaciter consanguineis erat affixus, vt magis de temporali illorum commodo, quàm de propria salute laboraret: quid erit in extremo vitæ exitu, cùm ab illis discedendum erit, nec vltra à se ditandos viderit? profectò hoc fiet, vt dum totus est in distribuenda inter ipsos temporali facultate, quam secum auatus sacerdos, ferre non potest, dum dolet, & angitur ob suum discessum ab agnatis, volat irreuocabile tempus, sicq; sui ipsius immemor, & obliuiosus ex hac vita discedat, magis inter propinquorum, quàm Christi amplexus.

Vincat itaq; naturalem hunc affectum, viuens, dum mentis est compos, ijsq; præsidijs, se muniat, quæ supra posuimus.

Qui verò in hac parte errare nolit, viuens sibi haud thesaurizet thesauros in terra, vbi fures effodiunt, & furantur, & si desunt fures, non desunt parentes, qui diripiant; sed thesaurizet sibi thesauros in Cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur: Christus enim à Pastore non aurum, & argentum quærit, sed animas: & uerus thesaurus Sacerdotis est multorum meritorum, in salute animarum procuranda copiosa congregatio. Tùm deinde, quia in diuitijs, vel acquirendis, vel augendis multa incidunt peccata, quæ difficilè præcauentur, cùm dicat Apostolus, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & in desideria multa vana, & inutilia, quæ mergunt hominem in perditionem, & in interitum*: quibus Apostoli uerbis edoctus Magnus Gregorius; rarum ualdè esse dixit, ut qui aurum possident, ad requiem tendant, nam dum multiplicandis diuitijs inhiant, quæ alterius uitæ gaudia sunt, spernunt. Tùm denique, quia cùm Sacerdos nihil habeat, quod consanguineis distribuendum relinquat, infinitis se curis, & molestijs expedit, non eum anget testamenti condendi cura, vel familiæ ordinandæ, non importunæ preces, & offitia agnatorum cùm nihil uiderint, quo frui, vel ditari possint.

1. Timot 6.

Lib. 4. mor. cap. 3.

Pro-

Proderit etiam ualde pro hac cordis, & animi tranquillitate tuenda, hoc nouissimo tempore, si consanguinei ab aspectu sacerdotis ægrotantis arceantur, ne naturalis hæc propensio erga sanguine iunctos, ipsius mentem, & affectum à sui finis aduentantis consideratione deuiet.

Si uerò temporalia bona supersint, de quibus testari, & disponere necesse sit, hoc maturè faciat, neq; ad extremum usq; protrahat: nam tempus illud totum propriæ saluti dandum est, & laborans in extremis, non ita liberè de sua mente disponit, in legatis condendis præsertim, quia uel à consanguineis impeditur aliquando, qui omni quo possunt modo Sacerdotis propositum, uel immutare, uel etiam impedire conantur, uel etiam quod facilè, tunc euenit, cum ob uim ægritudinis operam consanguineorum sibi utilem, & necessariam uideat, facilè est, aliquo carnis, & sanguinis affectu vinci, & superari, qui temporale illorum commodum propriæ saluti præponat. Quæ omnia impedimenta, & pericula euitantur, si maturè disponat domi suæ, probatæ vitæ viris in consilium adhibitis.

In distribuendis autem facultatibus, quæ ex Christi patrimonio conflatæ sunt, caueat diligenter, ne consanguineos minimè indigentes animæ propriæ, & Ecclesiæ anteponat: si autem indigentes sint, meo quidem iuditio, adhuc primam, & ampliorem partem, in suffragium animæ suæ conferat, aliam in pios Ecclesiæ vsus, reliquam consanguineis charitatis ergo relinquat. Do causas, Prima est, quia sibi primò consulendum esse charitas ipsa docet, & summa necessitas, quæ post mortem sequitur in Purgatorio vrget, immo stolidissimi hominis esset, tēporale aliorum commodum curare velle, propriæ verò animæ necessitatem spernere. *Infelicissime omnium*, inquit, Saluianus Episcopus Massiliensis, *cogitas, quàm benè alij post te viuant, non cogitas, quàm malè ipse moriaris. Dic mihi quæso ò miser, & infidelis cum multis patrimonium tuum diuidas, cum multos facultatibus tuis dites, nunquid de solo te es tàm male meritus; vt tibi nec inter extraneos nomen facias hæredis?* Lib. 3.

Neq; est quod dicas, te habere propinquos, quorum voluntatem erga te bene affectam in hac vita multis argumentis exploratam habuisti, sperare te propterea etiam post mortem spiritualibus obsequijs, tibi suffragaturos, quia experientia ipsa satis apertè declarat, raros admodum esse, qui eadem dilectionis sinceritate defunctum Sacerdotem prosequantur, qua viuentem fouebant, dum illius præsentia, & opibus ditabantur: rectè Dauid. *Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt, & qui iuxta me erant, de longe steterunt.* Quare aliena fide niti in re tanti momenti, cùm tu ipse præstare possis, non est hominis prudentis, vbi quæuis dilatio, & procrastinatio supplitium auget, & tormentum. Ps. 37.

Post hæc, est aliquid collocandum in ornatum suæ Ecclesiæ vel subsidiū pauperum: solent enim hęc, quæ foris extant, charitatis monumenta mirū in modum Sacerdotis integritatem commendare, & esse multis ædificationi, & exemplo. Præterquàm quod æquitas requirit, vt quæsita à Sacerdote de bonis Ecclesiæ eidem Ecclesiæ cedant. *Ob id vetus Ecclesiæ consuetudo fuit* (inquit Cardinalis Baronius) *vt quæsita ab Episcopis ex bonis Ecclesiæ eidem Ecclesiæ cederent, nec in alios quouis titulo transferebantur.* Quam

quidem laudabilem consuetudinem, quam plurimi Præsules secuti sunt, qui non agnatos, sed Christum in Ecclesijs, vel in pauperibus hæredem constituerunt, quorum omnium instar sit vnus S. Carolus, vt ex eius gestorum lectione patere potest.

Atq; hic strenuè pellendus est ille timor inanis, seu potius Dæmonis tentatio, qua perculsus Sacerdos falsò sibi persuadet, si vel totam, vel maiorem partem suarum facultatum, ex bonis Ecclesiæ pauperibus, aut Ecclesiæ relinquat, fore, vt propinqui, & eorum familiæ ad nihilum deueniant; potius enim contrarium euenisse experientia testatur: quot enim sunt domus, & familiæ patrimonio Christi locupletatæ, & adauctæ; quarum tituli, & memoria penitus extincta, & sepulta est? E contra aũt, quot familiæ locupletatæ fuerunt, ex quibus Sacerdotes erga illas ita moderati fuere, vt nihil illis prorsus dederint, totũ verò Ecclesiæ, & pauperibus reliquerint? Neq; hoc mirum cuiquam videri debet. Nam, si Sacerdos, vt Christum in Ecclesia, vel in pauperibus suorum bonorũ hæredẽ constituat, eos qui carnis vinculo sibi cõiuncti sunt, exhæredauit, nonne hoc est Deum ipsum ad familiæ suæ patrocinium suscipiendum obligare? Atq; hic modus optimus est familias tuendi, & ditandi, Deo scilicet, vti fideli dispensatori consignare opes, quas postea liberalissimus Deus, vt expedire viderit, abundantius restituet, piam Sacerdotis mentem etiam in ipsius agnatis compensans.

Verùm ne nimis seuerè agere videamur, dum consanguineos omnino à Sacerdote, eo tempore deserendos dicimus, id vnum monuerim, vt prima, & præcipua cura Sacerdoti sit, quomodo hic, & post hanc vitam spiritualiter sibi suffragetur, cum nihil illi carius esse debeat, anima propria.

Cœterùm, si consanguinei indigentes sint, subueniendum etiam est illorum egestati eleemosinæ titulo, & vt operis meritum augeatur, non ita liberè, bona sua illis relinquat, vt eis abuti, & ad libitum suum effundere liceat; hæc enim licentia multa ad malum incitamenta dedit: vnde nec leuis macula integritati defuncti Sacerdotis quandoq; irrogata est, sed certis præscriptis legibus, & terminis, nempè vt nubiles fœminæ matrimonio iungantur pro Deo, iungendis virginibus, pro pia, & religiosa puerorum educatione, & cœteris huiusmodi ex quibus præter meritum in dando, vlterior etiam operis merces ob progressum aliorum expectatur.

Sed quæ hactenus diximus, eo ferè spectant, ut domus exterior bene disponatur. Maior cura, & diligentia ponenda est in interiori domo disponenda, ut tamquam fidelis seruus, cùm Dominus venerit, & pulsauerit ianuam, uigilantem inueniat, cumq; supra omnia bona sua constituat.

Quod facilè assequetur, si non imparatus ad hanc horam extremam perueniat, quin potius quotidie, hoc sibi euenire posse, propter huius uitæ fragilitatem, reputet, nulla enim maior est preparatio ad mortem, quàm assidua, & seria ipsius mortis præmeditatio. Sicut religiosus quidam è Franciscana familia à Medicis admonitus, ut se ad mortem compararet respondit. *Ego verò nihil egi toto hoc tempore, quo habitum hunc gestaui, quàm hoc ipsum, vt ad hanc migrationem paratus essem.* Quod facilè erit Sacerdoti cum quotidie inter morientes, & uita defunctos uersetur. *Videte, vigilate, & orate*, (inquit Christus) *nescitis enim, quando tempus sit, sicut homo, qui pere-* Marci. 13.

grè

gre profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusq; operis, & ianitori præcepit, vt vigilet. Cur ianitori hoc præsertim præcipitur, quia uigil, & ianitor non modo curæ suæ traditos ad opera excitare debet, & ad Domini aduentum excipiendum, sed & pro se ipso uigilare debet cum, & ipse mortalis sit, & exactissimæ obnoxius rationi. Vnde scriptum est. *Discite Iudices finium terræ, præbete aures, qui continetis multitudines, quia data est vobis potestas à Domino, & virtus ab Altissimo, qui interrogat opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quia cum essetis ministri Regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, nec secundum voluntatem eius ambulastis. Horrendè, & cito apparebit vobis, quoniam iuditium durissimum fiet his, qui præsunt.* Sap. 6.

Valde etiam proderit, si sępius in Missæ sacrificio Deum exoret, ut ad piam, & religiosam mortem uitam suam disponat.

Præterea ita se componat, & gerat in infirmitate, vt nihil dicat, uel faciat ob impatientiam in ferenda ui morbi, quod offensionem præbeat; solent enim homines, Sacerdotis sui actiones omnes ita obseruare, ut nihil prætereat sine censura, ac præcipuè in extremo uitæ, cum laus uniuscuiusq; in fine canatur, sed potius hilari, & constanti animo ægritudinem ferat: gaudeat sciens, quò citius corporis uincula dissoluentur, citius etiam, se futurum cum Christo, sicut de multis Sacerdotibus insignis sanctitatis narratur, qui instante tempore suæ resolutionis, etsi grauissimis præmerentur doloribus, uoces tamen emittebant lætantis, & gestientis animi.

Optimumq; præcipuè fuerit, si maturo tempore, se sanctissimis Sacramentis munierit, & in illorum perceptione præclarum aliquod deuotionis, & religionis gregi suo exemplum præbuerit. Si quantum uis morbi, & imbecillitas uirium tulerit, accedentes ad se salutaribus uerbis instruat, & paterna documenta relinquat: ualent enim multum monita patris, quæ mors concludit, & bonum exemplum Pastoris in extremo uitæ maximè populum ad omne uirtutis genus excitat. Habeat etiam spiritualem aliquem uirum, cuius opera, & assistentia in hoc tam dubio, & ancipiti itinere feliciter peragendo utatur. Hæc sunt ex multis, quæ esse possunt adiumento Sacerdoti, ut extremum illum uitę actum feliciter, & exemplariter concludat.



ADIVMENTA

Ad Tertiam Partem.



Rdinem in vna quaq; re peragenda necessarium esse, in primis autem in spirituali profectu procurando communiter omnes intelligunt: liquidò enim apparet, nec illud simpliciter bonum esse, quod ordine careat, nec illum in virtute proficere, qui nullo habito respectu temporis, loci, propriarumq; uirium quouis spiritu, se, quasi in incertum, trahi sinit. Quare vitæ spiritualis institutores, non tantum virtutum exertitia comendarunt, sed etiam quo ordine, quauè regula in illis insistendū esset demonstrarunt. Visum mihi propterea fuit, regulam quamdam tibi præscribere quotidianæ exercitationis à mane, vsq; ad vesperam quantum tamen solicitudo tuæ Ecclesiæ, & animarum tibi permittet, ne frustra tempus conteras, sed proficias de virtute in virtutem.

Primo autem postquam surrexeris à lecto mentalis orationis studio tibi statim vacandum erit, vnius saltem horæ spatio. Quod sanè tempus omnibus humanis occupationibus præferendum erit; cùm oratio totius diei actiones dirigat, & perficiat, uirtutem impetret ad labores pastorales alacriter perferendos: quod si ob spiritualem animarum necessitatem aliò uoceris, in aliam horam, non in alium diem orationem differre poteris; præsertim, cum Dæmon, qui orationis infensissimus est multa obijciat negotia, etiam, sub specie boni, ut tantum bonum impediat, sicut nos monuit D. Basilius illis uerbis: *Habent enim morem hunc Dæmones, vt faciendæ orationis temporibus, per speciosam, scilicet aliquam laudabilis causę alicuius simulationem nobis sedulò auctores sint, vt ab ea nos subducamus; vt quam salutem nobis afferre intelligant, ab ea nos probabiliter abducant.* Vt igitur hæc Sathanæ fraus eludatur, primam diei horam ipsa luce albescente orationi, & meditationi dabis: post enim illud tempus domestica uel alia negotia occurrunt, quæ tempus præripiunt.

Ser. de abdic. rer.

Post orationem recitabis diuinum officium; optima enim dispositio pie, & fructuosè canonicas horas recitandi est, si præcedat oratio; & idcirco, tam *desides, & tepidi sumus* (inquit D. Bonauentura) *in recitando diuino offitio, quia ante non sumus in aliqua deuotione excitati: & sicut intrauimus frigidi, eximus corde dissoluti.* Et dum psallis, Deum ubi præsentē, immo & totam cælestem curiam astantem: & audientem attendas. Quare psalles spiritu, & mente, ita scilicet, ut ad uerba, quæ dicis, uel ad sensum eorum attendas, affectum, cum affectu psalmi accommodans, ut monet D. Augustinus. *Si orat, psalmus, ait, orate: si gemit, gemite, & si gratulatur gaudete, & si sperat, sperate, & si timet, timete.* Curabis etiam, ut congruo tempore, iuxta Ecclesiæ consuetudinem, diuinum offitium recites; si enim princeps facilè indignatur, & irascitur, cùm serui, uel nimis celeriter, uel nimis tardè sua imperata exequuntur: quantò iustitiùs indignabitur Deus, si impor

Trac. de int. domo c. 5.

tuno

tuno tempore sua ministeria præstes, nulla legitima causa existente.

Deinde per aliquod tẽporis spatiũ uacabis studio sacræ Scripturæ, & lectioni sanctorũ patrũ, hæc enim scientia cor incendit, intellectũ illuminat, & pabula subministrat, quibus grex spiritualis uerè pascitur, & nutritur; modò in hoc studio non quæratur curiositas, sed utilitas: non enim ad solã notitiã, sed ad opus, quod legitur ordinandum est. Aliquam etiam partem temporis pones in studio casuum conscientiæ, ut tùm tuæ, tùm aliorum saluti securiùs consulere ualeas. Neq; se excuset Sacerdos ex nimia occupatione; uidemus enim quotidie homines satis occupatos, res tamen suas, & negotia ita disponere, ut ad reficiendum spiritum hac sacra lectione quotidie nunquam eis tempus commodum, & quietum deficiat, cur hoc idem, & ipse non præstabis; & si mane aliqua occupatio tempus absorbeat, uespertino, aut meridiano tempore aliquam horam insumes, ita ut nulla dies abeat sine sua linea.

Mox ad missam celebrandam, & ad alias Pastorales functiones te parabis, quas, vt diligentiùs, & solicitius exerceas, hæc duo tibi ante oculos pone: multos esse operarios, & ministros in Ecclesia, sed fideles, & strenuos admodum paucos, plures autem, qui suis commodis magis, quàm Dei seruitio, & animarum saluti intendant; inter quos, ne, & ipse connumereris, nihil in tuo munere obeundo, nisi Dei gloriam, & Animarum salutem spectabis: atq; re ipsa exequeris, quod non erit difficile, si immensum præmium recogitabis, quo in Cælis fidelis Christi minister coronandus erit. Alterum est, vt peculiare studium, & certam animi applicationem adhibeas in functionibus, vt perfectiores euadant.

Post prandium, quoniam corpore refecto, caro magis aduersus spiritũ, inualescit, & ad otium nos incitat, danda opera est, vt post aliquam honestam relaxationem aliquid vtile faciendum suscipias illud D. Ambrosij semper mente retinens: *Non otio, non somno, mercedem parari, nullum esse opus dormientis, nullum fructum otij, immo magis dispendium*. Quod meridianum tempus, vt fructuose transigatur, tria consulimus. *Lib. 10. ep. 62.*

Primo attentam lectionem alicuius libri spiritualis ex illis, quibus instruimur in via perfectionis. neq; putet Sacerdos, hoc solum imperitis conuenire, nam quis est, qui D. Thomæ Aquinatis diuinam sapientiam, & doctrinam non agnoscat, qui non minus in Ecclesia ob doctrinam, quam ob sanctitatem præluxit. De hoc tam erudito, & sancto viro hæc scripta sunt. *Est autem hoc quoq; in sancto viro memorabile, quod, cum ei esset integrum, libenter solitus fuerit aliquid in Patrum collationibus lectitare, ne ex rerum subtilium speculatione affectus eius non nihil tepesceret, possetq; rursus facilius sese ad diuina contemplanda colligere, & erigere.* Sancti Dominici exemplũ secutus, quem eiusmodi librorum lectione constat magnopere fuisse delectatum, & ad magnam vitæ perfectionem incitatum. Præterea quæ in huiusmodi libris continentur, cum magis vsu, & experientia, quàm inani studio speculationis sancti didicerint, magis spiritus incenditur, & maior sapientia ad se ipsum, & alios etiam erudiendos percipitur. Meritò proinde D. Bonauentura. *lege sanctorum vitam, & doctrinam, vt in comparatione illorum semper humilieris, & instruaris, & accendaris ad deuotionem, & prouoceris ad studium,* *In trac. de inferm. nouit. c. 24.*

dium, vt scias discernere verum à falso, bonum à malo; vitium à virtute, remedia tentationum, & vitiorum.

Secundo dabis aliquam partem temporis venerationi, & deuotioni intemeratæ Dei Genetricis Mariæ, vel Psalterium in eius honorem institutum recitando, vel rosarium, vel etiam per aliquod exercitium orationis mentalis, per quam ad ipsam tamquam ad pijssimam matrem confugias, & cũ ea tuas, gregisq; tui necessitates omni cordis fiducia communices: quis enim est, qui matris Dei amore tangtaur, qui non erga eandem quotidie aliquam gratitudinis, & deuotionis significationem ostendat.

Tertio post recitationem vesperarum poteris ægrotos tuæ Parochiæ inuisere (nisi vt id prius præstes necessitas exigat) maxime si pauperes sint; in quotidiana enim visitatione infirmorum maxima, tum tua, tum populi vtilitas inest: tua quidem, quia tuo fungeris munere, cum veri Pastoris sit infirmos visitare, & quod confractum est alligare, præter peccatorum venialium remissionem, quæ ægrotos visitantibus nominatim tribuitur, vt
Hom. 8. testis est Sanctus Cæsarius Arelatensis; *quibus* (inquit) *operibus peccata minuta redimantur, plenius vobis insinuare desidero. Quoties infirmos visitamus*; est etiam ipsorum infirmorum vtilitas, quia quandoq; spiritualis illorum salus negligitur, vel propter incuriam propinquorum, vel propter infirmi proteruiam, qui spe longioris vitæ pœnitentiam protrahit, quæ omnia mala quotidiana cura, & visitatione facilè auertuntur.

Vbi autem ad finem diei ventum erit, si ratio temporis requirat, rursus collige te ipsum, & denuo ad studium sacræ scripturæ te accinge, in quo duas, vel plures horas insumes, ea præcipuè parando, quæ pro concione ad populum vsui esse possint.

Ante cubitum auté, ne te ad somnum componas, nisi prius diligenti, facta discussione propriæ conscientiȩ: talis namq; examinatio in eo præsertim, qui cæteris præest, maximi momenti est, ut munus suũ perfectè obeat.
Serm. 6. Rationem reddit sanctus Dorotheus. *Cum sæpenumero, ac plurimũ peccemus, & quam facillimè obliuiscamur, opus est frequentissimè, ac singulis horis, nos ipsos exquirere, rimari, ac præscrutari diligentissimè.* Quæ duȩ causæ, procliuitas scilicet ad peccandum, & obliuio, magis timendæ sunt in Curatore animarũ, in cuius statu multa sunt irritamenta ad malum; & ob multas occupationes facilè etiam obrepit obliuio.

Adde etiam tantam debere esse integritatem, & candorem conscientiæ Sacerdotis vt nullam labem, & maculam sciat. Iuuat igitur conscientiam quotidie discutere, ne Deus inueniat, quod iurè condemnet. & quẽadmodum seruus rem Domini sui administrans, codicem habet, in quo omnem expensam, ac datum describit; hunc sæpius reuoluit, & considerat, sic Sacerdos, si rẽ Domini sui, vti debet, fideliter gerere velit, quòd idẽ faciat necesse est: hinc enim culparum debita pœnitentia diluit, defectus corrigit, magisq; in dies in virtute proficiendi incitamentum sumit. Aquiritur etiam prudentia ex quotidiana discussione, quam tantopere in Præfecto animarum commendamus, nam qui se ipsum inuestigat, & operum suorum initia, & finem considerat, discit quomodo sibi viuendum sit, & quæ agenda, & quæ vitanda. Docuit hoc B. Laurentius Iustinianus. *Redi*

per

per considerationem ad cor tuum, quisquis es, qui sapientiam, & prudentiam cupis adipisci: Discute assidue te ipsum, considera vnde venis, quò vadis, quomodo viuis, quantum quotidie proficis, quantum deficis, quibus cogitationibus incursaris, qualibus affectibus frequentius tangeris, vel quibus tentationum machinis à maligno spiritu magis impugnaris, quia eò certius, & citius ad calorem prudentiæ proficies, quo statum interioris hominis considerando plus cognosces. Claudo hæc omnia D. Bernardi verbis. *Discito, ò frater, tibi praeesse, & vitam ordinare, mores componere, temetipsum iudicare, apud temetipsum accusare, sæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat iudicans iustitia, stet rea, & temet ipsum accusans conscientia, nemo te plus diligit, nemo fidelius iudicabit. Mane præteritæ, noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tibi indicito canonem. Vespere præteritæ diei rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionem, sic benè cõposito numquam aliunde lasciuire vacabit*, sic Bernardus.

In ligno vitæ cap 6.

Ad fratres de monte Dei.

Et si velis, vt commoditati tuæ consulens specialia aliqua capita, pro meditatione proponam pro ferialibus tantum diebus libenter id faciam: nam Dominicis diebus euangelij lectio, dum sermonem ad populum parabis, meditationis argumentum subministrabit, atq; hic optimus est prædicandi modus, vt prius degustes fercula, quæ ouibus tuis es appositurus, & per meditationem prius in te sorbeas, antequam per linguam in proximos refundas. Idem seruabis in festis sanctorum, ex illorum vita singularem aliquam virtutem excipiens, quam tibi ad imitandum, & meditandum proponas.

Sed cum maximi intersit, tùm ad tuam, tùm ad aliorum salutem procurandam, vt accerrimus sis vitiorum insectator, maximè autem cuiuscumq; peccati mortalis, quò facilius illud à teipso, & à tuo grege exulare facias, hic enim est primus gradus (recedere scilicet à malo) ideo illius turpitudo, & malitia sæpius tibi consideranda est.

MEDITATIO PRIMA.

I. Peccatum mortale essentialiter est malum, & ita malum, vt nihil prorsus in eo insit, quod non sit malum. Omnes creaturæ aliquid bonitatis participant, præter peccatum mortale, contrariatur enim Deo, qui est summe bonus, sicut Moysi dixerat: *Ostendam tibi omne bonum.* *Gen. 6.*

II. Deus nihil odit, nisi peccatum mortale, non serpentes venenatos, nõ mortem ipsam, quia hæc bona est, & Deus non potest odisse quidquam eorum, quæ ipse fecit, solum peccatum, cum à Deo non sit, summò odio insequitur.

III. Imò, & eos detestatur, & à se elongat longius, in quibus peccatum inhabitat, quod in Angelis malis, & Adam videre est. *Vere odio est Deo impius, & impietas eius.* *Eccl. 12.*

IV. Et cũ peccare sit recedere, & separare se à Deo, vt est apud Isaiam. *Peccata vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum;* hoc quantum malum sit, ex hoc colliges, quia fons omnis bonitatis, & beatitudinis est ipse Deus, Vnde Dauid. *Mihi autẽ adhærere Deo bonũ est, ergo qui elongant se à te, peribũt.* *Is. 59.* *Ps. 72.*

V. Est peius ipso inferno, nam infernus non esset, si non esset peccatum,

&

& cum Deus ob suam misericordiam nos puniat citra condignum; malitia peccati supplicij grauitatem superat. Quare illud pie, ac sapienter dictum est ab Anselmo. *Si hinc peccati pudorem, hinc gehenæ horrorem cernerem, & necessario vni earum deberê immergi, prius me in infernum immergerê, quàm peccatum admitterem: mallem enim purus à peccato, & innocens gehenam intrare, quàm sorde pollutus cælorum regna tenere.*

VI. Ex remedio, quo ipse Dei filius pro peccato satisfecit, illius grauitatem intelliges, nec enim aliter Christus Diuinæ iustitiæ satisfecit, quam
Ser. 3. de Nat. acerbissima morte, sic D. Bernardus. *Agnosce, quàm grauia sint vulnera peccatorum, pro quibus necesse fuit, Christum Dominum vulnerari, si non essent hæc ad mortem, & ad mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio filius hominis moreretur.*

SECVNDA MEDITATIO.

I. Magna quoq; est malitia peccati mortalis, quia auertit hominem ab ipso Deo, propter quem formatus est, ipsiusq; voluntatem diuinæ voluntati anteponit, facitq; magis adhærere creaturæ, quam ipsi creatori. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit ad te semper.* Psal. 73.

II. Et propter res vilissimas, propter stercora peccator Deum suum derelinquit, sicut Esau, qui propter edulium lentis vendidit primitiua sua. Quid enim sunt diuitiæ, dignitates, voluptates; nisi vanitas vanitatum, & afflictio spiritus? & tamē magis istis, quàm ipsi Deo adhærere vult peccator.
Hier. 2. *Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

III. Sed quis es tu, qui Deum offendis, nisi vermis; & in illum peccas, à quo es, & à quo tot beneficia accepisti, & quotidie accipis? summa iniqui-
Deut. 32. tas peccati est, quia peccator est ingratus, *Generatio praua, & peruersa, hæccine reddis Domino tuo, populæ stulte, & insipiens; Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, fecit, & creauit te.*

IV. Sed pœna peccato mortali proposita illius grauitatem indicat, est enim duplex, pœna sensus vna (quis enim multitudinem, & acerbitatem pœnarum inferni poterit explicare, cum in omnibus sensibus, & potentijs peccator punietur) Altera erit pœna damni, longe grauior, priuatione scilicet in perpetuum diuinæ visionis, ad quam tamen homo creatus est, estq; illius tamquàm finis summum desiderium innatum in homine ipso fruendi. *Vide ergo quàm malum, & amarum sit, dereliquisse te Dominum Deum tuum.*

V. Adde, quòd quamuis anima à Deo creata sit, & tàm charo ipsi steterit, ob peccatum tuum perpetuò mortale cruciandam tradit, *Ite maledicti in ignem æternum.*

VI. Postremò tanta est grauitas peccati mortalis, vt illam quidem facilè committat homo, illam autem tollere, nisi per singularem Dei misericordiam non possit. *Perditio tua ex te est, salus autem tua tantum ex me:* & Dauid. *Nisi tu Domine adiuuisses me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.*

TER-

TERTIA MEDITATIO.

I. ET quò grauius est peccatum mortale, eò etiam, perniciosius est. Primò enim lædit corpus, quia nullum est peccatum, quod corporis valetudini valde non obsit, sicut de omnibus peccatis patet. *Non est sanitas in carne mea, nec est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum.*

II. Est continuus stimulus conscientiæ, qui non tantum animam, sed & corpus ipsum excruciat. Verissimum est illud D. Augustini. *Iussisti Domine, & sic est, vt omnis inordinatus animus ipse sibi sit pœna.* Lib.1. Conf. 17. *Cor impij, quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Prou.17.

III. Peccatum tollit gratiam Dei, per quam homo fit simillimus Deo, & capax æternæ felicitatis: e contra autem per peccatum inimicus Dei constituitur, reus æternæ damnationis, fitq; filius Diaboli. Vnde Ioannes, *Filioli nemo vos seducat, qui facit iustitiam iustus est, qui facit peccatum ex Diabolo est.* 1.Io.3.

IV. Ideo peccatum mors animæ proprie appellatur, quia eam spiritualiter perimit, expellendo ab ea Deum. Quare peccatum est sicut fulgur, quod vaginam integram interdum relinquit, sed petitum gladium consumit: sic peccatum animam perimit viuo corpore relicto. *Nomen habes quod viuis, & mortuus es.*

V. Et cùm nil aliud sit peccatum mortale, quam auersio à Deo, qui est lux, & splendor animę, & conuersio ad creaturas, Deo contempto, fit, vt decorem, & pulchritudinem suam amittat, fiatq; sicut ea, quæ dilexit. Thr.4. *Denigrata est super carbones, facies eius.* Et D. Bernardus addit. *Tria esse nigriora, & deformia omni malo, animam in peccato, Diabolum, & infernum.* Ser. 16. ad for.

VI. Et quod etiam execrabilius est; peccatum quantum in ipso est, occidit Deum: sic Bernardus loquens de propria voluntate, *In ipsum (horribile dictu) desæuit auctorem, nàm quantum in ipsa est, ipsum Deum perimit propria voluntas: omninò enim vellet Deum peccata sua, aut vendicare non posse, aut nolle, aut nescire, vult ergo Deum non esse.* Quæ maior peccati malitia. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.*

QVARTA MEDITATIO.

I. Dissipat fructum bonorum operum, quia quidquid boni operatur peccator, dum est in peccato mortali, neq; tunc, neq; vnquam & si resipiscat illi computabuntur ad æternã gloriam, quia opera nostra non ex seipsis valorem ad æternam mercedem habent, sed à Dei gratia: atq; hanc gratiam tollit peccatum. Ideo, *Bona iniquorum non probat altissimus.* Quod damnũ maximi æstimandum est. Eccl.34.

II. Et ipsa opera bona facta in gratia ita mortificat, vt quamdiu in peccato mortali quis perseuerat, nihil illi prosint ad vitam æternam, sintq; in obliuione apud Deum per illud tempus vt ipsemet testatur. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitates, omnis iustitiæ, quam fecerat, non recordabor, in pecca to suo morietur.* Ezech. 18.

III. Adeo graue est pondus peccati, vt nisi statim per pœnitentiã deleatur, statim in aliud trahat, & semper à malo in peius præcipitet, vt patet in Dauide, qui ab adulterio in homicidium cecidit.

IV. Priuat peccatum mortale participatione omnium bonorum, quæ fiunt in Ecclesia, cum sit membrum aridum, neq; potest cum Psalmista
Ps. 118. dicere, *Particeps sum ego omnium timentium te.*

V. Omnes potentiæ hominis per peccatum offenduntur: optimè enim
Hom. 30. ad pop. Ant. D. Chrisostomus. Ex peccato duplex quidem malum oriri, ait, vnum quò offendimus Deum, & alterum, quò offendimur ipsi, obscuratur intellectus,
Rom. 1. propterea peccatum fumo comparatur, *obscuratum est insipiens cor illorum*, debilitatur voluntas, quæ semper facilior, & procliuior redditur ad peccandum. Vnde Dauid. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorũ non est mecum.*

VI. Sed quod caput est peccatum mortale affert malam, immò pessimã mortem, idest vltimum exitium homini, & principium omnium malorum in omnem æternitatem. Et hæc omnia sine aliquo remedio. Igitur si natura duce, quod malum, est, ac nobis perniciosum fugimus, & auersamur, illud etiam ab alijs cauendum dicimus, cur non fugies peccatum, fontem omnium malorum?



DE CVRA ANIMARVM.

PARS QVARTA.

Qualis amor Pastoris esse debeat in gregem sibi commissum. Cap. I.

Quæ hactenus de ijs virtutibus dicta sunt, quibus fulgere debet pastor, vt Deo placeat, suæq; saluti prospiciat, facilè etiam indicabunt, qualem erga animas sibi commissas se præbeat. Neq; enim Deo, aut sibi ipsi quis bene cõueniet, nisi sit etiam erga proximum suum bene affectus. *Si quis n. dixerit* (ait D. Ioannes) *quoniã diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Immò quò magis Deo per charitatẽ aliquis coniungitur, perfectiùs etiam proximo suo colligatur. Sed quoniam multa sunt, quæ spiritualis Pastor ijs debet, quos alendos, & proprijs humeris (quantum in se est) ad salutis pascua deducendos suscepit: dicendum nunc de ijs aliquid est, quo Sacerdos suo munere functus, gregi facilè salutis iter aperiat. 1. Io. 4.

Obuia autem sit primo charitas, tãquàm totius muneris pastoralis fundamentum: at non quæuis sufficit, sed ea dumtaxat, quæ facit vt Sacerdos verè, & ex intimo animi affectu, se cognoscat ouium suarum pastorem, patrẽ filiorum, immò, & paruulorum matrem, & affectui effectus ipse respondeat. Talẽ illis verbis, se profitebatur Apostolus. *Testis est mihi Deus, quomodo omnes vos cupiam in visceribus Christi.* Et alibi. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et rursum. *Facti sumus paruuli in medio vestri, tamquàm si nutrix foueat filios suos, ita, desiderantes vos, cupidè volebamus tradere vobis, non solum euangelium Dei, sed etiam animas nostras; quoniã charissimi nobis facti estis.* Hinc idem Apostolus animarum à Dæmonum seruitute, ad vnius veri Dei cultum conuersionem, ortum quendam & Ad Filip. 1 / 2. Corint. 9 / Ad Thess. 2. / 2. Corint. 9

procreationem nominauit. *Nam si decem millia Pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nàm in Christo Iesu per Euangelium, ego vos genui*. Et
Iacob.1. D. Iacobus. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*. Meritò autem animarum conuersio cum naturali procreatione confertur; nam sicut hæc est à priuatione vitæ ad vitam ipsam progressus, ita conuersio est à peccato ad gratiam, in qua salus animæ conquiescit: erat enim prius impiæ Dæmonis tyrannidi subiectus, modò Dei munere, ac beneficio diuinæ adoptionis iura incipit adipisci. Propterea, sicut naturalis procreatio, nequit esse sine amore, & dilectione, sic spiritualem hanc regenerationem, quæ naturali difficilior, & excellentior est, sine dilectione stare posse, putandum non est. Ideò *binos ad prædicandum discipu-*
Hom.12.in euan. *los Christus misit* (inquit D. Gregorius) *Vt hoc nobis tacitus innueret, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis offitium nullatenus suscipere de-*
Hom.29.in ep.ad Rom. *bet*. Quam etiam ob causam sapienter putauit D. Io. Chrysostomus, Petrum à Christo, antequam in pastorem eligeretur, de dilectione interrogatum fuisse; quia Christum diligens, & animas diligit, qui verò animas
1.Reg. 13. diligit, dignus est, qui illis tamquam custos, & pater præficiatur. *Et Moy-*
Tom. 1. *sem* (addit alio in loco) *super populum Iudæorum Deus posuit, quando qua esset in illum dilectione re ipsa declarauit. Dauid quoq; simili modo regno donatus est, postquam aperuit, quàm amico esses in populum affectu, vt animam suam exponeret pro illius salute*.

31 Verùm adhuc debilis est pastoris charitas, si tantùm cum paterna conferatur: altiùs namq; se extollit dilectio vero Pastore digna, perfectiùs enim
Lib. 2. de off. & fortiùs vincit, & nectit diuinus, quàm naturalis amor. Vt dicebat D. Ambrosius. *Non minus vos diligo, quos per euangelium genui, quàm si coniugio suscepissem, neq; enim vehementior est ad diligendum natura, quàm gratia*. Charitas enim nectit indissolubiliter, non sic caro, & sanguis. Quot iurgia, & contentiones nascuntur quotidie inter patrem, & filium, inter maritum, & vxorem, inter ipsos fratres, quæ nulla alia ratione tolli, vel componi queunt; nisi separatione? Sanè longe alia in pastore exponitur diligendi ratio; cuius perfectionem si attingat, nullo vnquàm tempore, nullo contictio: nullo metu, nullis incommodis ab obsequio, & amore animarum deterreri poterit. Quin immò, si illæ infirmantur, & ille infirmatur, si scandalizantur, & ipse vritur; si ouis fugit, & ipse fugientem insequitur: factus amantior, quò ipsa vesanior. Huiusmodi erat D. Pauli charitas illis ver-
2.Corint.6 bis expressa. *Testis mihi Deus, quomodo vos cupiam in visceribus Christi, etsi vos diligens minus diligar*. Hoc est, & si videam, vos nullam amori meo vicẽ rependere, vos tamen non deseram, sed ea dilectionis offitia præstabo, quæ meus in vos amor, suo sibi iure vindicat. Quod Pauli testimonium apertè damnat, & arguit Sacerdotes illos, qui cum videant, vt plerumq; accidit, operam, laborem, & diligentiam suam quibusdam beneuolentiæ signis à populo non probari, illicò frigescunt in operibus, & languent, atq; ab inceptis desistunt; qui verè se ipsos magis, quàm animas diligere his po-
Hom.27.in ep.ad Rom. tissimum de causis conuincuntur à D. Chrysostomo. *Nam si membrum à corpore deturbatur, nihil non molimur, quo illud iterùm coniungamus, & vniamus: ita etiam tibi faciendum; cum quis te amare noluerit, tunc maiorem in eo*

osten-

ostende amorem, *quatenus ipsum attrahas membrum*. *Nam si te dilexerit, non tua cura opus illi erit: si verò non dilexerit, tunc potissimum tua cura iuuandus erit*. Nec dissentit à Chrysostomo D. Bernardus, cũ Pastoralem curam definiens dixit, esse curam animarum infirmarum præsertim: *nam quæ sanæ sunt* (inquit ille) *portari non indigent*. Aliam quoq; rationem addit Chrysostomus. *Tunc maior tibi merces expectanda est, quando diligere recusantem attraxeris; qui enim dilectus diligit, mercedem eo ipso iam reddidit sibi: qui verò diligens non diligitur, Deum pro se ipso debitorem sibi constituit*. Hac ratione emicuit ardens charitas S. Caroli, qui inter tot persecutiones, & iniurias, quæ passim, tùm à laicis, tùm ab Ecclesiasticis viris inferebantur, nunquàm destitit ab amore, & seruitio sui gregis, sed nouas semper rationes inquirebat, quibus illius saluti magis cõsuleret, optimus Pauli æmulator, minus ab aliquibus dilectus, sed magis illos diligens. *Ep. 73.*

Vlterius pater ad diligendum filium mouetur, quia illum, tamquã quid sui considerat, eiusdem scilicet substantiæ, & sanguinis, at hic nexus amoris potentior est in pastore, quia gregem suum amat, non tamquàm quid corporeæ substantiæ suæ, sed quasi partem animæ propriæ, quia illum in filios recepit, pro illo fideiussit, & animam suam omnipotenti Deo obstrinxit. Et sicut nihil ita intrinsecum homini est, vt anima propria; ita nihil Parocho carius esse debet animabus sibi commissis: cum apertè idem fateatur Apostolus. *Nos viuimus* (inquit Thessalonicenses alloquens) *si vos statis in Domino*. Adeò namq; inuicem coniuncti, & alligati sunt Pastor, & grex, vt vita pastoris, à vita gregis quodammodo dependeat, & gregis salus, & vita, salus sit, & vita Pastoris, & lucra gregis sint etiam lucra Pastoris, vt optimè sensit D. Prosper. *Qui pro multis occupatur, vt alij proficiant, profectus illorum eius fructus est, & qui solicitudines omnium portat, in ipsis proficientibus proficit, & gloria illorum gloria illius est*. Confirmatur eiusdem Apostoli dicto, Philippenses, & Thesalonicenses gloriam, gaudiũ, & coronam suam appellantis. Hinc verba illa D. Chrysostomi ad populum suum, cùm ab illo exul esset discessurus. *Quid enim patiar pro vobis, vos mihi ciues, vos mihi fratres, matres, filij, membra, lux, corona mea, diuitiæ meæ, thesaurus meus. Ecce pro charitate vestra corona mihi paratur in futuro sæculo*. *1. Thessal. 3.* *De vita cõtemp. c. 16.* *Tes. 2. Philip. 4.*

Hac præterea nota debet ẽt insigniri dilectio pastoris, supra quãcumq; patris dilectionem, vt ipsum trahat vsq; ad contemptum propriæ vitæ; ita vt, si ex vna parte de salute vnius animæ agatur, ex altera autem periclitetur honore, seu fortunis, adhuc, & vita temporali, contemnenda tamen sint omnia, vt illius animæ saluti cõsulatur: nec verè amans pastor dici debet, qui hoc apud se non cogitet, & re ipsa etiam non profiteatur, vbi se obtulerit occasio.

Maior etiam debet esse dilectio pastoris quacumq; alia, quæ vel assidua consuetudine, & familiaritate, vel similitudine morum, vel intuitu alicuius excellentiæ, vel deniq; causa proprij commodi conglutinari solet: quia quodcumq; illud sit, quod in his conciliat amorem, caducum est, imbecille, & minime generosum; & propterea huiusmodi nexus facile dissolui potest, secùs accidit Pastori, qui ita oues suas amat, vt non exigat gratiam, sed ne quidem terrenum quippiam ab illis speret, vt dicebat Paulus. *Testis* *2. corint. 1.*

est mihi Deus, quia nihil vestrum concupiui. Et alibi *æmulor vos Dei æmulatione.* Quasi diceret, sicut Deus nostri non indigens, nec aliquid expectans à nobis, amanter tamen nos diligit; ita vos diligo, nihil, nisi animarum vestrarum salutem affectans. Et quidem tàm nobiles, & tàm pretiosæ sunt animæ, vt si illarum dignitas, & pulchritudo consideretur, sola nos ad sui amorem pertraheret, & sola sufficeret pro laboris mercede, & præmio.

Postremò tot sunt labores, & incommoda in animarum regimine, vt vinci, & tollerari non cuiusuis, sed maximi amoris sit, qui instar preciosi vnguenti rotas huius currus peringat, vt facilè labatur, nec trahentem fatiget. Et sicut aquæ tantò altiùs se extollunt, quantò fons, à quo emanant, altior est; ita Sacerdotis animus, quò maiori charitate mouetur ad diligendum, eò diligentior, & alacrior erit in obeundo munere pastorali.

Verum sicut ex fumo ignis latens dignosci solet, ita dilectio pastoris lingua, & factis manifestanda est. Lingua quidem, quia cū sit cogitationū interpres; ita cordis aperit penetralia, sæpius n. inter concionandum, & inter priuata colloquia, dilatat cor suum, vt inde flammæ amoris erumpant; atq; hac dilectione pastoris munitum se populus agnoscat, gaudeatq; Hoc

Corint. 6. enim faciebat Apostolus. *Os nostrum patet ad vos, & cor nostrum dilatatum est.* D. Paulum imitatus est Chrysostomus. *Ego,* inquit, *quod meum est, feci, ego*

Hom. 44. in acta Ap. *mundus sum à sanguine, sed non sufficit hoc ad consolationem, siquidem enim liceret cor nostrum disrumpere, & ostendere, videretis intus esse in magna latitudine vos mulieres, pueros, ac viros; tanta enim charitatis vis est, vt Cælo latiorem faciat animam.* Hoc idem in pastoralibus concionibus præstabat S. Carolus, qui ita cor suum effundebat, vt nihil ardentius, & amantius audiri posset. Hoc igitur præstet Sacerdos, at non ad vanam ostentationē sui, quia sic nō esset vera charitas, quæ non inflatur, sed vt inde vberiores fructus colligat. Huc spectat patientia in quorundam moribus agrestibus æquo animo ferendis, quid enim magis odiosum, quàm audire pastorem ouium suarum, quas deberet adiuuare consilio, defectus irridentem, vel conuitijs mordentem quosdam, vel ludibrio contemnentem; vera charitas neminem despicit, sed operit multitudinem peccatorum, compatitur, & condolet.

Io. 3. Factis etiam exhibenda charitas est, vt monuit D. Ioannes; cùm non verbo, & lingua tantùm, sed opere, & veritate proximus diligendus sit; vt totus videlicet sit in spirituali illorum salute procuranda, qui sibi crediti sunt, illamq; temporalibus commodis, & vtilitatibus proprijs præponat, &, vt vno verbo concludam, Curator animarum instar summi Sacerdotis Israelitarum nomen Dei ferat in fronte, Deum super omnia diligendo, oues uerò sibi commissas, tum in pectore per singularem affectum cordis, tùm in humeris per effectum operis portet.

De zelo salutis animarum.
Cap. II.



EX hac charitate, qua pastor suum gregem prosequitur, proximè exurgit eximium studium, curaq; de spirituali illius salute: tamquam primus, & germanus veri amoris effectus; ex eo enim quod Sacerdos animas diligit, illas omnibus quibus potest benefitijs cumulare studet, & omni conatu contra illud mouetur, quod christianis moribus, vitæq; innocentiæ potest officere: Vnde D. Augustinus, hoc studium à maritali solicitudine, qua vir vxoris fidelitatem custodit translatum dixit. Et D. Dyonisius Areopagita: Esse actum diuinæ charitatis apertè asserit; et propterea Deus ab amore erga genus humanum zelotes fuerit nuncupatus. Quamobrē,& D. Bernardus docuit, illum ad præfecturam animarum assumendum non esse, qui hoc igne cor suum incensum non habet. *Oportet*, inquit, *vt hoc vino astuet, qui alijs præsidet, quemadmodum orator gentium æstuabat, quando dicebat. Quis infirmatur, & ego nō infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? alioquin improbè satis praeesse affectas, quibus prodesse non curas, & quorum salutem non zelas.* Rectè namq; diuinæ legis custodes,& Ecclesiastici ministri Ezechielis animalibus comparantur, quorum aspectus erat, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. *Quia sanctorum non tantum est*, inquit D. Gregorius, *se se in locis minoribus contegere, sed eundem etiam charitatis ardorem accendere in aliorum cordibus*. Atq; hoc est aurum illud igne probatum, quod Angelus Episcopo Laodiceæ, consuluit emendum, iuxta D. Ambrosij sententiam. *Hoc namq; aurum* (inquit) *est zelus*. Cuius tùm dignitatē,tùm necessitatem postea probat Domini testimonio, zelū Phinees commendantis. Ac tandem concludit. *Zelum habere debet Sacerdos, qui incorruptam seruare debet Ecclesiæ castitatem, nam Phinees Sacerdos erat, & filius Sacerdotis, & tam ampla, & magnifica promissa à Deo accepit. Bonus, & vtilis est zelus in Sacerdote, ne negligens ac remissus sit in suo munere*. Ita Ambrosius. Cognita fuit quoq; huius zeli necessitas D. Bonauenturæ in Ecclesiastico Prælato, qui in aureo illo libello de sex alis Seraphim, quem vtinam Rectores animarum frequenter euoluerent, & doctrinam tanti viri ad praxim referrent; primam alam Prælato attribuit zelum iustitiæ, cuius nomine intelligi dicit obseruantiam omnium, quæ vel saluti, vel profectui animarum necessaria sunt. Quid enim non operatur hic zelus in corde Pastoris. Primo facit, vt totæ illius vires, tum animi, tum corporis, quantum diuina gratia iuuantur in honore Dei, & salute animarum promouenda ponantur, omnia propria commoda despiciantur, non sentiuntur sudores, & incommoda, immò in his tolerandis exultet, magis, & gestat. Sed quid pluræ cum magni Gregorij obuia sit præclara, satisquè prolixa huiusce studij, curæquè institutio, qui munia Pastoris gaudeat in eius pastorali conquirere? Est innuper eius naturæ charitas, qua debet esse insignitus

Lib. 83. q. 52.
Lib. de Diu. nom. c. 4.
Ser. 24 in Cant.
Hom. 5. in Ezech.
Apoc. 3.
Ser. 18. in Ps. 118.
Num. 25.
2. p. Past. c. 6.

signitus Rector animarum, vt quolibet etiam tacente, satis apertè declaret, quali solicitudine, quo spiritus ardore, quo zelo, animarum salutem sitire, & quærere debeat. Inquirenda potius sunt, quæ hunc zelum in corde Pastoris foueant, augeantq;.

Hom. 12. in Ezec. Consideret igitur, Authore D. Gregorio, nullum sacrifitium, Deo gratius offerri posse cura animarum, & zelo æternæ illarũ salutis, nihilq; aliud esse, quod ipse tam impensæ quærat, qui vult omnes homines saluos fieri, & qui non vult mortem peccatoris.

Hom. de S. Fulg. Perpendat etiam diligenter, ex D. Chrisostomo, nulla alia re magis declarari, quis sit verè fidelis, & amans Christi, quam si fratrum curam gerat, atq; pro illorum salute solicitetur. *Hæc omnes audiant, & Monachi, & qui montium cacumina occupant, quiquè modis omnibus, se mundo crucifixerunt, vt pro viribus Ecclesiarum profectum adiuuent.* Itidem D. Gregorius. *Ille in amore Dei maior, est, qui ad eius amorem plurimos trahit.* Et alibi, *Cum vos profecisse pensatis, etiam alios trahite vobiscum in via Domini, socios habere desiderate, si ad Deum tenditis, curate, ne soli ad Deum veniatis.* Hoc optimè intellexerat D. Franciscus, teste D. Bonauentura, qui conuocatis fratribus, proposuit, quid utilius ducerent, vacare oratione, an potius prædicando orbem peragrare, & peccatorum laqueis obnoxios in salutarem christi libertatem vindicare, & pensatis, quæ in vtramquè partem dicebantur, diuino numine afflatus postremum, vt potè Deo gratius, & Christianæ Reipublicæ vtilius putauit amplexandum. Christus enim prædicationi vacauit, & cum hominibus conuersatus est, hians illorum saluti, & qui Deum verè amat, fratrum suorum animas perire non patitur, & quàm plures in ardentissimum sui nominis amorem studet allicere.

1. p. Past. c. 4.

In vita S. Fran.

Quare potissimum remedium ad hunc zelum excitandum est, in amore Dei proficere. Huc afferri possunt, quæ D. Chrisostomus in illa Domini, *Simon Ioannis diligis me.* egregiè annotauit. *Interrogat discipulum magister, num ab eo ametur, non vt ipse edoceatur, cui omnium mortalia corda peruia sunt, verum vt nos doceat, quanta curæ sibi sit gregis huius præfectura, quod vbi constiterit, illud pariter constabit, copiosam, atq; ideò immensam mercedem illum expectare, qui consilium, cogitationem, & operam suam in ijs ponat, quæ tanto apud se in pretio, & æstimatione Christus esse voluit.*

Lib. 2. de Sacer. Io. 21.

Secum etiam recogitet, curam animarum omnipotentis, & Summi Dei negotium esse, illudq; maximum, & præcipuum, quod dum in terris gessit tanto animi ardore peregit, vt pro salute animarum, vitam suam infiniti valoris offerre non dubitarit. Quam postea indignum, & indecorum est, si seruus, & minister tanti Principis tepidè, & oscitanter Domini sui negotium peragat. Paulum æmuletur, qui Christi sui exemplo edoctus, vt animarum salutem procuraret, apertè dicebat, *Ego libentissimè impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris.*

2. Cor. 12.

Sed nihil efficacius, quàm si ex vna parte proponat, animarum valorem, & dignitatem, quæ suæ custodiæ, commissæ sunt, & ex altera stragem, & ruinam, quam in ipsis efficiunt peccata, simulq; assiduam, & indefessam Dæmonis operam in illis perdendis; quis his cognitis, enim se rapi non senciat ad opem? Quis amico periclitanti, manum non porrigat, teneretq;

omnia, vt labentem excipiat, fulciatque? Quis Christi minister si fidelis esse velit à Sathanæ ministris diligentia,& solicitudine vinci se,& superari patiatur?

Timor deniq; reddendæ rationis optimus stimulus est ad hoc, vt ad zelum salutis animarum nos vrgeamus. *Nemo dicat* D. Gregorius inquit, *admonere non sufficio, adhortari sufficiens non sum quantum potes exhibe, ne malè seruatum talentum, quod acceperas, in tormentis pendere exigaris.* *Hom. 6. in Mat.*

Duæ autem virtutes hunc zelum pastoris perpetuò comitari debent, quia multi zelum habent sed non secundum scientiam, hæ vero sunt Discretio, & Charitas: Discretio quidem, quia lumen mentis à D. Bonauētura appellatur, ea qui caret, cæcus est, & in mille incommoda, & errores impingit, eam qui habet, non tantum videt, sed inter bonum, & melius aptè discernit, distinguit inter tempus, & tempus, inter personas, & personas, mensuram, & modum omnibus virtutibus præscribit. Quamobrem illa præclare, nec minus vere à D. Bernardo de hac ipsa virtute qua zelus temperandus est, conscripta sunt. *Importabilis est* (inquit) *sine scientia zelus, & vbi vehemens æmulatio, ibi maxime discretio necessaria, quæ est ordinatio charitatis, semper quidem zelus, absq; scientia minus efficax, minusq; vtilis inuenitur, plerumq; autem, & perniciosus valde. Quo igitur zelus feruentior, ac vehementior spiritus profusiorq; charitas, eò vigilantiori scientia opus est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.* Hucusq; Bernardus. *De grad. virt. c. 16.* *Ser. 49. in cant.*

Altera celi regula, & comes est charitas. *Cùm multi in*, vt præclare annotauit idem Bernardus, *qui tam vehementer zelantur contra aliorum delicta, vt videri possent esurire, & sitire iustitiam, si esset apud eos de suis quoq; peccatis idem iuditium, sed nunc pondus, & pondus vtrumq; abominatio est apud Deum.* Sunt enim nonnulli Sacerdotes: qui tam grauia proximi sui delicta iudicātes, ita contra ipsa ira excandescunt, vt vix digna putent, quæ Dei misericordiam experiantur; At hic zelus nō est ex charitate, quæ nouit compati & non irasci. Neq; enim est periti medici vulnera ægrotantis lacessere, aut exulcerare, sed ea potius leni curare medicina; Hac de re suo nos exemplo commonefecit Seruator noster, quod eo viso innotuit, quod Carpo uiro santo eueniisse S. Dionysius Areopagita narrat. *Is cum infideli cuidam, qui alium à fide abduxerat dira precatus fuisset, celeremq; à Deo vindictam petijsset, subito vidit cœlum supra se apertum, Iesumq; in sua gloria stantem, subtus verò ingentem terræ hiatum, & duos illos seductum, & seductorem, quibus mala imprecatus fuerat, ad os illius profundæ voraginis stare trementes, ac miserabiles, qui, & iam iam casuri videbantur; pariterq; serpentes, qui deorsum illos præcipitare molirentur. Hæc autem videns indigne ferebat, quod nec cecidissent, & cum sæpe eos impellere conaretur, semperq; frustra hoc moliretur, molestissimè id tulit, & cōtra eos rursum imprecatus est. Cum ecce vix tandem reuocatis ad superna oculis vidit Cælum sicut, & prius aspexerat, Iesumq; miseratum, quod fiebat de cœlesti illa sede consurgentem ad eos descendere, & porrigere, clementissimam manum, Angelosq; vna opem ferentes, ac Iesum dixisse Carpo, stanti porrecta adhuc manu, vt eò impelleret. Iam percute aduersum me; Paratus enim sum, etiam iterum pro saluandis hominibus pati; gratum mihi istud est, dum non alij homines peccent; tu autem vide, an tibi expedias per tuam inclementiam istius profundæ voraginis, mā-* *Ser. de aduentu.* *Ep. ad Demoph.*

 sionem

Rom. 12. *sionem Dei, ac bonorum consortio praeferre*. Plura in hoc argumentum D. Gre-
in Ezech. gorius differit. Illud etiam Leuitici in hanc sententiam apposite trahẽs,
vbi Deus Sacerdotibus iusserat, vt similam conspersam oleo frigerent, &
Leuit. 6. illam offerrent calidam in odorem suauissimum Domino. *Simila*, inquit
Gregorius, *in sartagine frigitur, cum mens iusti per zelum sancti amoris crema-*
de sex aliis *tur, quae conspergi oleo praecipitur idest misericordiae, & charitati misceri*. Plane
cap. 4. illud D. Bonauenturae dictum verissimum est. *Vbi est maior miseria, ibi ala-*
crior misericordia apparet, & purior charitas, & bonus Praelatus agnoscit se fra
Lib. 20. trum suorum, patrem non Dominum, & exhibet se eis non tyranum, sed
mor. cap. 2. medicum. Et illud quoq; D. Gregorij; *saepe subiectos frangimus, dum plus
iusto vigorem iustitiae tenemus*, qui profecto vigor non iam erit iustitiae, si se
sub iusto moderamine non custodit.

Curator animarum peccata populi sui apud Deum precibus, & poenitentijs delere studeat. Cap. III.



Aec etiam verae pastoralis charitatis nota erit, si ex intimo cordis affectu moueatur ad subleuãdas spiritales sui gregis necessitates, ipsius in se ipso peccata castiganda tum assiduis precibus, tum etiam lachrimis, & penitentijs, vt
Trac. in Io. c. 10. aperte D. Augustini verba insinuant. *Quis comeditur* (inquit) *zelo domus Dei? Qui omnia, quae ibi forte videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit: si emendare non potest, gemit*. Qui enim zelo salutis animarum aestuat, is etiam desideria sua, orationes, lachrymas, ieiunia, vigilias, & multa alia pro animabus offerre non recusat.
Proprium hoc munus est Sacerdotis, vt passim in lege veteri expressum
Exod. 28. fuit. In Exodo quidem. *Portabit Aron iniquitates eorum, quae obtulerunt, & sanctificauerunt filij Israel in cunctis muneribus, & donarijs suis*. Et summus Sacerdos supra humeros laminam duplicem gestabat, in quarum vna sex nomina tribuum, & in alia sex pariter alia nomina tribuum sculpta erant;
Exod. 28. quo significabatur, animarum Pastorem subditorum suorum peccata portare debere per satisfactionem. Et apud Ioelem. *Inter vestibulum, & Al-*
Cap. 2. *tare plorabunt Sacerdotes, ministri Domini, & dicent. Parce Domine parce popu lo tuo, ne des haereditatem tuam in opprobrium, & dominentur eis nationes*. Et in sacra Machabeorum historia: Cùm Haebrei multis aduersis casibus per ad
2. Machab. 3. uersarios premerentur, Sacerdotes ad Deum supplici precatione, & hostijs confugiebant. Et in calamitate Iudaeorum, quam Holofernes intulit,
Iudith. 4. Sacerdotes induerunt se cilicijs, & clamauerunt ad Dominum. Communiter hoc asseritur à sanctis Patribus, Sacerdotem tamquam mediatorem
In 1. ad Thimot. inter Deum, & Populum esse constitutum. Sic enim D. Ambrosius. *Sacerdotes pro Plebe sibi commissa orare oportet, die, ac nocte: mundiores ergo debent
In Ps. 118. Serm. 30. esse caeteris, quia actores Dei sunt*. Quod alio in loco exemplo Saluatoris confirmat. Inuenio (inquit) *in euangelio, quod Dominus Iesus multorum affectus, & officia suscepit, vt doceret nos, quomodo in his conuersari oporteret; suscepit personã Pastoris, & ait bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis: suscepit personam* adue-

aduocati, & pernoctabat in oratione pro nobis, vt qualis aduocatus esse debeat, demonstraret, qualis Sacerdos, vt non solum diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere. Augustinus quoq; *talem esse oportet* (ait) *Domini Sacerdotem, vt quod populus pro se ad Dominum non valet, ipse pro populo mereatur, quod poposcerit impetrare: quia scriptum est. Si peccauerit populus, oret Sacerdos pro eo; si autem Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?* Confirmat D. Prosper. *Quibus animarum curandarum solicitudo commissa est, pro peccatis omnium, veluti pro suis deprecari debent, ac veluti alter Aron incensum contriti cordis, & humiliati spiritus offerentes, quo placatur Deus, & auertunt iram futuræ animaduersionis à populo*. Quamobrem sicut Deus, quosdam Angelos elegit, qui ei semper assisterent, qui orantium preces ante ipsum offerrent, sicut Gabriel Archangelus Tobiæ indicauit; sic inter homines Sacerdotes delegit, qui plus cæteris sibi assisterent, pro omnium salute deprecantes. Propterea etiam à populis de vitæ sustentatione prouisum est, & à Principibus, & magistratibus secularibus, priuilegia, & immunitates concessa sunt, vt orationes, & preces ad Deum pro omnibus fundant.

Ser. 11. in Psal. 36.

Tob. 12.

Idem quoq; ex charitate, & insigni dilectione in Deum, quæ esse debet in Pastore, licet inferre: amor enim Dei, ita amantis affectum immutat, vt plus gaudeat Dei bono, quàm suo, plusq; doleat, quod Dei numen offendatur, quàm quod ipse incommodis afficiatur. Vt Regius Propheta manifestè expresit. *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*. Quare sanctorum omnium hac mortali fruentium luce cura fuit, in illud vnum incumbere, vt peccata de medio tollerentur, ne scilicet offenderetur Deus ab ipsis summè dilectus. Quis enim Dei amore correptus infinitam illius maiestatem, & bonitatem omni reuerentia, & veneratione dignam secum ipse perpendens, non commoueatur, & doleat, cum tot ipsum nouerit lædi criminibus, atq; adeò ad ea diluenda, aut impedienda etiam proprij sanguinis effusione, se paratum non præbeat?

Psal. 68.

Nec etiam dubitandum est, hoc maximè à Deo expeti, qui licet sæuire, pœnasq; peccatoribus minari videatur; non tamen intendit mortem peccatoris, sed potius, vt conuertatur, & viuat: & propterea aliquem esse, optat, qui se mediatorem inter ipsum, & peccatores constituat, vt expresis verbis Ezechieli indicauit. *Quæsiui virum, qui sepem interponeret inter me, & populum, & non fuit, & effudi indignationem meam*. Sicut ergo indignanti patri aduersus filium, eumq; cedenti, nihil potest esse optabilius, quàm vt accurrant serui, pro nato exorantes, qui furentem patris iram sedent, & flagellum de manibus extorqueant, cùm non ad pœnam, & exitium, sed ad correctionem filium castiget; ita Deus Pater misericordiarum, maximè commendat charitatem illorum, qui pro alienis peccatis deprecantur, & diuinam indignationem auertere satagunt. Huius rei testimonium, non aliunde profectò petendum est, quàm ex eo, in quo Deus, quanti semper fecerit huiusmodi charitatis officia, manifestè declarauit, & quãtæ virtutis apud ipsum semper fuerint orationes, & pęnitentiæ aliorum peccata deflentium. Scriptum est in Leuitico. *Et rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Deus*. Sic, & Moysi deprecanti pro peccatis populi respondit Deus Di-

Ezech. 13.

Leuit. 4.

Exod. 32.

mitte me, vt irascatur furor meus. Quasi eius precibus vinctus teneretur. Et Ieremiæ patiter. *Tu noli orare pro populo isto, neq; assumas pro eis laudem, neq; orationem, nec obsistas mihi*. Et Isaias expostulans, quod sui temporis Sacerdotes pro populo Deum non deprecarentur, dicebat. *Non est, qui in vocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te*. D. verò Chrysostomus; *Vnus homo* (ait) *rectè viuens integrum populum eripere potest ab ira Dei: Ciuitas autem integra, peruersaq; in suam pœnam, & supplicium attrahere bene viuentem, & deijcere non potest*. Longum nimis esset referre, quæ Deus precibus, lachrymis, & pœnitentijs piorum Pastorum in salutem, & commodum etiam temporale populorum præstiterit. Lupus Episcopus Trecassinensis sola oratione compescuit furorem Attilæ, eius ciuitatem cum exercitu aggredientis, qui per eam transiuit tamquam per locum solitudinis, in quo nemo habitaret, & nulli nocuit. De Iacobo Nisibis, seu Antiochiæ Mygdoniæ Episcopo narrat Theodoretus, quod cum illius ciuitas per septuaginta dies obsessa teneretur à Sapore Persarum Rege, ac medio alueo fluuij peringentis, iam sibi aditum, in vrbem pararet, Sanctus Vir Dei Episcopus, vno tantùm die, precibus murum ædificauit, ciuitatem muniuit, & inimicos à suis finibus longius fugauit. Sed alijs prætermissis instar omnium illud sit, quod nos ipsi, in S. Carolo cognouimus, eo tempore, quo pestis Mediolani grassabatur. Tunc enim tamquam alter Aron cucurrit per mediam multitudinem, Thymiama orationis obtulit, castigans peccata gregis, in se ipso accerrimis flagellis, assiduisq; ieiunijs, & stans inter mortuos, & uiuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. optimè D. Ambrosius, *Arma Sacerdotis sunt oratio, & lacryma*.

Isaia 64.

Hom. de pænit. & conf. tom. 5.

Theod lib. 2. Hist. ca. 30.

Post ep. 32.

Est præterea tanta coniunctio pastoris cum suo grege, vt si hoc charitatis obsequium illi non præstet, sibi ipsi deesse uideatur: Christiani enim sumus, unius corporis membra sub uno, eodemq; capite Christo, *quo vinculo, nihil fortius*, inquit Chrysostomus, *Qua amicitia; quæ familiaritas tantū contrahere vinculum potest, quantum fidei cognatio. Non enim quantam amicus amico propinquitatem, tantam habere nos inuicem oportet, sed quanta est membri ad membrum*. Quod ab Apostolo didicerat Chrysostomus, qui postquam nos inuicem membra unius corporis esse dixit, infert postea hunc eundem charitatis, & commiserationis effectum; sicut etiam optimè sensit D. Basilius; *Consideremus*, ait, *amorem, quem sibi mutuo membra impendunt: se defendunt, se adiuuant, & dolent omnia membra inuicem vnius membri malum*. *Vnde Dauid: Particeps sum ego omnium timentium te, & custodientium mandata tua*. De S. Francisco scribit D. Bonauentura, ita animas Christi sanguine redemptas dilexisse, ut si aliquam cognouisset læthalis peccati labe infectā, tantā cordis miseratione illius calamitatem deplorare solitum, ut eam etiam proprio sanguine lauare, & emendare paratus esset. Quare si talis christiani cuiusq; affectus esse debet, quia scilicet inuicem membra sumus unius corporis; maior sine dubio in eo requiritur, qui aliquā capitis speciem præsefert; si enim corporis nostri caput etsi infima corporis pars lædatur, ita illius persentit dolorem, ut statim, se ad illam partem demittat, illiusq; læsioni aliorum membrorum ministerio consulat: Cor non hoc idem præstet Parochus in suorum, quasi membrorum spiritualibus necessitatibus?

Hom. 14. ad Pop. Antioch.

In reg. bre.

In uita lib. 8.

Hoc suo probauit exemplo D. Ambrosius, qui pænitentis alicuius sacram excipiens confessionem tanto miserationis affectu compungebatur, ut lachrimis, quæ ex oculis defluebant, summæ charitatis inditio pœnitentem ipsum, ad contritionem propriorum peccatorũ traheret. Nec profecto dissimilis erat B. Cipriani charitas, ut de seipso idem testatur. *Doleo fratres* (inquit) *doleo, nec mihi ad leniendos dolores integritas propria, & sanitas priuata blanditur, quando plus Pastor in gregis sui vulnere vulneretur. Cum plangentibus plango, cum deflentibus fleo, cum iacentibus, iacere me credo; Iaculis illius grassantis inimici mea membra simul percussa sunt, sæuientes gladij per mea viscera transierunt in prostratis fratribus, & me postrauit affectus.* Et si Iudęi ex Christi lachrimis, quibus lazari mortẽ defleuit, illius amorem argumentati sunt, cur et nos ex lachrimis, & precibus pij Pastoris, quibus spirituales sui gregis languores, & infirmitates deplorat illius amorem, & charitatem non intelligemus? Paulinus in vita. Ep. 9 ad Rom.

Postremò iustitia hoc charitatis obsequium, suo sibi iure uendicat; nam populi peccata ad proprium Pastorem spectant, uel quo ad satisfactionem, & ueniæ impetrationem: cùm intercessoris, & mediatoris partes teneat apud Deum, pro populo, ut iam diximus, uel quo ad culpam, quia uel non admonuit, vel non aduertit, aut non correxit, cum potuit, tunc enim, ne simul cum populo trahatur ad supplicium, sua maxime interest, dum potest pro peccatis à Deo veniam impetrare.

Vtilitati etiam in hoc capite, locus dandus videtur, quam maximam in hoc officio charitatis inesse, sentit D. Gregorius Nazianzenus, nam *tanto celerius*, inquit, *quis à peccatis suis absoluitur, tanto facilius gratiam pro se inuenit coràm Domino, quantò magis de salute populi sui solicitus est.* Lib. 7. ep. 27.

Ex his igitur plane colligere licet, quæ vitæ sanctitas requiratur in Sacerdote, vt pro populo intercedens facilè exaudiatur. *Nam eum* (inquit D. Chrysostomus) *qui pro omni ciuitate, quid autem dico pro ciuitate. Immò & pro vniuerso mundo, legatione fungitur, & deprecatur iniquitatibus omnium propitium fieri Deum, non solum viuentium, sed etiam mortuorum; qualem putas, esse debere? Tantum differre debet omnibus precator virtutis eminentia, quantum præcellit, & ipso dictat offitio.* Talis itaq; esse studeat, vt precationum condimentis acerbam Dei iram mitiget, non autem prouocet; *Quia maior metuenda est, fore locis illis calamitas* (inquit D. Gregorius) *vbi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam prouocant, quam per semetipsos populis placare debuerant. Qua enim fiducia*, inquit idem Gregorius alibi. *Intercessor venio, apud quem de proprijs securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem virum, qui sibi iratus, & mihi esset incognitus; intercessorem suum, me fieri quæreret, protinus responderem, ad interrogandum venire nequeo; quia eius notitiam ex sedula familiaritate non habeo.* Lib. 6. de Sacerdotio. Ep. 114. In lib. p. Reg. c. 24.

Animarum salutem impedientes coarguat, publiciq́ resistat peccatis. Cap. IV.



Voniam verò non lenientia semper medicamenta sufficiunt ad depellendos animi morbos, & misericordia ipsa,& commiseratio sine iustitia fatuitas dicitur à Laurentio Iustiniano, sicut iustitia sine misericordia est crudelitas: idcirco vni altera miscenda erit,& faciendũ ex vtraq; tale temperamentum, quale animo congruat ægrotanti vinum cum oleo misceatur, quò facilius sauciati vulnus roboretur. Quare longe falluntur Sacerdotes illi, qui putant se suas partes explere, dum populum diuino verbo, & sacramentis enutriunt, ipsumq; bono vitæ suæ exemplo ædificant: orta verò tempestate, dormiunt in vtramq; aurem, nec stant in acie, cũ opus est. Animarum regimen instar curæ gregis est: grex à Pastore, nõ tantum victum quærit, sed etiam à luporum incursibus defendit. Propterea cum illis acriter, & constanter decertandum est, vtrumq; enim, & pascere gregem, & cum rapacibus feris strenue pugnare munus Pastoris est; nam *latratu canum, baculoq; Pastoris*, vt D. Hieronymi verbis vtar, *rabies luporum frenatur: neq; enim sine causa* (inquit Apostolus) *gladium portat, Dei minister est vltor, qui male agit*; & D. Gregorius: *Sic rector benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, vt & in bonis in nullo se præferat, & cum prauorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat, quatenus, & honore suppresso, æqualem se subditis benè viuentibus putet, & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidet.* Propterea Bonauentura primam partem boni regiminis, zelum iustitiæ posuit; tantò enim quis bonus æstimandus est, quantò plus, & puriùs odit malum; & causam addit; quia res quo magis diligitur, tantò magis de eiusdem destructione doletur. Et vere Sacerdos, qui peccata dissimulat, & semper indulget, ne in alicuius offensam incidat, verè non diligit, quia, *qui parcit virgæ, odit filium suum. Vitia enim quædam sunt* (inquit idem Gregorius) *quæ prudenter sunt dissimulanda, quia eo, quod dissimulantur, indicantur; quædam autem etiam apertè cognita maturè toleranda sunt, cùm videlicet nondum opportunum tempus aduenit, vt apertè corrigantur; nam secta immaturè vulnera, deterius feruescunt, & nisi cum tempore medicamenta conueniant constat, proculdubio, quod medendi offitium amittunt, quædam autem sunt, quæ nec dissimulari, nec tolerari possunt, & contra huiusmodi peccantem faciem suam obdurescere, & omni animi fortitudine occurrere summa charitatis offitium est.* Sic concludit Gregorius: quod etiam alijs verbis alibi insinuat: *Cunctis rectoribus vtraq; summopere sunt tenenda, vt nec in disciplinæ rigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine vigorem deserant disciplinæ; quatenus, nec à compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigant, nec disciplinæ vigorem molliant, cùm infirmorum animos consolantur. Regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.* Meritò itaq; D. Chrysostomus ex illis verbis

De reg. Prelat. cap. 9. Chrysost. hom. 46. in c. 23. mat. 1. 2. q. 38. Ar. 4.

Ep. 83. ad Oceanum. Rom. 13. 2. p. Past. c. 6.

Supra.

Lib. 19. mor. c. 12

Hom. 15. in genes.

bis Dauidis. *Pascebat*, ait, *seruus tuus patris sui gregem; & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis; persequebar eos, & percutiebam, & eruebam de ore eorum*; occasionem multorum pastorum negligentiam acriter insectandi. *Vidisti*, inquit, *Pastoris diligentiam, vidisti intentum studium? Qualem excusationem habebunt ij, quibus rationales greges crediti sunt, & magnam præ se ferunt negligentiam, & quotidie, iuxta Prophetam, pecudes alias mactant, alias à bestijs captas contemnunt, alias verò ab alijs raptas reducere non curant; tam etsi minor sit labor, & cura facilis*. 1. Reg. 17.

Atq; in hoc Pastor à mercenario distinguitur, vt D. Cyrillus docet; Lib. 7. in quod trãquillitatis tempore, tam Pastor, quàm mercenarius stet ad custo- Io. c. 5. diam gregis, at verò contradictionis tempore, vbi *mercenarius videt lupum venientem, dimittit oues, & fugit, quia mercenarius est*, Non *quidem corpore*, vt annotauit D. Augustinus, *quia Ecclesiam non deserit, nec abit aliò, sed fugit animo; quia cum præsens sit corpore, animo cadit, vitijs medicinã non adhibet, ouiumq; mores non corrigit*. Serm. 49. Verus autem Pastor criminibus se opponit, peccantium insolentiam compescit, ne id, quod diligit amittat; & quia plus spirituale ouium suarum salutem amat, quàm quoduis temporale commodum, nullas potentium minas extimescit, nulla pericula formidat, paratus etiam dare animam suam pro ouibus suis. Atq; hoc est, *ex aduerso ascendere*, inquit D. Gregorius Quod à Pastore requirit Deus, id est *ascendere ad defensionem gregis, voce libera contrarijs potestatibus contraire, stare in prælio: Pastorem enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quam tacendo terga præbuisse? Qui nimirum se pro grege obijcit, murum pro domo Israel hostibus opponit*; ita Gregorius, qui similitudinem hanc bellicam attulit: parum enim est militiæ Principi firmissimis aggeribus ciuitatem vallasse; si irruentibus hostibus, & muri partem euertentibus, se illis non opponat, & muri loco obsessis fiat. 2. p. Past. cap. 4.

Ad confirmandum autem Rectorem animarum, vt hoc animo firmo & constanti sit contra peccata, publicosq; tollat abusus, multum conducere intelligo, si socium se, & participem eorum delictorum fieri cognoscat, quotiescunq; cùm potest, humano aliquo respectu, vel inani timore eadem vel non corrigit, vel non arguit, nam *error, cui ab eo non resistitur, qui debet, & potest, approbatur. Et facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi*. D. Gregorius. Debitum Rectoris est, subditorum mala, quæ tolerari leuiter 2. p. Past. c. non debent, cum magna zeli asperitate corrigere, nè forte si indulgentior 10. p. 3. fuerit, & minus seuere castigauerit, ipse reus habeatur. Sicq; supra dorsum tacentis, & simulantis pastoris, fabricant peccatores vt idem Gregorius In Psal. ait. Deinde si rite cogitemus, cura animarum spirituale quoddam bellũ, 128. est, illudq; acerbum, & periculosum, quod non aduersus carnem, & sanguinē tantum geritur, sed contra Principes, & potestates tenebrarum, contra mundi Rectores, contra peccata: quare inuicto animi robore, ac fortitudine opus est, propterea sibi dictum putet à Deo, quod Ezechieli. *Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt Adamantem, & vt silicem dedi frontem tuam; ne timeas eos, neq; metuas à facie eorum*. Ezech. c. 3

Tandem hanc constantiam in Pastore Christus vnico verbo expressit, cùm eundem ad dandã animam, pro ouibus suis obligauit, ac si dixisset;

vt anima salua sit, illius custos debet omnia facere, nihil intentatum relinquere, omnia pati, omnia contemnere; etiam & ipsam vitã. *Noua bella elegit Dominus* (cecinit Debora) Nouum prœliandi modum, cum de salute animarum dimicatur, indixit Deus non hasta, & ferro, sed solicitudine, fortitudine, tolerantia, in laboribus, in persecutionibus, etiam in mortibus, hoc bellum feliciter peragitur. Dux ipse Christus noster suo nobis preiuit exemplo; ad hoc vocatur, qui suscipit curam animarum. Talem se præbuit S. Thomas Episcopus Cantuariensis, qui carnifici mortem minitanti respondit. *Ego pro Domino meo mori paratus sum, vt ecclesia Anglicana meo sanguine, pacem ac libertatẽ assequatur.* Et si quando dignetur Dominus nos alicuius tribulationis, & improperij participes facere pro nostri muneris functione, hoc summæ gratiæ loco nobis habendũ est. Ea siquidẽ fuerunt sanctissimorum Pastorũ insignia, vt proprio sanguine consignare euangeliũ Christi, & vitæ vel honoris dispendio animarum sibi commissarum salutem procurarent.

Indic. 5.

Sur. in vit.

Atq; vt hoc animo firmo constitutus sit Curator; vt pro salute animarum nihil timeat nisi peccatum, partem epistolæ D. Cipriani ad Corneliũ Pontificẽ referamus. *Lecta* (inquit) *epistola tua, frater, satis miratus sum; cùm animaduertissem, teminis, ac terroribus eorum, qui venerant, aliquantum esse commotum; cùm te aggressi essent; cùm summa desperatione cominantes. Quod si ita res est; vt nequissimorum timeatur audacia, & quod alij iure, & æquitate non possunt, temeritate, atq; desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesia gubernandæ sublimi, ac diuina potestate, nec Christiani vltra, aut durare, aut esse possunt, si ad hoc ventum est, vt perditorum minas aut insidias pertimescamus. Manere debet apud nos fidei robur immobile, stabilis atq; inconcussa virtus contra omnes incursus, atq; impetus oblatrantium fluctuum, velut petra obiacentis fortitudine, ac mole debet obsistere. Nec interest vnde Episcopo, aut terror, aut periculum veniat, qui terroribus, & periculis viuit obnoxius: & tamen fit de ipsis terroribus, ac periculis gloriosus. Nihil interest, quis tradat, aut sæuiat; cùm Deus tradi permittat, quos disponit coronari. Neq; nobis ignominia est pati à fratribus, quod passus est Christus.* Hæc Cyprianus. Floruerunt in hac virtute quàm plures Pastores animarum, atq; huiusce inuicti zeli, ac roboris contra peccata in Ecclesia Dei illustria monumenta reliquerunt. Quid illustrius insigni illa fortitudine D. Ambrosij, tum in Theodosij crimine tam liberè arguendo, & castigando; tum in frangendis, & comprimendis conatibus eiusdem Imperatoris, & Iustinæ coniugis Arrianæ sectæ fautorum? Quid magis gloriosum eiusdem Cypriani constantia, qui vt resisteret peccatis, & ritè suo fungeretur munere, martyrio coronatus est, & spiculatori viginti aureos pro mercede persoluerit?

Ep. 3. lib. 1.

Itaq; ostendat Sacerdos in hoc, vt egregie scripsit D. Bonauentura *quantum diligat Deum, vt eius beneplacitum in se, & in alijs promoueat, nec ab hoc zelo mollescat per desidiam, nec labore lassetur, nec consilijs flectatur, nec astutijs circumueniatur, nec amicitia, nec blandimentis deliniatur, nec minis terreatur, nec per diuturnæ prauæ consuetudinis præscriptionem desperet, quin suũ offitium exequatur.*

De sex alijs cap. 3.

Vt autem in hac re tanti momenti extra limites rectæ rationis, animarum studio nimis stimulante, ne transeat, optimum erit, si in huiusmodi

casibus

asibus consilium sui Antistitis requirat, & exequatur: si enim in cæteris præceptum superioris sequi maximum præsidium est; multo magis in his casibus, in quibus non vna est causa difficultatis, & periculi, & suomet iudicio, aut passione aliqua decipi facillimum est.

Tum ita se gerat, vt omnibus facilè appareat, se ad id, nisi solo charitatis impulsu, atq; honoris Dei, & salutis animarum desiderio duci. Quod facilè assequetur, si se vitiorum tantum, non autem personarum acerrimũ iudicem ostendat, Dauidis exemplo, qui solam iniquitatem, non autem facientem iniquitatem, odio habebat, vt illius verba apertè indicant. *Psal. 138.* *Nonne, qui te oderunt, oderam, & super inimicos suos tabescebam? Perfecto odio oderam illos.* Tunc autem odium perfectum est, vt intellexit D. Gregorius; *quando, quod facti sunt, diligimus sed quod faciunt increpamus.* *3.p. Past. adm. 3.* Aliter enim fiet non medicamentum, sed venenum vulneri afferre.

Deinde in omnibus magnam quandam animi æquitatem, & tranquillitatem cordis, nec non, & amorem semper præseferat, teneatq; hoc enim proprium est Iusti, & veri Pastoris ex sententia eiusdem D. Gregorij. *Iusti cum seuerè corrigunt, internæ dulcedinis gratiam non amittunt, & si pro inquietudine reffrenanda prauorum duritiam districti rigoris assumunt, intus tamen igne charitatis liquefiunt, atq; eorum amore ardent; in quos aspera correptione sæuiunt.* *Li. 24. mor. cap. 24.* Ideò virga Aron, quæ correctionis Symbolum est, in Arca non longe erat ab Vrna, in qua manna reconditum erat, vt innueretur, correptionem in regimine, cum charitate, & misericordia coniungendam esse. Aristoteles superiorem oleum, & salem simul emere oportere, ex antiquo adagio locuerat, quia si sal mordet, & siccat, oleum lenit, & humectat; vtrumq; simul miscendũ est, ut vulnera facilius curentur. *Lib. 2. de re tor.* Sed egregiè Paulus Thimotheum discipulum instituens. *1. Thimot. 4.* *Tu verò vigila*, ne dormias, Pastor enim es, *in omnibus labora* non ad requiem tuam, sed ad curam, & laborem prædicationis ministerium accepisti à Deo, *opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple. Argue, obsecra, increpa in omni patientia.* Inter arguendum, & increpandum obsecrationis suauitatem interposuit, quia omnia charitate, & amore condienda sunt.

De vigilantia, & residentia Curatoris apud gregem suum. Cap. V.



Vemadmodum ea diligentius custodimus, quæ amamus, nec ab illis abesse longius verus amor patitur, ita si Pastor gregem diligit, vti debet, perfecta custodia super ipsum excubabit, tamquam mater, quæ supra ægrotantem filiũ non dormitat, nec à latere eius discedit. Dicitur namq; animarum Rector, speculator, cuius partes sunt, vt numquam quiescat, & cæteris dormientibus, quoscumq; inimicorum incursus, atq; impendentia pericula vigili custodia præsentiat. Pastor etiam appellatur, cuius proprium, est, animo, & corpore excubare, in sui gregis, quasi vigilia quadam manere: vt de se ipso Iacob testatus est. *Die noctuq; æstu vrgebar, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* *Gen. 31.* Ex quibus egregiè Magnus

Lib.7. ep. 48. ad Anast. Gregorius Ecclesiastici Pastoris vigilantiam argumentatur. *Si sic laborat, & vigilat*, inquit, *qui pascit oues Laban, quanto labori, & quantis vigilijs intendere debet. qui pascit oues Christi?* Rectè fuit hoc in illis Ezechielis animalibus designatum, quæ non modò Leonis, bouis, & hominis faciem referebant, sed insuper à fronte, & tergo oculati apparebant: non enim est satis Ecclesiastico ministro labor, & fortitudo, & ingenij acies ad contemplandum, si vigilantia desit; Eadem plane dicit Isidorus Pelusiota in hunc Ezechielis locum. *Sacerdos Domini eo quod ad diuinitatem proximè accedat, non nisi oculus esse debet & horum animalium exemplo circum vndiq; explorare, nequid fideles detrimenti capiant.* Lib.3.Ep. 131. *Tam periculosa animarum cura est, vt ad digne ijs prospiciendum, ac diligenter excubandum, vnus non sufficiat oculus, aut bini, sed magna multitudo.* Et sicut subditorum obedire, ita Prælati vigilare, est, vt ex illis Apostoli clarè colligitur, qui vigilantiam, tamquàm singularem, & propriam virtutem Præpositorum demonstrat. Heb.13. *Obedite, inquit, Præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri.* Prouerb. 6. Quod, & illo prouerbiorum confirmatur. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, illaqueatus es verbis oris tui, fac ergo, quod dico, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neq; dormitent palpebræ tuæ.* Quare sicut oculi tamquàm speculatores, natura ita disponente, altissimũ in eximio totius humani corporis opificio locum obtinent, vt inde circumspicientes, tamquàm excubiæ reliqui corporis membra custodiant: ita prorsus dominici gregis Pastor, in sublimi Christianæ Reipublicæ gradu positus est, vt facilius videat, prospiciat, & vigilet; & eò maximè quidem, quòd quemadmodum, vigilantibus oculis, singula corporis membra in suas exeunt actiones, & è contra sopitis languent, & hebescunt sopore; ita vigilante Pastore, grex spiritualis ad virtutum exercitia excitatur, nec otio torpescit. Lib. 2. ep. 33. Quocirca D. Gregorius monet, atq; hortatur, *vt cor nostrũ terrenorum pastorum amore succendatur, qui hyemales noctes imbribus geluq; constricti ducunt per vigilias, ne vel vna ouis, & fortè non vtilis pereat quã si insidiator ore mordaci læserit, quomodo satagunt, quibus cordis anhelant æstubus, in quas voces, vt eruant captum pecus, angustia stimulante, prosiliunt, ne à Domino gregis exigatur quidquid per incuriam perierit? Quid nos Pastores animarum?* Hucusq; Gregorius; Itaq; boni Pastoris est vigilare, dormientibus subditis, pernoctare in orationibus, insidias hostium sagaciter explorare, consilia malignantium auertere, *& cor suum tradere diluculo, ad Deum, qui fecit illum*, vt sapienter scripsit D. Bernardus.

Huius autẽ vigilantiæ causa non vna est. Prima quidẽ, quia propriũ, & singulare Pastoris esse debet, vt vultum pecoris sui cognoscat; quod & suo nos exemplo summus omnium Pastor docuit cùm dixit: *Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Et illo prius Salomonis indicatum fuit. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera.* Quæ verba, si diligenter attendantur, non superficialem quandã cognitionem innuunt, sed summam, & accuratam vigilantiam indicant, qua Prælatus diligenter consideret vitam, & mores subditorum, & qualiter eos ad salutem possit promouere. In cap. 21. Io. Lect. 3. Hinc Christus, Petrum Ecclesiæ caput constituens, non Simonem, sed Petrum nominauit, quia, ex sententia D. Thomæ, Petrus interpre-

terpretatur videns, eò ipso enim quod Pastor eligitur, super gregem inuigilare, ouesq; suas agnoscere debet. Qui si in hoc deficiat, & animæ ideò in æternum interitum ruant, perdetur & ipse, cum illis. Sin autem vigilantia adsit, & speculator fideliter suo fungatur officio, & si multi peccant, ipse animam suam liberabit, vt est apud Ezechielem. Ezech. 3.

Secunda causa est humanæ voluntatis conditio, quæ assidua opera, & vigilantia Rectoris indiget, vt numquam sibi sine ea securitatem possit polliceri; nam sicut ad malum procliuis est, ita est inconstans in bono. Et sicut terra, si paulisper ab agricola deseratur, illicò sentes, & spinas germinat, ita in animarum cultura iudicandum est, in qua perpetua vigilantia, & assiduo labore opus est.

Tertia causa accedit: quia si seriò cogitemus, nihil ferè est in caducis, & humanis rebus ex suo genere, vel præclarum, vel vtile, quod ad sui consecutionem, vel conseruationem perenni studio, labore, ac vigilantia non indigeat. Quas non adhibent medici curationes, vt perituris corporibus breuem lucis vsuram tantùm prorogent? Iugiter assistunt ægrotanti, omnes languentis motus diligenter obseruant, morbi incrementa sagaciter explorant, nihil sine censura, & diligentia prætereunt. Nonne animarum salus tantò maiori nobis curæ esse debet, quantò anima corpori præstat? Qua cupiditatis febri non æstuant auari in cumulandis opibus? Quibus curis, & timoribus non agitantur, qui inter Principum aulas versantur, vix somnum capiunt, vt Principis gratiam, & fauorem sibi studeant conciliare? Vnde optimè dixit Basilius solis solicitis, & vigilantibus, diuitias, & præmia promissa esse. Quis se vmquam qui sementis tempore domi desederit otiosus, aut etiam dormiens, vbi postea messis aduenit, sinum suum manipulis impleuit? Qui ex vinea, quã ipse non plantauit, vuas vnquã collegit? Illorum enim sunt fructus, quorum & labores.

In diligentia, & vigilantia omnium artium, ac disciplinarum laus posita est; & dicemus hanc artem pastoralem omnium præstantissimam, & difficillimam, sine vigilantia benè consistere?

Hæc autem vigilantia non tantum in meditando, & speculando consistit, sed ad praxim, & actionem est dirigenda, vt scilicet imminentia mala præuidisse, & præmonuisse sufficiat, sed et illis occurrere pro virili debet; nec sat est, hostis appropinquantis aduentum de specula annuntiasse, sed debet etiam ante populum suum in prælio stare, & cum illo strenuè conserere manus, vt populus saluus sit.

Sed qua ratione inuigilare poterit? quomodo pecoris sui agnoscere vultum, atq; illi prouidere, si longius absit à grege, & si præsentiam suam illi subtrahat? Quis dubitat, quin Ianitor ianuæ, villicus villæ, gubernator nauis gubernaculo, & præceptor scholæ vacare debeat? Ita necessarius est Prælatorum aspectus, vt ex sola absentia ipsorum innumera mala in populum deriuent; & quemadmodum Lupi tunc gregem aggrediuntur, cùm absentem, uel dormientem pastorem conspiciunt, ita Dæmones in populis non superseminant vitiorum zizania, nisi absentibus, vel dormientibus Prælatis. Quando enim Israelitæ aureum vitulum conflarunt, nisi absente Moyse? Quando Samaritani morsibus Leonum infestati fuere, nisi Exodi 32.

Prouerb. 20 quando Sacerdotes elungabantur ab eis? Huc spectat quod est in prouerbijs. *Rex, qui sedet in solio Iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Et sicut matutinus splendor lucis nocturnas tenebras fugat; ita boni Prælati præsentia Dęmonis insidias detegit, & mala depellit. Nec alia ratione, luna etsi minor alijs stellis maiorem virtutem tamen in hæc inferiora influit, nisi quia in infimo orbe constituta, nobis proximior est. Sic prorsus de præsentia Pastoris ratiocinandum videtur. Vnde de D. Petro in Actis Apost. legitur sola corporis vmbra infirmos sanasse. Atq; hinc est, quod præter multas sanctorum Pontificum constitutiones, & Concilij Tridentini decreta, de ressiden. sess. 6. nostris etiam concilijs prouincialibus, & Diœcesanis cautum est, vt curatores animarum resideant in sua Paræcia, nec illis liceat abesse nisi causa De refor. c. 1. & sess. 23. c. 1. absentiæ cognita, & approbata, appositis etiam pœnis contrafacientibus. Verùm ad quid non residentibus Pastoribus pęnę apponuntur ab homine, cum longe grauiora supplicia illis sint à Deo parata? scilicet illa Domini comminatio, apud Zachariam, satis hoc indicat. *Sume tibi vasa Pastoris* Zach. 11. *stulti, quia ecce ego Pastorem suscitabo in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, & id, quod stat non enutriet; carnes tantū pinguium comedet, & vngulas eorum diuidet. ò Pastor, & Idolum derelinquens gregē, gladius super humerum eius, & super oculum dexterum eius, quia nimirum, & virtus operandi, & lumen intelligendi tolletur ab eo.*

Neq; profectò valet illorum excusatio, qui dicunt se habere bonos, & diligentes Coadiutores, seq; propterea niti illorum diligentia, & solicitudine; quia præter ea, quæ superius dicta sunt, tam multa passim eueniunt in cura animarum, vt sola opera, & industria ministri non sufficiat. Anne 4. Reg. 4. (vt habemus in libris Regum) satis fuit Eliseo Giezi puerum suum misisse cum baculo ad suscitandum filium viduæ? nequaquam: licèt enim omni celeritate, & solicitudine ad eundem venerit, & iussa magistri expleuerit, filius tamen non reuixit, nisi Eliseo præsente, qui se ipsum supra Defuncti corpus incuruaret, & suo calore spiritum, & vitam filio imperttiret. Et Moyses licèt Aron suum Coadiutorem in regimine populi etiam ipsius Dei Exodi 32. iussu, & voluntate constituerat, quia tamen ipse Dux, & Rector populi à castris longius aberat; populus, derelicto vero Deo, se inquinauerat vitulo à se conflato, dicens. *Isti sunt Dij, qui eduxerunt nos de Aegipto.*

Præterea qualis sit Coadiutor scimus, qui vt plurimum mercenarius est, & rarò eum spiritum, & affectum induit, qui verò pastore dignus est; alia opera à legitimo pastore, alia à mercenario expectantur.

Tandem, Christus postquam surrexit à mortuis, non antea, Petro oues Io. 21. suas commendauit, quia dum humanis oculis conspiciendus nobiscum conuersatus est, ipsemet, & non per alium curam pastoralem exercuit; quia scilicet animas diligebat, & qui animas diligit aliena opera, & custodia Ep. 138. minime contentus est: sic D. Augustinus suam Ecclesiam dilexit, propterea dicebat, *Nouerit dilectio vestra, numquam me, fuisse absentem ab Ecclesia mea licentiosa libertate.* Sic etiam S. Carolus Ecclesiam suam dilexit, in ipso ēt sui Episcopatus exordio; nam Mediolani Archiepiscopus creatus, non multos post annos sponsæ suæ amorem proprijs commodis, & honoribus anteponens, Mediolanū venit, vt Ecclesiæ sponsæ suæ amplexibus gaude-

ret,

ret, & frueretur, illud in se ipso exprimens, quod de coniugum amore Deus prædixerat. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*; sic facit, qui verè diligit animas, qui secus facit, ostendit se non esse sponsum sed peregrinum, non patrem, sed extraneum: Ideò Paulus volebat Episcopum vnius tantum vxoris virum esse, quæ Pauli verba licèt intelligantur; Ne Episcopus bigamus sit, moraliter tamen innuunt Pastorē nō nisi vnius Ecclesiæ cura contentum esse debere, vt totum suum amorem illi vni impendat, nec ab eius latere discedat, sicut sponsus vnius vxoris amore & amplexibus gaudet, & contentus est. Gen. 2.

Neq; etiam illi audiendi sunt, qui curam animarum relinquunt, alienisq; se negotijs occupant, quasi parum illis sit negotij, quòd animæ commissæ numero paucæ sint; nam si isti vnius tantum animæ dignitatem, & valorem verè intelligerent, plane etiam iudicarent, vnam tantum animam custodia, & præsentia Pastoris dignam esse, totamq; vitam ipsius in ea custodienda merito collocatam, & impensam fore. Sic de S. Carolo legimus, cum Cardinalem quendam esset cohortatus, vt in Ecclesia sua resideret, ille vero se excusasset, quod non magnam habens Ecclesiam, eam potius deberet aliena opera, & custodia administrare, respondit sanctus, *ne dum multa millia, sed animam solam amplissimi cuiusuis Antistitis præsenti custodia dignam esse*. Præsertim, cum, & pauco gregi idem hostis insidiari nō desistat, & talia pericula in singulas horas possint euenire, quæ Pastor vigil facilè præcauere posset, & quia non præcauentur, damna inde secuta reuocari non possunt, & ipsius Parochi salutem in aperto discrimine ponunt. Necesse est, itaq; vigilare, & stare in custodia gregis sui; *non enim dormitabit, neq; dormiet, qui custodit Israel*. Car. ep. Nouar. lib. 7. cap. 23.

De cura, & liberalitate erga pauperes. Cap. VI.



EX hac autem Pastòris præsentia sequitur hæc ingens gregi vtilitas; vt facilius, expeditiusq; subleuandæ pauperū inopiæ studere possit; & in medio ouium positus non solum forte, & pingue custodit, sed etiam afflicto, & egenti succurrit (neq; enim possunt pij patris viscera, miseros filiorum casus, & egestates sine commiseratione intueri, suntq; oculi omnis pietatis, & miserationis quasi ianua) Cùm autem inopibus, duplici charitatis suffragio succurri possit, ex D. Ambrosij sententia, consilio scilicet, & patrocinio, vel opibus ipsis, & facultatibus, vtrumq; charitatis genus promptè, & hilariter à Pastore exercendum est. Ezech. 34. Lib. 2. offic. cap. 1.

Ac primò quidē si de illa beneficentia, & liberalitate loquamur, qua benignè indigentibus corporaliter subuenitur, necessariam omninò in animarum Pastore ita censemus, vt sine ea lupus potius appellandus sit; quis enim ea tanquam oracula nullo inuoluta ænigmate nō intelligat, quæ sanctissimi Patres cōmuniter ea de re tradiderunt? Nullos videlicet bonorū temporalium, quę possident, dicendos esse dominos, sed potius dispensatores,

In Luc. tres, & ministros? Sanè D. Ambrosius vbi diuitem pecunijs hiantem, ita dicentem inducit. *Quid iniustum est, si cum aliena non rapio, diligentius mea seruem? Respondit, o impudens dictum. Propria dicis? Quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum intulisti? Quando in hanc lucem ingressus es, quando de ven*
3. p. Pastoralis add. 22. *tre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibus subsidijs stipatus ingressus es?* Et addit. *Nemo igitur proprium dicat*. Eiusdem sententiæ fuit D. Gregorius, asserens nos cùm necessaria indigentibus ministramus, sua illis largiri, non nostra, & ideo ait, elæmosinam à Christo iustitiam vocari, cum
Hom. 54. ad populũ. ait. *Videte, ne iustitiam vestram faciatis, coram hominibus*. Hoc ipsum etiam docuit D. Chrysostomus. *Non* (inquit) *opes accepisti ad hoc, vt in delitias absumeres, sed ut in elaemosinam erogares. Nunquid enim tua possides? Res pauperum tibi sunt creditæ, siue ex laboribus iustis, siue ex hæreditate possideas. Nunquid enim non potuit Deus hæc auferre. Verum hoc non fecit, in potestate tua ponens liberã in pauperes liberalitatẽ*. Hęc & alia multa luculenter Patres in hoc argumentũ disseruerũt, quæ si laicis quoq; merito aptantur, quid sentiendũ est de Ecclesiastico viro? qui Christi, & pauperum patrimonio alitur, & sustentatur, & quidem ea lege, vt præter necessarium, victum, & vestitum, omne illud, quod super est, in pauperum vsum erogare, teneatur. *Nam*
Lib. offic. 12. Q. 2. *Ecclesia* (inquit D. Ambrosius) *aurum habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat necessitatibus*: & qui contra faciunt, fures, raptores bonorum pauperũ, & nec atores appellantur; contra quos pauperes ita clamantes inducit
Ep. 42. D. Bernardus: *Nobis frigore, & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis. Nostrũ est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur, vita nostra cedit in superfluas copias vestras nostris necessitatibus subtrahitur, quidquid accedit vestris vanitatibus. Duo deniq; mala ex vna prodeunt, radice cupiditatis, dum vos vanitate peritis, & nos spoliando perimitis. Huc accedit quod hæc omnia non negotiationis studio, non proprio manuum exercitio elaborastis, sed nec iure hæreditatis possidetis; nisi fortè in corde vestro dixeritis; hæreditate possideamus nobis sanctuarium Dei. Hi omnes in futuro stabunt cum magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, stante pro eis patre orphanorum, & Iudice viduarum*. Hæc omnia Bernardus. Propterea
In Ps. 119. sapienter D. Ambrosius arcam auari Sacerdotis pauperum sepulturã appellauit. *Caue ne intra loculos tuos includas salutem inopum, & tanquã in tumulis sepelias vitam pauperum*.

Si autẽ Ecclesiastici redditus adeò tenues sint, vt pro sola Sacerdotis sustentatione sufficiant, adhuc tamen aliquid de proprio victu, & vestitu spõtè subtrahendum est, vt inde amans pater habeat, quo charissimorum filiorum necessitates aliqua ratione subleuet, exerceatq; hoc tam insigne
Ser. 37. ad Hierem. charitatis opus. Hoc fuit D. Augustini consilium. *Mementote, quòd pauperem vitam Sacerdos gerere debet, vt quod superest, pauperibus dare non differat, quia*
Tobia 4. *omnia, quæ habet sunt pauperum*. Didicit hoc Augustinus à Tobia seniori, qui morti proximus Tobiæ iuniori simile consilium reliquerat. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum, etiam ex illo libenter impertiri stude. Nam*
Homil. 53. in Matt. *si duo minuta contuleris* (inquit Chrysostomus) *dummodo id ex facultate feceris, tunc præclarum facinus fecisti, si panis frustum, quia nihil aliud habes dedisti, ad huius artis fastigium ascendisti*. Neq; hoc valde arduũ, & asperum Sacerdoti

vide

videri debet. Quot enim patres carnales sunt, qui vt panem filijs ad sustẽtationem vitæ tribuant, ipsi paucis contenti viuunt, & ex ore proprio liben ter subtrahunt, & conscissis uestibus incedunt, ut filiorum nuditatem uestiant. Est hic amor in patribus erga filios à natura insitus, atq; ingenitus, neq; hoc illis durum aut difficile uideri solet, quia natura Duce ad hoc impelluntur, ut est etiam in mutis animalibus: cùm uerò (ut iam dictum est) gratia connectat arctius, quàm natura, multo minus id difficile uideri debebit spirituali animarum parenti. Quin immo insignis cuiusdam charitatis indicium est, si enim magna charitas est, ea Dei intuitu egenis distribuere, quibus ipse non egeas, certè maior fuerit, si ipse aliquam penuriam patiaris, vt aliorum necessitati consulas. Prætulit nobis exemplum in hac re Exuperius Tholosanæ Ecclesiæ sanctissimus præsul, qui tantæ fuit charitatis erga suos pauperes, ut non solum omnes Ecclesiasticos redditus in ipsorum egestatibus subleuandis insumeret, sed ipse insuper quotidianis ieiunijs maceraret se ipsum ut ieiunus, & ore abstinentia pallente aliorum famem satiare posset, ut scribit D. Hieronimus. Hunc D. Carolus noster est imitatus, cuius ea fuit in pauperes liberalitas, & munificentia, ut ex propriæ domus preciosis, & etiam necessarijs apparatibus pauperum nuditatem operuerit, & pro ipsis sustentandis patrimonium ipsum multo ære alieno supponere non dubitarit. Meritò quoq; D. Gregorius in oratione de funere Gregorij patris hanc laudem enumerat. *Quis, inquit, pauperibus vel animo condolentior, vel manu liberalior? Sic enim haud dubio quasi alienorum bonorum, se procuratorem de bonis suis existimabat, pauperum inopiam, quantum pôterat, subleuabat, nec superflua tantum sed necessaria quoq; insumens, id, quod hominis erga pauperes amantissime affecti clarissimum est argumentum.* *In Ep. ad Rust. Monac.*

Deinde, si Pastor uitam pro suis ouibus effundere debet, cùm sese offert occasio, quantò magis opes, & suppellectilem? Esset quidem qui nõ gestiret in huiusmodi officio charitatis expers, teste D. Io. Apostolo. Quia *si quis viderit fratrem suum*, (quid filium)? *Necessitatem pati, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in illo?* Quibus, & illud D. Gregorij optimè conuenit. *Amare aliquem conuincitur, qui cum eo, in necessitatibus eius, etiam quæ sunt illi necessaria partitur, quia probatio dilectionis, exhibitio est operis; Nec satis est bene velle* (inquit D. Ambrosius) *sed etiam benefacere opus est.* Hinc illa Domini obiurgatio in Pastores immites. *Veh pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, non ne greges à Pastoribus pascuntur?* *1. Io. 3.* *Hom. euan.* *Lib. 1. offic. cap. 30.*

Adde quod splendor huius uirtutis is sit, ut cęteris uirtutibus, quæ in Sacerdote insunt, decorem, & nitorem quendam addat. Conciliat enim primò amorem subditorum, & beneuolentiam, quæ facit, ut faciliùs eius consilia, & præcepta audiant, & exequantur. Quam ob causam dixit Saluator Turbæ sequenti se, postquam tot millia hominum quinq; panibus saturasset. *Amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia comedistis de panibus.* Secundò bonam integritatis existimationem apud populum auget, quæ profectò spernenda non est, ut magis honorificetur Deus. Immò quandoq; apud aliquos, plus potuit hæc liberalitas, & beneficentia, quàm multus labor in prædicando, & solicitudo in sacramentis administrandis; duplici de causa. Altera quidem, quia cum humana natura suis commodis *Io. 6.*

&

& vtilitatibus valde intēta sit, eos præsertim bonos existimat, quos in seipsam experitur beneficos, quod interdum tantæ virtutis est, vt talem Sacerdotem, & si in aliquo delinquat, obseruet tamen, & reuereatur. Quāquam quid prodest in oculis hominum iustum apparere, in conspectu verò Dei esse iniquum, & scelestum? Altera verò, quia liberalitas in dando, facilè indicat, animum rebus terrenis minimè affectum, quam mentis altitudinem homines valde suspicere, & admirari solent. Quid enim, Nicolaum Myrensem Episcopum, & Sacerdotalis ordinis decus eximium, reddidit, seculis omnibus admirandum, nisi quod effusa semper habuit in egenos viscera pietatis. Quid Sanctum Martinum Turonensem Episcopum tantopere commendauit, nisi quia fuit adeò alienæ necessitatis, inter

Ecclesiast. 30. cæteras virtutes subleuandæ studiosus? vnde, & *illius eleemosinas enarrabit omnis Ecclesia sanctorum*. Quod spectat ad alterum genus charitatis, quod non ex arca, sed ex virtute depromitur, in eoq; consistit, vt opera, consilio, ac patrocinio pauperibus, viduis, orphanis succurratur, cui magis id conuenit, quam illi, cui eorundem cura commissa est, & si pater filios deserat, ad quem confugient? cum ea sit, imbecillitas humanæ naturæ, vt ad bene faciendum non charitate ducatur, sed potius suæ vtilitatis mercatura. Qua propter Curator suórum pauperum aduocatus sit, & propugnator; & de hoc nomine non minus, quàm de quouis alio glorietur; quandoquidē, & ipse Deus, cuius ipse vices gerit in terris, hoc eodem inopum, & mise-

Psal. 9. rorum patrocinio gloriatur, nam de eo scriptum est, *tibi derelictus est pauper, & pupillo tu eris adiutor*. Optime igitur D. Gregorius Nazianzenus oratione de pauperum amore. *Nihil* (inquit) *tam diuinum homo habet, quam de alijs bene mereri, tamen si Deus maiora hic minora benefitia conferat, vterq; pro*

Ep. 13. *viribus; fac calamitoso sis Deus*. Et magnus Gregorius. *Offitij Sacerdotalis est, vt viduis, ac maritali regimine desolatis impertiri solatia studeat, vt vnde in hoc mundo humana consolatione priuantur, Sacerdotali tactione possint remedia reperire. Proinde Paulus, qui in conuertendis ad Christum animabus, totus erat, adeo vt ab Euangelij prædicatione ne baptizandi quidem causa se distrahi pateretur, tamen cura pauperum in colligendis elæmosinis seriò insistebat*.

Hùc spectat, vt aures faciles illis præbeat, cùm ad ipsum confugiunt, æquo animo illorū audiat necessitates, omni benignitate consoletur, seq; verè illorum, non modò verbis, sed re ipsa patrem exhibeat, vt præmonuerat sapiens. *Declina pauperi aurem tuam sine tristitia, & redde debitum tuum,*

Eccl. 4. *& responde illi pacifica in mansuetudine*. Studeat etiam, quantum licet, pauperes omnes, qui sunt intra fines suæ parœciæ de facie cognoscere, vt illorum necessitate magis perspecta, faciliùs subueniat; In quo etiam aliorum opera, & charitate vtatur, quos ad hoc charitatis opus excitabit.

Quam-

Quanta sit obligatio Curatoris animarum ad prædicandum Verbum diuinum. Cap. VII.



Erum memoratum hoc charitatis officium exiguum videbitur, si cum eo comparetur, quo animæ spirituali cibo, cælestique doctrina pascuntur, & recreantur, quod sanè tanto maioris necessitatis, & dignitatis est (vt inquit Chrysostomus) quanto potior est anima corpore. (*Ita ijs, qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditant, maioribus præmijs; ij digni sunt, qui admonendo, & continuè docendo in viam rectam desides inducunt*, & alio in loco. *Nullius rei pretium potest cum anima comparari, nec totius quidem mundi, quamobrem, & si diuitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is qui conuertit animas;*) idcirco Apostoli alia officia, quantumuis pia, & digna post habuerunt muneri prædicandi, dicentes; *Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Nec quidem dubitari potest, quin inter cætera Pastoris officia docendi, & prædicandi munus præcipuum, ac singulare sit: primum enim habemus Apostolum, qui hanc in primis partem à Thimoteo Discipulo tanta solicitudine requirebat. *Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius, & regnum eius, Prædica verbum, insta opportunè, importune*, & tandem, *opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple*, aperte significans, non impleri ministerium, nisi verbi diuini prædicatione; si quidem in hac Christi legatione præcipua pars curæ pastoralis posita est. Apostolus ipse Sacramentorũ ministerium à se ablegauit, vt vni tantum prædicationis offitio vacaret, Cum diceret, se à Deo missum non baptizare, sed euangelizare. Sanctus Greg. item scribens ad Dominicum Epm Carthaginensem, sic ait. *Episcopi est de prædicationis ministerio semper cogitare, intentissimo timore considerãs, quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, & talenta seruis distribuens, dicat: negotiamini dum venio. Quod profectò negotium tunc verè nos agimus, si viuendo, & loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos in superno amore roboramus, si proteruos, ac tumidos gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus, si nulli contra veritatem parcimus.* & alibi. *Præconis offitium suscipit quisque ad sacerdotium accedit, vt ante aduentum* Iudicis, *qui terribiliter sequitur ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super Pastores primos in linguarum spetie spiritus Sanctus insedit, quia nimirum quos repleuerit, loquentes facit. Hinc Moysi præcipitur, vt tabernaculum Sacerdos ingrediens tintinabulis ambiatur, vt videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris iuditium ex silentio offendat.* Hæc omnia Gregorius. Ex quibus satis etiam constat quãtæ damnationi sit obnoxius Pastor, qui diuini verbi pabula gregi suo non ministrat, & hoc necessarium munus negligit, & verè vbi prædicatio à Sacerdote negligitur, ibi populus pecudum more vitam trahit erratque sicut ouis sine pastore. *Transibunt autem dies in Israel absque Deo vero, & absque lege, & absque Sacerdote Doctore*, idest erunt populi sine Deo, & sine lege, quia non erit Sacerdos qui doctoris munere fungens vera

Hom. 3. in Gen.

Hom. 3. in ep. ad Corint.

Act. 6.

2. ad Thimot. ca. 4.

Ep. 59. lib 2.

2. p. Past. c. 4.

annunciet. Et apud Ezechielem *Dispersæ sunt oues meæ, eò quod non esset Pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso excelso; & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret, & non erat inquã, qui requireret*. Quibus verbis ouium suarum ruinam muto, & desidi Pastori ascribit Deus. Quod & agnouit Beda in illa prouerbiorum. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis benedictio autẽ super caput vendentiũ. Qui prædicationis verba retinet* (inquit) *maledicetur in populis, quia in solius culpa silentij pro multorum, quos corrigere potuit, culpa, damnatur*. Quare Paulus timebat sibi, si ab hoc tam necessario opere cessasset. *Væ mihi si non euangelizauero*. Verùm vlterius qua conscientia fructus sui beneficij percipere, & ecclesiasticis prouentibus gaudere potest Sacerdos, si cælestis vitæ pabula populo suo dare recusat? quorsum enim à fidelibus tã to labore parta, & quæsita bona & stipendia illi assignata sunt, nisi vt ab ipso vicissim salutaribus pascantur cibis. Maximum ergo crimen est, fidelium patrimonio sustentari, & debitum illis ministerium non rependere, ait D. Gregorius. *Fructus terræ absque pecunia comedere est, ex ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem Ecclesiæ prædicationis pretium non præbere. Quid ad hoc pastores dicimus? Qui aduentum districti Iudicis præcurrentes officium quidem præconis accepimus, sed ecclesiastica alimenta manducamus*. Itaq; iure optimo Sacra Tridentina Synodus summam Pastorum obligationem prædicationis verbi diuini attendens, decreuit: Plebanos omnes & quoscumque curam animarum habentes diebus saltem dominicis, & festis solemnibus Plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascere debere, salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum breuitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cælestem gloriã consequi valeant; adiungens pęnas, & censuras, quibus negligentes à suo Episcopo mulctari debent. Quod cũ ita sit, quam sui ipsius excusationem coram Deo æquissimo Iudice iustè prætendere poterit, qui partes suas in hoc tam necessario munere desiderari patitur.

Ezech. 34. — Prouerb. 11. — In mor. ca. 31. — Sess. 5. de reformat. cap. 2.

Non vtique dicere satis erit, se à prædicatione cessare, quia aliqui sint in populo proterui, & contumaces, qui ex suis verbis ridendi potius, quàm Christiani profectus arripiant occasionem: quando enim vnquam auditum fuit, agricolã, quia grandinis calamitas vnam partem campi afflixit, & vastauit, reliquam partem, quæ illæsa seruata est, tædio affectum omnino deserere, quin imò auget magis studium, & diligentiam suam in ea parte excolenda, quæ vastata non fuit; vt alterius partis damna compenset. Igitur ob culpam paucorum cæteris præiudicium inferendum non est. Deinde venire debet in mentem Sacerdoti se medici, ac matris vices gerere. Ille namque etsi videat ægrum frænet icum respuentem medicamenta, non tamen cessat ab opere, sed maiori studio, & diligentia illius saluti prospicit, & mater magis commouetur ex filij contumatia, & proteruia.

Sin autem (quod vix credi potest) excusationis loco dicat, se diuini verbi semen non spargere, quod steriles animarum agros, atq; adeo nullam

nullam prorsus messem inde prouenturam conspicit, esse vero parum cordati viri oleum,& operam perdere. Hinc etiam facilè conuincitur, ipsum huius artis naturam,& conditionē omnino ignorare. Quis enim nesciat spiritualem profectum animarum non esse opus nostrum, sed solius Dei, vt testatur Iob Sanctissimus vir? *Quis potest facere mundum de immundo, nisi tu qui solus es?* nos verò esse tantum administros,& cooperatores: *fac ergo tu* (inquit D. Bernardus) *quod tuum est, nam Deus, quod suum est, curabit. Planta, riga & tuas expleuisti partes, sanè incrementum, vbi voluerit, dabit Deus, vbi verò noluerit, tibi deperit nihil. Medici est medicamenta adhibere, non est in manu medici semper, releuetur, vt ager. En plaga tibi incumbit, cura eam curam exigeris non curationem* ita Bernardus. Præterea consideret cum D. Chrysostomo in omnibus artibus, homines etsi crebrò frustren tur optatis, nec res ex sententia eueniant, non tamen desistere ab opere; Piscator, & si multoties frustra rete laxet, in capturam piscium, tamen ad idem opus redit; cur non hoc etiam faciat Sacerdos: præsertim cum ob humanæ mentis inconstantiam fructus, qui hodie non reportatur, cras forsan vberior esse posit,& qui vna vice persuadere, non valuit, alia forsan id præstare sufficiat. Scite D. Chrysostomus dicere consueuerat. *Si non persuaseris hodie, cras persuadebis, quod si nunquam persuaseris multis, paucis ex multis poteris persuadere, nam & Apostoli non omnibus persuaserunt, locuti sunt tamen omnibus, & mercedem, quæ omnibus debetur, habuerunt; non enim ex exitu eorum, quæ rectè fiunt, sed ex mente eorum, qui rectè faciunt solet Deus coronas definire. Non ergo propter magnorum desiderium à paucis te subtrahas si non potes centum, decem curam habe, si decem non potes, quinque ne despicias, quod si quinque non potes, vnum noli despicari, quod si nec vnum possis noli animum despondere.* Hucusque Chrysostomus. Quamobrem perseuerantia,& assiduitate opus est: neque enim gallina pullos educet vnquā si vbi primo ouis incumbere cæpit, illa protinus deserat. Aduertat etiā fructum concionis, vt plurimum occultum esse, nec esse semper in conspectu concionatoris. Vnde & euenire potest, vt vbi nihil profecisse credit, ibi profecerit plurimum. Et quod summum, & maximum solatinm, hac in re est, siue proficiat populus, siue non nihilominus Sacerdoti tacendum non est, ut ait D. Prosper, *quia Sacerdotes ideò rei sunt; non quia forte populi eorum verba non audiant, aut audita contemnant, sed si ab ijs corrigendis desistant*, & eò magis, quia & si iactum semen non recipiatur in cordibus auditorum, neque in ipso proficiant, non minus ob id accepturus est præmij, quia concionatoris præmium non ex auditorum cōuersione,& profectu tantum, sed ex propria charitate solicitudine,& labore in concionando dependet.

Iob. 14. *Lib. 4. de Consid. in initio.* *In cap. 16. Luce conc. de Laz.* *Orat. 4. in Primum Corint. 1.* *Lib. 1. de vita contemp. c. 21.*

Multò vero minus illi audiendi sunt, qui asserunt, pluribus se distineri negotijs, quæ maiorem temporis partem insumant, vt ei muneri otiū non relinquatur; habere autem, se viros, qui satisfaciant, vel exercere se curam animarum in ciuitate, vel in tali loco, vbi non desunt conciona tores, ad quos populum suum remittant. Quæ sanè excusationes illis pa rum prosunt. Cui enim dubium esse potest; inter onera pastoralia, munus prædicandi præcipuum esse, ad quod præsertim exercendum, non autē ad lites,& contentiones vocatur, qui animabus præficitur. Vnde & Pau

Primo Corint.

Cc 2 lus

Exod. 18. dus volebat, vt qui erant in Ecclesia contemptibiles, ij ad secularia negotia componenda constituerentur. Et hoc fuit consilium, quod Iethro Moysi dedit, vt causarum quidem secularium definitiones inferioris ordinis hominibus delegaret, ipse vero populo in ijs, quæ sunt ad Deũ, præesset; Qui verò, relicto ministerio verbi Dei, solicitudines suscipiũt seculares, atque ad hæc obiectissima se dimittunt, alienum opus faciũt, eo relicto, quod sibi primò incũbit, quin immò & si negotia sint eiusmodi, vt ex proprij muneris ratione omitti non possint, non ideo tamen prædicatio prætermittenda est, cùm anima, quæ spirituali cibo alitur, & nutritur, omnibus rebus præponi debeat. Neque verò valet altera excusatio, quæ ex defectu dilectionis, & charitatis oritur, si enim Sacerdos oues suas verè diligeret, nequaquam aliorum arbitrio pascendas relinqueret, nam verè amans ipsemet dilecto inseruit. Quapropter sicut non placet D. Gregorio illa matrum consuetudo, quæ filios, quos genuerunt, alijs lactandos tradunt, quia hoc in aliquibus incontinentiæ, signum est, in aliis vero est defectus amoris: ita hæc consuetudo aliquorum Sacerdotum omnino non probatur; proprij enim Pastoris verba, & sermones, & si minus eloquentes nescio quid amplius habent ad cõmouendam corda filiorum; *Nam & si decem millia pedagogorum habeatis* (dicebat Paulus) *sed non multos patres.* Et lac matris (ex sententia Galeni) filiorum educationi, & sanitati magis confert, quàm alterius fœminæ. Denique si hoc valeret, vt quis redditibus beneficij gaudere posset alter vero portaret pondus diei, & æstus, & curæ exercitium ex libito transferri posset in alterum, quilibet imperitus, & indoctus idoneus esset ad tantum magisterium; quod tamen nemo, nisi plane ignarus audeat affirmare. Postremò addunt alij, se minus idoneos esse ad hoc munus, quia forte natura ad dicendum aptitudinem, & facilitatem illis elargita non sit; Quod si ita est, sanè summæ temeritatis, & audaciæ indicium est, velle in se suscipere onus, quod cum fuerit impositum portare nequeas. Siccine miles ad bellum sine armis descendis? An nesciebas prædicationem diuini verbi primam, & summam partem tenere in Pastore, nihilque monstruosius esse muto speculatore? & canes, qui latrare non valeant, vbi & quãdo opus est, domo pelli, nec dignos esse; qui impensis Domini alantur? tua tibi virtus erat conscientiæ trutina examinanda; quæ si non probabatur, vltrò tibi locus alteri cedendus erat; qui te instructior, & ad hoc munus paratior non defuisset. Quin etiam addit D. Chrysostomus. Sacerdoti, cui aliorum cura incũbit, non esse satis vitæ propriæ integritatem, sed necessariam quoque esse diuini verbi prædicationem. *Boni Sacerdotis* (inquit) *conuersatio sanè verbo tenet quidem sanctos in sanctitate per solum exemplum adducere autem ignorantem ad scientiam non potest.* Eiusdem planè sententiæ fuit D. Hieronymus. Neque dicas, te ad hanc prouinciam subeundam alieno arbitrio vocatum aduenisse; habebis enim D. Chrysostomum acerrimum tuæ propositionis oppugnatorem. *Nemo* (inquit ille) *licet ei vis adhibeatur, spondet, se ædificaturum domum, nisi sit Architectus, nec se agros curaturum profitetur, nisi sit medicus*, vbi aliarum etiam artium inductione idem apertũ facit. Si ergo in paruis rebus illi nullis precibus vincuntur, nec spe, ne

Margin notes: Exod. 18. — Lib. 4. mor. cap. 3. — Primo Corint. 4. — De tuenda sanitate. — Hom. 10. in Mat. — In Aug. c. 2. — Lib. 3. & 6. de Sacer.

vi illata, quanto accuratius id seruandum erit in negotio animarum, in quo prædicatio ad illarum salutem procurandam præcipuum instrumẽtum est? Moyses sit exemplo, qui & si à Deo vocatus, vt Hæbraici populi administrationem susciperet, prouinciam tamen recusare volebat, quia ob linguæ impedimentum se minus idoneum ad hoc officium agnoscebat. Deinde modus concionandi, qui proprius Pastoris est, non debet esse multa elaboratus industria, qui aures demulceat, sed debet esse simplex, ex intimo cordis affectu, cùm charitate, & zelo, directus ad vtilitatem, non uerò ad ostentationem. Sic D. Prosper explicans, qualis esse debeat concio Pontificis. *Pontifex*, ait, *non in verborum splendore, sed in operum virtute, totam prædicandi fiduciam ponat; non vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus; non plausum à populo studeat expectare, sed gemitus: tã simplex & apertus, & si minus latinus, disciplinatus tamen, & grauis, & ab intelligentia sui, nullos quamuis imperitos excludat, sed in omnium audientium pectus cum quadam delectatione descendat.* Idem docuerat D. Ambrosius. Et uerè, quæ maior patris temeritas esse potest, quàm si dicat, se nolle filios corrigere, illisque necessaria præcipere, quod eloquens nõ sit, Amet Pastor ex corde oues suas, quia charitas eloquentem facit, nec amanti deesse potest quod dicat, suggerente amore, tum graues sententias, tum peracuta verba. Quid plura. *Communica cæleste triticum sine inuidia* (inquit apposité Bernardus) *& sine desidia; si multum accepisti, multum da; si modicum, & id retribue. Etenim, qui in modico fidelis non est, nec in maximo erit; totum, quod habes, da; quia totum repetendum est vsque ad vltimum quadrantem. In his duobus mandatis, verbi scilicet, & exempli summam tui officij ad conscientiæ securitatem pendere intellige.* Quod & D. Chrysostomus his verbis comprobauit. *Nonne vides, quod etiam in contractibus, non solum ex auro, sed etiam ex argento, mercaturam exercent, qui conuersantur in his?* Moyses ille, qui tot tantaque prodigia in salutem filiorum Israel operatus est, nonne dixerat. *Non sum eloquens ab heri, & nudius tertius?* Tales ministros suos requirit Deus, qui licet parce loquantur, operantur tamen abundanter.

Lib. 1. de vita contemp.

In ep. ad Corint.

Lib. 4. de consid.

Lib. 4. de cõsiderat. or. 4 in 1. Corint. c. 1

Exod. 4.

Qualis esse debeat concio Curatoris animarum. Cap. VIII.



VT verò in hoc tam necessario munere ad maiorem Dei gloriam, & salutem animarum Sacerdos proficere queat, de nonnullis mihi præmonendus videtur breuiter, cum non sit mei instituti certam quandam regulam cõponendæ concionis tradere.

In primis itaque hoc veluti fundamentum statuat Sacerdos, in prædicatione diuini verbi, se nobilissima legatione pro Deo apud populum suum fungi, ideoque oportere, si fidelis esse uelit, vt nihil intendat, & quærat nisi Dei sui honorem, & spiritualem utilitatẽ animarum, non inanem gloriam, non populi acclamationes, non temporalia lucra. Quæ enim infidelitas maior, quam si legatus Principis negotia tractaturus, suis tantum commodis intentus sibi tantum laboret?

De formãdis Sacris concionib. Xerezanus Theologus. De ratione item concionandi Didacus stella. Ludouicus Granaten. Carolus Regius de oratore in Christiano

Serm. 62. in cant. boret. *Quaris* (inquit D. Bernardus) *quem dicam impurum, qui laudes requirit humanas, qui non ponit sine sumptu euangelium, qui euangelizat, vt manducet, qui quæstum æstimat pietatem, qui non requirit fructum; sed datum.* Atque hinc est, quod Sacerdos parum, aut nihil in concionibus proficit: non enim eum sibi scopum proponit, qui præconi fideli propositus est; non laxat rete, in capturam animarum; Hoc igitur habeat præ oculis mentis, tum initio concionis, tum in progressu, vt Deum glorificet, & animas lucretur; & sicut Elias, strue lignorum parata, & hostia superposita ad sacrificium peragendum ignem de cęlo implorauit, ita hic ignis desiderij honoris Dei, & salutis animarum ante omnia concipi debet: secus námque certò sciat, omnes cibos, quos est appositurus, sine hoc igne, & sibi, & populo insipidos fore. Nam rectè Gregorius *cum peruersa est intentio,*

Lib. primo Dialog. *quæ præcedit, prauum est omne opus, quod sequitur, quamuis esse rectum videatur.*

Hoc fundamento iacto primò summam diligentiam adhibebit in materia deligenda; si enim Dei se legatum in hoc ministerio agnoscet, iuxta sensum Domini sui loquetur, nec aliud referet, quam quod habet in mandatis, ut est apud Hieremiam. *Loqueris ad omnes ciuitates Iuda vniuer*

Hierem. 26 *sos sermones, quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos, omnia quæ ego præcipio tibi,* hoc est non loqueris ex tua sententia, neque annunciabis ad libitum, sed ea tantum, quæ tibi præcepta sunt; quare eas materias non proponet, quæ vel steriles sint, & inanes, vel curiosæ; sed eas potius, quæ affectum permoueant, mores ad pietatem instituant, & peccata destruant nam *concionatoris laus*, teste D. Hieronymo, ad Nepotianum, *non est clamor populi, sed lacbrymæ auditorum.* Sedulo quoque populi sui mores ingenia, & capacitatem explorabit, & ad illius captum, & pro eiusdem indigentia sermonem accommodabit, vt optimè monuit D. Gregorius

Lib. 20. mor. ca. 2. *Debet subtiliter is, qui docet prospicere, ne plus studeat, quàm ab audiente capiatur, prædicare; debet enim ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendere, ne dum paruis subtilia, & idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostẽdere, quam auditoribus prodesse,* Diui etiam Pauli exemplum sibi proponat, qui quamuis admirabili, & diuina sapientia præditus esset, ita se tamẽ cunctis accommodabat, vt omnibus omnia fieret, vt omnes lucri faceret; paruulis in Christo lac, prouectis verò solidum cibum apponens. Atqui eo fiet, ut verbum Dei, non adulteret, sed excluso omni humano

Primo Corint. 3. timore, & respectu, liberè annunciabit, quæ animarum saluti prodesse censuerit; Neque enim fideliter legati offitio quis fungitur, qui oris rubore detentus Domini mandata non exequitur. Vnde Apostolus. *Si ho-*

Ad Gal. 1. *minibus placerem, Christi seruus non essem.* Nã sæpe vt obseruauit D. Grego-

2. p. Past. cap. 4. rius *Rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes, liberè loqui recta pertimescunt, & iuxta veritatis vocem nequaquam custodiæ gregis pastorum studio, sed mercenariorum vicè deseruiunt, quia veniente lupo, fugiunt dum se sub silentio abscondunt.* Et quis nõ ægre ferat, si qui in populo positus est à Deo, ut annunciet veritatem, *sit in sermone adulationis; videat vana, & diuinet mendatium dicens pax, & non sit pax. Veh, qui consuunt puluillos sub omni cubitu ma-*

Ezech. 13 *nus* (inquit Dominus per Ezechielem) *& faciunt ceruicalia, sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.* Denique concludit. *Et disrumpam ceruicalia vestra, & liberabo populum de manu vestra, nec erunt vltra in manibus vestris*

stris ad prædandum, & scietis, quia ego Dominus. Nulla pestis maior in grege est quàm si uulnus, quod ferro secandum est, vnguento delinitur à Pastore. Hanc autem dicendi libertatem perpetuo comitetur vitæ integritas: ille enim potest liberè vitia repræhendere, cuius vita orationi respondet, *& tunc cum imperio docetur*, ait D. Gregorius, *quando prius agitur, quod dicitur, antequam dicatur, & doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam.* Charitas etiam adsit, ne libertas in audaciam, & arrogantiam migret, sicque vulnus potius exulceret, quàm sanet: medicum imitetur, qui cùm medicamentum propinat amarum, ad sorbendũ reluctantem ægrotum inducit dulci aliquo liquore labia calicis obliniens; ita planè sciat pastor, nulla ratione populum ad audiendum magis allici, atque demulceri, quàm si nouerit ea, quæ dicuntur à charitate prouenire. Ep. 23.

Minus autem ferendum esset, si Pastor eò sermonem suum dirigeret, vt proprias vlciscatur iniurias, Satyrica quadam mordacitate, in priuatas personas potius, quàm in ipsa peccata inuehens; nam hoc multorũ dissidiorum, & discordiarum, causas daret, graue enim negotium est curatio animarũ, & magna dexteritate curatoris indiget, qui si animo continuè erga omnes bene affecto esse debet, inter concionandum, præsertim, ubi si minimo signo, aut verbo indignationẽ in aliquem indicet, offensionis periculum graue est. Atque ob hanc causam rectè S. Cyprianus. *Magis optamus, & cupimus contumelias, & iniurias singulorum clementi patientia vincere, quàm Sacerdotali licentia uindicare.* Neque etiam concionem ad sua priuata commoda conuertat stomacum enim prouocat audientibus fructum, tanti operis perdit, vilescit hac cupiditatis nota tantum ministerium, & ponitur offendiculum Euangelio Christi, cùm nõ propter ipsius gloriam, aut salutem animarum, sed propter temporalia lucra Sacerdos Euangelizat.

Hæc & alia multa mala facilè euitabit Sacerdos, si ante concionem in Deum per orationem, & contemplationem mentem suam referat, & dirigat, cùm enim concionator Dei buccina sit, & instrumentum, certum est nihil ritè perficere posse, nisi impulsu & virtute ipsius Dei, quod apertissimis verbis indicauit Apostolus. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Confirmat hoc idem D. Bernardus, qui in Ecclesiastico ministro vult esse maioris momẽti orationem, quàm verbum, & exemplum. *Nunc manent* (ait) *tria hæc verbum, exemplum, & oratio maior autem horum est oratio.* Et rationem adiungit, *quia oratio operi, & voci gratiam, & efficaciam promeretur. Et mutum est omne ôs* (inquit Gregorius) *quod loquitur, si Deus interius in corde non clamet, nequit enim mens, quæ igne diuini amoris, non calet, ad supernum desiderium auditores inflammare, nec verba, quæ frigido corde perferuntur, alios incendunt, neque enim res, quæ in se ipsa non arserit aliud accendit.* Quare discipulos suos Christus lucẽ appellauit, quia propriũ lucis est, ardere, & lucere simul, lucere quidẽ p diuini verbi promulgationem, sed antequã luceant cæteris, ardeant prius in se ipsis, necesse est. 2. Corint. 5 Ser. 57. in cant. Lib. 11. mor. cap 5. lib. 2. mor. cap. 25.

Ad hæc consequens est, ut Parochi sermo, non solum tendat ad alios erudiendos, sed vt ipse prius verbis suis proficiat. Est Domini sententia; *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò sua detrimẽtum*

tum patiatur? Quid illi confert, si alios pascat ipse vero famē pereat? Similis erit iumento, quod commeatum ad sustentationem ciuium non sibi defert. Quot enim concionatores in inferno cruciantur, qui plurimis saluti fuerunt, ipsi tamen misere periere. Cur ita? Quia alijs tantum, non sibi ipsis prædicabant. Meritò igitur D. Chrysostomus concionatorem stomacho comparauit: hic enim recipiens cibum primo coquit eum in semetipso, & per totum corpus dispergit, sic & Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per scripturas ex Deo, secumque ea dignoscentes, sancta quadam meditatione vniuerso deinde populo eandem distribuunt. Quod & obseruauit egregie, sicut de seipso testatur.

Hom 38. in Mat.

Cum vos exhortamur non ad uos dumtaxat, sed ad nos etiam, qui orationem habemus, & loquimur, & loquemur, siquidem & nos doctrina, consilio, & monitione egemus; neque enim nos sine peccato sumus. Et dicebat non posse Sacerdotem verè alios docere, qui seipsum prius non docuerit. A nutrice sumamus exemplum, quæ cibum dentibus aliquantulum terens, prior illius saporem prægustat, quàm infanti porrigat. Et mea sententia, qui sibi prius non persuadet, nec ipse suis ipsis verbis proficit, nec alijs poterit persuadere: quia quantumcunque artis, & industriæ ponatur in dicendo, cōcio semper languida, & exanimis erit, at si quod alijs dicitur, intimo animi sensu prius à dicente percipiatur, seriò, & efficaciter loquetur; quia prodeunt hæc verba ex corde. illa autem ex ore tantum; feruor enim spiritus, qui tantopere in concionatore commendatur, nec consistit in vehementi agitatione corporis; nec in magno clamore, nec in gemitibus, quæ omnia aliquando sine mentis affectu prodeunt & sine fructuum messe, sed potius in ardore charitatis, qui viuificat, & exacuit verbum Dei, & facit tanquam gladium penetrabiliorem omni gladio ancipiti, pertingentem vsque ad diuisionem animæ, & spiritus; quod facilè assequetur, si oratio concionem præcedens de ijs præsertim habeatur, de quibus concio ipsa instituenda erit, in hac enim meditatione exardescet ignis, quem in aliorum cordibus accensurus est; Persuasum hoc itaque sit, neminem de Deo sine Deo posse bene loqui, ideò Apostolus. *In Deo, & coram Deo, in Christo loquimur.*

Hom. 13. in Io.

Hom. 18. in cap. 21. Mat.

Hom. 17.

Hebreor. 4.

Ad Heb. 2.

Et quoniam (vt iam dictum est) scopus concionis esse debet spiritualis profectus animarum, omnem vim, & conatum eò præsertim intendere debet, vt ea peccata tollantur, quæ magis grauia, & communia in populo conspexerit, & illæ virtutes inserantur, quas magis necessarias iudicauerit, & in his argumentis sæpius immoretur. *Numquam nimis dicitur, quod numquam satis dicitur*, inquit Seneca, & Paulus ipse Timotheo idem præcepit, *Insta opportunè, importunè.* Et tunc maximè se profecisse credat, si vel vnum tantum mortale peccatum expugnarit.

Ep. 27. 1. 2 Timot. 4.

Ad quod assiduo studio opus est, Erit autem adiumento, si quæ notatu digna inuenerit in Sanctis Patribus, vel in alijs probatis Auctoribus, in certa quædam capita ordinatè referat, ex illis enim tamquam ex penu varia ad dicendum argumenta habebit.

Postremo, concione absoluta, aliquantulum colligat se ipsum, & secū eā recogitet, quæ alios docuit, vt & ipse eadem exequatur, vt dicere possit cum Apostolo. *Quæ didicistis, & accepistis, & vidistis in me, hæc agite.*

Ad Filip 4.

Et

Et quia fructus concionis à Deo magis pendet, quam ab humana industria, coram Deo supplex & humilis contestabitur, se quidem hominum cordibus credidisse diuinum semen, esse verò ipsius Dei dare incrementum.

Hæc breuiter annotata, si in vsum inducat Sacerdos profectò ille fructus sperandus est, quem Regius Propheta prædixit. *Sicut sagitta in manu potentis ita filij excussorum. Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis, nõ confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Psal. 126.

In Doctrina Christiana explicanda sedulus sit Curator. Cap. IX.



PRæter autem Euangelicæ lectionis explicationem, singulo quoque Dominico die populo inculcandam, peculiare etiam studium, operamque impendat necesse est, præcipuis fidei Christianæ mysterijs rudibus, siue infantibus ac populo ipsi demum tradendis, explanãdisque cùm *fides*, teste Chrysostomo, *sit origo iustitiæ, caput sanctitatis & principium deuotionis*. Et quemadmodum hortorum cultores primam operam ponunt in excolenda arborum radice, frequenti scilicet irrigatione, fimique iniectione terrã emollientes, vt ad imas radices perueniat solis, pluuiæ, & aeris influxus: quia beneficium in radicem ipsam collatum in omnes arboris ramos, fructusque sese diffundit; ita prorsus in fide Catholica excolẽda, & roboranda sacrorum mysteriorum, quibus illa innititur declaratione, præcipua Pastoris opera posita esse debet: hac enim radice magis exculta, maiores in cæteris virtutibus tãquã in ramis ex ea prodeuntibus, fructus emanabunt. Ex quo præsertim fiet, ut uberior fructus cõcionis existat; quo.n. fideles diuinis mysterijs magis instructi sunt, erunt & ad benè operãdũ promptiores sunt enim causæ, quibusdã exceptis, sibi inuicẽ causæ ex vulgata Philosophorum sententia, mutuasque sibi præstant operas: quod præcipue locum habet in hominis voluntate, & intellectu, quia & si magnam vim habet ad deprauandum intellectum malus, & corruptus affectus, hæc tamen voluntas, cùm cæca, sit indiget lumine intellectus; quare quo magis ille veritatis luce illustratur, facilius cœcum dirigit voluntatis impetum. Voluntas autem ab eo benè instituta aberrare nõ finit intellectum, sed eundem ad illa amplectenda trahit, quæ vt bona cognouit. Hinc David *super seniores intellexi, quia mãdata tua exquisiui.* Quod Deus ipse clarius asseruit. *Siquis (inquit) voluerit voluntatem Dei facere agnoscet vtique de doctrina mea.* Itaque sicut stomachus, optimè refectus, cæteris etiam membris vigorem ad operandum impertit; ita illustrato intellectu, hæc cœlesti doctrina hominis voluntas facilius ad bonum dirigitur. Extant ad rem verba Apostoli. *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum, cum gaudio suscepistis cognoscentes* (nempe per fidem) *vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Vbi has tam insignes

Serm. de fide. Psal. 118. Io. 7. Heb. 10.

virtutum operationes vni fidei referre videtur. Inde sapiens illud responsum Serapionis Sidonij magnæ sanctitatis viri extat; qui tunica, & pallio, penè obrigentibus acri frigore pauperibus liberali, ac pio animo datis; cùm seminudus ipse incederet, vlnis euangelij præseferens codicem, à nescio quibus rogatus, quis eum sic nudasset; Respondit. *Hoc me nudauit, quo nihil mihi antiquius, euangelium:* Et experientia nos ipsa id euenire eo in loco, cui præest Sacerdos strenuus, ac diligens in hac tam necessaria Christianæ doctrinæ exercitatione optimè demonstrat. Ibi populus est ad percipienda Sacramenta piè, & deuotè, frequentior, morum corruptelæ ferè nullæ, sancta, & modesta in ecclesijs statio, religiosus cultus festorum dierum, externus templi ornatus illustrior apparet; reuerentia item insignis in gradum Sacerdotalem, & alia multa, quæ hoc tam diuinum institutum in cordibus fidelium parere solet. Vbi verò negligitur, ibi omnia ruunt in peius, ibi ignorantia, cæcitas, error, vitium, & si non hæresis, certè tanta peccandi libertas, vt nullum religionis veræ simulacrum vix conspiciatur. Docemur hoc etiam à D. Hieronymo illis uerbis. *Ex quo intelligimus deficiente inter Christi fideles salutari doctrina, quasi alimento laborantes, extingui pudicitiam, castitatem, omni labe infici, virtutes omnes amisso nomine in peius ruere omniaque retro sublapsa referri.* Sed elegans in huius rei confirmationem est D. Chrysostomi similitudo. *Sicuti si pastor* (inquit) *gregem suum non pascit ex fame macies quadam, & attenuatio in quibus inducitur; qua lethalem morbum ingenerat, sic ubi populus sui pastoris spiritualem famem cælestis doctrinæ patitur, ibi est omnis pietatis, & religionis exterminium, & Christianæ disciplinæ exilium. Vbi non est scientia animæ, illic non est bonum* ait sapiens in prouerbijs, & benè dixerat Marcus Tullius. Sublata cognitione & scientia, tolli omnem rationem, & vitæ degendæ, & rerum gerendarum, & quod orator ille de Republica, & Ciuitatum administratione dicebat, idem magis concludi potest de animarum cura, & salute. Porrò interdum euenit, vt fructuosior fit opera Parochi in Christiana Doctrina explicanda, quàm in publicis concionibus: in his enim cùm omnibus seruiat, & generaliter loqui, & generalia quædam præcepta tradere conuenit, idque verborum copia, & eleganti quodam sententiarũ apparatu. At in priuatis colloquijs, quæ in scholis habentur, si Sacerdos prudens sit, illis, qui adsunt sermonem accommodat, dat eisdem facultatem interrogandi, respondet interrogatis, explicat, quæ teguntur mysteriorum inuolucris magis necessaria inculcat, & alia multa præstat, quæ in medium proferri nequeunt è suggestu. Atque hoc ferè modo censeo, Christianam fidem primis sæculis dissemínatam fuisse; quãdo non licebat in multorum frequentia concionari, vt ex locis Actuum Apostolorum conijci potest, qui sæpè in familiaribus congressibus verbum Dei seminarunt. Vt Philippus, qui Eunucho Reginæ Candacis iter agenti, vt Petrus, qui Cornelio Centurioni cùm aliquot cognatis, & amicis, vt Paulus, qui custodi carceris Euãgelizauit prospero successu.

Conuenit autem Sacerdoti ex officio, operam suam strenuè præstare in hoc tam necessario ministerio, nã sicut in cælesti hierarchia proprium

Sur. in vita. Io. Clem.

In cap. 8. Amos.

Hom. 54. in Gen.

Prouerb. 19 primo de finibus.

Actor. 9.

Act. 10.

Act. 16.

prium est superiorum Angelorum inferiores illuminare, ita in ecclesiastica, Sacerdotum, qui inferiori populo præficiuntur, singulare esse debet eundem instruere, & diuinis legibus informare; atqui ex eo Christus Apostolos suos lucem appellauit, & illud quoque apud Malachiã scriptum legimus. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius. Requirent* (inquit) quia sicut Sacerdos ad docendum, & erudiendum populum tenetur, ita populus iure suo vtitur, cum à suo Sacerdote instrui, & erudiri petit. Malac. 2.

Accedit, quod cùm officium Curatoris sit animas sibi commissas pascere, & erudire, quis speret, se hoc consecuturum, nisi easdem in fidei Christianæ mysteriis bene instruxerit. *Quomodo enim inuocabunt* (inquit Apostolus) *in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierũt, quomodo autem audient, sine prædicante?* Quæ verba, & si eis tantum conuenire videantur, qui fidem nondum receperunt, ad eos tamen transferri etiam possunt, qui acceptam fidem non excolunt: nec quid fides importet, aut quibus quasi fundamentis nitatur benè intelligunt: Quãuis enim fides, vti à Deo diuinitus infusa, respectu obiecti, nec augeri, nec minui possit, quia fidei obiectum est prima veritas, quæ Deus est ex parte tamen subiecti optimè augeri potest, quod quidem incrementum accipit fides, quotiescunque fideles planiorem, & clariorem, quantum humana ratio patitur, cognitionẽ accipiunt. Quinimo communi Theologorum assensu definitum est, non satis esse ad salutem implicitè mysteria fidei credere, sed principaliora quædam etiam explicitè tenenda esse; ex quo meritò concludi potest, quod sicut quilibet Christi fidelis præcipua fidei mysteria explicitè scire debet, ita ut hãc scientiam negligens, sicque decedens è vita æternis ignibus mancipetur, ita reus maximi criminis sit Sacerdos ille, qui eadem populo suo explicare negligit, quia delinquit in eo, ad quod præcipuè tenetur, & quod est ad salutem maxime necessarium. Rom. 10.

Proponat etiam Sacerdos sibi ante oculos amplissimos fructus, quos ipse in se ipso colligit, si diligens sit in opere, dum enim alios instruit, dum in fide magis confirmat, magis & ipse illustratur magis & crescit ad virtutis Christianæ fastigium: putei enim, quo magis exhauriuntur, aquam clariorem salubrioremque reddunt, & verum est, quod ait Gregorius Nanzianzenus: *Doctrina, & institutio eius, qui alios alit, ipsius quoque cibus est, & alimentum.* Et D. Chrysostomus *tunc spirituales opes magis augentur, quando audire volentibus doctrinam liberaliter profundimus* facilius etiam venia propriorum peccatorum à Deo impetratur, ut illa. D. Pauli non obscure indicant. *Attende tibi, & doctrinæ insta in illis hoc enim faciẽs, & teipsum saluũ facies, & eos, qui te audiunt*; De mercede autẽ talia facientis extat locus insignis apud Danielẽ. *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splẽdor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, & illa quoque Christi sententia. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Or. 2. in Pascha. Hom. 8. in Gen. Prima ad Tim. et. ca. 16. Iacob. 5. cap. 2. Mat. 5.

Curet tamen Sacerdos, vt in explicandis mysterijs fidei accommodet sermonem suum captui auditorum, adhibeat similitudines, discat

In prima Corint. à Christo, qui res sublimes per parabolas frequenter explicabat *paruulis enim, atque lactentibus* (inquit D. Hieronymus) *non solum prodest solidus cibus, sed interficit, qui perfectæ ætatis hominibus congruit*, & in illa; *Cum ingressi fuerint Sacerdotes non egredientur de sanctis in atrium exterius, sed ibi reponent vestimenta sua.* Hoc est accipient alia vestimenta, & sic procedent ad populum; & sic loquantur, quomodò potest audire & capere populus.

Verũ nõ desunt, qui varias ad tegumentum suæ negligentiæ prætexunt excusationes: Non desunt, qui dicant nolle se in hoc ministerium incumbere, quia pauci admodum, iiq; pueri, & puellæ ad hasce salutares exercitationes sese conferant. Profectò leuis, & omnino friuola videtur huiusmodi excusatio, nam obeat ipse munus suum, perseueret in ministerio suo, ad quod vocatus est, & si videatur modicus fructus colligi, vtique suum ministerium expleuit. *Conc. prima de Lazaro.* Propterea D. Chrysostomus, euangelicum ministrum assimilari cupiebat aquarum venis, ad quas, & si pauci, vel etiam nulli ad hauriendam aquam veniant, aquam tamen perpetuò emittunt. Et sicut mercator, non idcirco officinam deserit, quia paucos emptores ad illam aduentare videat, sed semper ad maiora intendens animum, perdurat in exercitio; sic faciendum est Sacerdoti, modò lucri spiritualis amore trahatur; primus ad hanc spiritualem officinam conueniat, spirituales exponat merces, siuè pauci, siue plures emptores concurrant, ipse suo munere functus est. Quandoque etiam fit, vt multi videntes Sacerdotis sui in hoc opere perseuerantiam, & cõstantiam, commoueantur, resipiscant, & illius exemplo ad hanc operã excitentur. Quod verò illis res tantum sit cum pueris, puellisue, qui maior stimulus esse potest, ad operam suam in his erudiendis diligentius collocandam? Primò materia hæc facilis, ac mollis est ad suscipiendã quamcunque virtutis figuram, Artifex non multò labore in ea efformabit quodcunque uoluerit. Secundò bona, & pia institutio à teneris annis optimum est præsidium ad sanctum totius vitæ progressum, vt à sapiente, demonstratum fuit: *Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam*; & alio in loco; *Adolescens iuxta uiam suam etiam cũ senuerit, non recedet ab ea.* *Eccles. 6. pro uerb. 22.* Tertiò nihil iucundius, quàm cum istis tamquã Angelis conuersari, & quorum Angeli semper vident faciem patris, *Marc. 10.* qui in cœlis est. Quartò quia puerorum institutio ad Parochum præcipuè spectat, Christi exemplo, qui ægrè tulit, quando Apostoli à se pueros reijciebant. Et de Sancto Vincentio Ferrario inquit Petrus Ran- *Apud Sur.* zanus. *Neque dumtaxat ætate prouectos sublimium rerum capaces erudiebat, sed etiam pueros certis ad se horis euocatos instituebat, docens quemadmodum cruce se signarent, orationem dominicam, & angelicam salutationem, atque fidei symbolum enunciarent, Deum colerent, & amarent, parentibus, proximis, quibuscumque honorem tribuerent.* Præstabat hoc idem Sanctus Carolus.

Dicet alius parũ amans solicitudinis pastoralis, nosse quidẽ se esse tali obligationi obnoxiũ, sed quia Plebei tantũ, & agrestes scolas frequentant, diuites autem, & cæteri paulò altioris fortunæ hanc salutarẽ doctrinam respuunt cadere se animo atq; ideo vel deserere eos statione, vel si cõueniunt, magno quodam languore animi, ac fastidio illud

per-

pertractare. Quod tamen & si ob præsentium temporum calamitatem uerum sit, quis sanæ mentis inferat, quia nobiles ad doctrinæ Christianæ scolas recusant accedere, esse propterea omnibus intercludendas, & culpa paucorum opus deserendum, quod omnibus adeo vtile, & salutare est? Postea Parochus non est nobilibus, & diuitibus in sui muneris functione adeo astrictus, vt si isti nolint audire, ipse coram Deo à sua obligatione liber, & exemptus censeatur, debet enim suam operam & laborem ignobilibus etiam & rusticis impendere, qui eam requirunt & amant. Deinde, qui hoc respectu se ab hoc ministerio auocari sinit, facile declarat, se esse acceptatorem personarum, & animarum valorem non ex Christi sanguine, sed ex caducis rebus metiri. Sacerdos, qui verè intelligit, tam carã stetisse Christo animam pauperis æquè, ac diuitis & Principis, non dedignatur huiusmodi hominum salutem, pro quibus Dei filius animam suã posuit. Immo in his sæpè plus vtilitatis, & lucri spiritualis, cum minori difficultate, & labore colligitur propter ipsorum simplicitatem, & facilitatem. Vnde & Christus se missum euangelizare pauperibus, ex Isaiæ vaticinio professus est.

Denique, si dicat Sacerdos, quod vix credi potest, cessare se ab hoc opere, quia nimis molestum, atque etiam infestum illi videtur, cum à prandio ea hora habeatur, quæ quieti corporis potius concedenda est & non labori, & occupationes, quæ post cibum statim suscipiuntur obsunt valde corporis valetudini. O delicatum Sacerdotem, respondeo, qui vt corpori consulat, animam perdit. an non tenet Christi sententiam contra sui ipsorum nimium amantes? *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, & qui perdiderit propter me, inueniet eã.* Deinde si verum est, quod Christi testimonio, & exemplo probauimus præcipuam, & insignem notam veri Pastoris esse, vt paratus sit pro Dei gloria, & salute animarum vitam ponere, quomodo vitam dabit, qui nec vnam horam dare vult in obsequium animarum suarum, quod sibi incommoda videatur? Vigilant Pastores die, ac nocte pro custodia gregis, & sub duo ducentes vitam, frigus perferunt cælique iniurias, & delicatus Sacerdos vnius horæ laborem refugiet? Ad incommoda, & ad labores vocatur, qui animabus præficitur. Vespasianus senior Romanorum Imperator, cùm grauiter fabricitans increparetur à medicis, quod morbo correptus nihil de quotidiana victus ratione immutaret, faceretque omnia, quæ ad principatum spectarent; respondit. *Imperatorem non lecto cubantem, sed stantem mori oportere, subditorum vtilitatibus semper intentum.*

Quamquam, quomodo molestum esse potest, quod pro Dei gloria, & salute animarum suscipitur? quod tot solatijs conditur, quod denique tanto præmio compensabitur? Etenim si singula ferè momenta diligentis, & fidelis ministri preciosa sunt, cur non magis illud temporis spatium, quod omni spiritus feruore in hoc tam necessario, & præclaro opere ponitur ad magnum meritorum cumulum imputari, & ascribi debebit? Hac siquidem ratione S. Chrysostomus ad aliorum salutem procurandam omni alacritate animu nos extimulat, his ipsis verbis.

Si

Si cum duos obolos pauperi dederimus, gaudemus; si animas seruamus, quanto maiorem gaudij fructum capiemus? & quanto in futuro seculo gaudio fruemur? nam ibi quoque quoties conueniemus, multam capiemus voluptatem, reminiscentes officiorum, quæ vicissim præstitimus in alios. Quod si ubi insumitur pecunia, tanta est merces, tanta remuneratio, vbi iuuatur anima, quanta erunt bona?

De solicitudine, & diligentia in administratione Sacramentorum. Cap. X.



Imidiatum adhuc ouibus suis alimentum Pastor præbet, si verbis tantùm alat, & exemplo: His itaque superaddat necesse est oppiparas Sacramentorũ dapes à Christo Domino institutas. Triplex enim hoc pabuli genus à suo curatore spirituales oues, omni iure requirunt, vt sapienter dixit D. Bernardus. In quibus admi- *lib 3. de co.* nistrandis longè maior diligentia, & studium à Sacerdote desideratur, quàm in quibuscunque alijs functionibus, per alias enim quaslibet fidelium mentes ad diuinam gratiam disponit tantum, & excitat; per Sacramenta verò gratiam ipsam, atque adeo Christi merita illis verè communicat, & salus animarum, quæ præcipuus scopus est, ad quem omnis pastoris conatus, & labores dirigendi sunt, in pio, & digno Sacramẽtorum vsu præcipuè posita est. Propterea, & ego hoc loco ab institutione mea alienum non esse arbitratus sum, si aliqua generatim annotauerim, ne partes suas in hac re tanti momenti desiderari Sacerdos patiatur, præsertim cum de singulis Sacramentis agere necessarium non iudicauerim.

Quotiescumque igitur ratio sacri temporis, vel spiritualis animarum necessitas vrget, vel poscit aliquis facilem semper, & paratum se præbeat ad illud Sacramentum administrandum, quod exposcitur, nulla interposita mora, nullo proprij cõmodi habito respectu. Ac ne videar hoc temerè commentari, atque animarum curatorem ad ægras nimis sui muneris angustias impellere, ipsumque gratis solicitare, eius rei rationes grauissimas continuò subdo. Prima emergit ex ipsius officio; Sacerdos enim dicitur, cuius proprium est Sacra peragere, est spiritualis medicus animarum, cuius est earum morbos, & languores curare: *Sacramenta autem sunt*, ex D. Augustino, *medicinæ spirituales morborum*, in quo, *lib. de ver. & fals.* & distinguit à Sacramentis antiquis, quia *illa morbos tantum ostendebant, ut speculum, nostra verò sanant, vt Emplastrum*, vt idem loquitur, *vulneri applica-* *velc. 17.* *tum*. Quare requisitus pro administratione alicuius Sacramenti, statim recogitet, petentem, vti iure suo, & petere ab eo, qui dare tenetur: vnde fraudas illum, quoties nulla legitima causa intercedente uel negas, vel interponis dilationem, sicque iustitiæ leges labefactas, & teipsum non leui culpa annectis.

Secunda est, nam Sacerdos negligens maximam Christo Saluatori iniuriam irrogat; Ad quid enim sanguinem suum in nostræ salutis prætium

tium tam abundè effudit, nisi vt ex hac affluentia, vnde Sacramenta virtutem sumpsere ardens desiderium indicaret, quo omnes sanguinis sui participes fieri maximè peroptabat, vt optimè prædixerat Isaias. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Et rursus. *Omnes sitientes venite ad aquas & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite, venite, emite absque argento, absque vlla commutatione, vinum, & lac.* Quid hoc nisi immensam Christi liberalitatem, & munificentiam indicat, quæ semper patentes, atque perpetuò manantes nostræ salutis fontes esse voluit? Qui ergo spontè accedentibus, & Sacramenta petentibus cælestes aquas dare recusat, vel negligit, hic perinde facit, ac si immensam Dei liberalitatem coangustaret, & quantum in ipso est, fontem diuinæ misericordiæ exsiccaret. Ex quo quid Sacerdoti metuendum est aliud nisi, ut cum vrgens propriæ salutis necessitas venerit, cælestes hos fontes gratiarum pro se ipso clausos inueniat, qui toties eosdem cæteris per summam iniuriam minime aperuit, quia iuditium, sine misericordia ei fiet, qui non fecit misericordiam. Isa 12.

Tertia deducitur ex spiritualibus damnis, quæ ex tali mora, aut negligentia consequi possunt, sperandũ.n.est tunc tẽporis illũ, qui Sacramẽta requirit, gratiã Dei sitire, moueri ad eiusdẽ amicitiã omni conatu volũtatis, ac propterea peccata sua omni auersione detestari esseq; dispositum ad illud suscipiendum; quod si moram interponat medicus fortasse non erit amplius curationi locus, vel quia non superst, vel ob humanam inconstantiam fortassis amplius curam æger negliget. Qua igitur ratione piger, & crudelis Sacerdos tantum damnum Domino suo compensare poterit? D. Bernardus in uita Malachiæ refert; ipsum cùm cuidã mulieri extremæ vnctionis Sacramentũ cõferre distulisset, & illa interim obiisset, adeò doluisse, vt tota nocte supra corpus lacrymas funderet, ob quarũ merita defunctæ spiritus restitutus est, quæ Episcopum salutauit, ab eoque inuncta est, & aliquot postea annos superuixit.

Quartã insinuat illa propria Pastoris charitas: hæc enim se ad obsequia debita tantũ nõ restringit, nec iustitiæ rigorẽ solùm attendit, sed quodcumque animabus posse prodesse iudicat, id totum sibi esse debitum existimat. Multum facit, qui multum amat: sic falsæ, & fugacis pulchritudinis amatores indignissimum ducunt aliquam occasionẽ personæ dilectæ inseruiendi prætermittere, & negotiatores cuiuscumque etiam modici lucri occasionem non contemnunt. Eodem prorsus modo se gerat Parochus, quoties animas iuuare potest, vocatus veniat, non uocatus alios vocet, & inuitet, iuxta illud Domini apud Isaiam; *Inuentus sum a non quærentibus me, palam apparui ijs, qui me non interrogabant.* cap. 65.

Secundo loco in Sacramentorum administratione æquali affectu diligentia, & solicitudine omnibus succurrat; quia si æqualiter est omniũ Pastor, & de omnibus Deo rationem redditurus est, cur vni magis quã alteri inseruiat, cur vnum carius foueat, alterum verò contemnat? idcirco lucernæ cõparatur Sacerdos, quia lumen omnibus æque communi-

cat, & soli, qui omnes æque illustrat, & nubibus, quia pluuias mittunt in omnes agros tam diuitum, quàm pauperum. Planè longo temporis vsu compertum est, hanc personarum acceptionem inter ministeria Parochialia multa mala inuexisse in populis, dum enim pauperes se vident à suo Sacerdote contemni, dum illum minus de sua ipsorum salute solicitum, totum verò conspiciunt intentum obsequijs diuitum indignatur, obmurmurant minusque ei tribuendum, & fidendum putant: quia non est idoneus pacis suasor, & conciliator, qui plus vni parti fauet, quam alteri & quandoque etiam ab ipsis Sacramentis auocantur. Vnde D. Hieronymus in illa Malachiæ Prophetæ. *Accipiebatis personam in lege*, ait, *inter omnia peccata Leui siue illorum, qui ex Leui sunt Sacerdotum Dei, illud & ultimum, & maximum ponitur, quia non causas, sed personas considerent*, & D. Ambrosius. *Cum in omnibus* (inquit) *iniustitia citò offendat, tum maximè in ecclesia, vbi æquitatem esse oportet, vbi æqualitatem habere necesse est, siue enim pau per siue diues in Christo, vnum sunt.* Optimum sanè argumentum ad hanc æqualitatem seruandam, si pro homine rusticano, non minus, quàm pro diuite Christi sanguis effusus est, gehenna, si pereant, manet eadē, supplicium sempiternum, cur non vtriusque salus procuranda est? Ideo Apostolis præcepit Christus, vt non diuitibus tantùm, sed omnibus hominibus prædicarent, quia sicut Deo cura est de omnibus, ita & Parochus de omnibus solicitus esse debet, qui suæ curæ commissi sunt.

cap. 2.

De officijs cap. 24.

Marci 16.

Quod si in aliquibus cura, & diligentia excedendum sit, hoc potius in cura pauperum, quàm diuitum seruetur: nam diuitibus suæ salutis cupidis deesse non solet, qui illorum saluti consulat, non sic egenis, & pusillis: docuit nos Christus suo exemplo; qui licèt propter omnium salutem venerat tam libenter, tamen cum turbis, & pauperibus versabatur. Vnde, & Sacrum Tridentinum Concilium inter Parochi munera illud enumerat, quod pauperum, & miserabilium personarum paternā curam gerat.

Hinc ad aliā admonitionem transeo, vt scilicet ab omni auaritiæ suspicione, nec dùm labe se alienum custodiat, dum tam sanctum, & tam diuinum ministerium exercet; nihil magis iniquum est, quàm Sacramenta venalia habere, & illorum administrationem facere, quasi mercaturam quæstuosam *Gratis accepistis*; inquit Christus Apostolis, *gratis date*. In quæ verba sic D. Hieronymus. *Dona spiritualia viliora fiunt, si merces media sit.* Probat Iansenius illum locum Ecclesiastici illustrans. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam* rem indiguissimam esse homine ratione prædito tam vili rei se se subijcere: pecunia enim est infimum omnium bonorum, quæ appetuntur; quò illud Ciceronis spectat. *Pecuniæ fugienda cupiditas est, quia nihil est tam angusti animi, tamque parui, quam amare diuitias.* Hæc Cicero naturalem hominis nobilitatem attendens. Quid de Sacerdote cuius Deus portio est? nouum monstri genus plenè indicasset auarum Sacerdotem etiam inter Sacramenta terrena sectantem; liceat mihi in huius rei confirmationem illud Salomonis dictum in Ecclesiaste pertrahere. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.*

Mat. 10

Eccl. 10.

lib. primo off. cap. de fortitud.

Eccl. 10.

vnguenti.Per muscam insatiabilem Sacerdotis auaritiam intelligo,quia sicut hæc ex putri nascitur: mordet & elicit sanguinem,ita auaritia circa terrena tantum,quæ vt stercora Paulus reputabat,versatur illos fouetur & crescit,& sæuit hic iniquissimus spiritus,& eum,cui insederit, semper excruciat,dilacerat cor cupidum semper habendi plura,quod satiatur numquam.Vt ergo muscæ,quæ cadunt, & quæ cadendo moriuntur in vnguentum suaue olens,& si non tollunt penitus odoré,minuunt tamen,sic Sacerdotis auaritia cadens, & se immiscens inter preciosa vnguenta Sacramentorum,suo fœtore, quantum ex parte ministri est, *Malac. 1.*
reuerentiam,deuotionem,& quasi illorum suaue olentiam minuit;Quare illa Domini comminatio timenda est. *Ad vos,ò Sacerdotes,qui despicitis nomen meum,& dixistis in quo despeximus? Offertis super altare meum panem pollutum.Quis est in vobis,qui claudat hostia gratuito? Non mihi voluntas est in uobis dicit Dominus exercituum.* Conturbat domum suam,qui sectatur auaritiam ait sapiens,& auarus Sacerdos omnia in Dei Ecclesia confundit. *Prouerb. 15.*

Quarto loco Sacramenta ministret ea reuerentia,decore,& grauitate,quæ illorum dignitati, & maiestati respondeat,nō verò negligenter aut festinanter,aut quasi coactè. Hæc autem reuerentia,& pietas non tantum in interiori quodam affectu consistit,vt scilicet recogitet dum Sacramenta tractat, se res diuinas, & sacrosanctas tractare,peculiari modo se spectari à Deo,quia illa sacra peragit, vt eius vicem gerens. Quid faciat miles coram Imperatore?quid discipulus coram magistro? Quare colligat se ipsum Sacerdos necesse est, Summum Sacerdoté Arō imitetur,qui templum intraturus causa sacrificij laneis vestibus depositis lineis induebatur,sic ipse Sacramenta ministraturus aliam personā induat;deponatque quidquid illius mentem à Sacro illo ministerio distrahere potest,sed consistit etiam in exteriori reuerentia, & cultu,qui potissimum in externa corporis munditia, ac nitore vestium positus est.Quis enim non offendatur Eucharistiam sumens à Sacerdote, cuius manus sordidæ sint? & etiam in scientia rite ministrandi Sacramenta iuxta ritum,& cæremonias præscriptas. Nemo enim ignorat exactam cæremoniarum obseruantiam multum conferre ad maiorem cultum,& venerationem Sacramentorum.Propterea Deus in veteri lege non minus se solicitum præbuit de cæremoniarum obseruantia, quam de ipsa sacrificiorum institutione, vt ex illo Deuteronomij apertè colligitur; *Deut. 7.*
vbi postquam de lege,atque eiusdem sacrificijs egit cum Moyse, ita demum concludit. *Custodi ergo præcepta,& cæremonias atque iudicia,quæ ego mando tibi.* & alibi: *Caue,& obserua ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius,& cæremonias,quas ego præcipio tibi.* *Deut. 8.*

Postremo si Sacerdos animarum curator ex proprij officij ratione tenetur,vbi,& quando oportet populo suo Sacramenta ministrare, & se facilem,& paratum ad hanc functionem singulis horis offerre; ergo ita sanctè viuat vt singulis momentis, ea digne ministrare possit, ne dum alios lauat,se ipsum contaminet,& inficiat, vt saltem à culpa lethali immunis sit. Cogitet quantam puritatem requirebat Deus in antiquis Sacerdotibus,& quam exosum haberet Sacerdotem indigne sa-

cra tractantē, vt in Leuitico habetur. *Sacerdotes sancti erunt*, & alibi, *Anima polluta, quæ edet de carnibus pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.* At hæc omnia illis contingebant in figura: & erat illa lex umbra futurorum. Si itaque sanguinem hircorum, & taurorum immolaturus omnis maculæ esse debuit expers, quāta cordis puritate nitere debet, qui hæc Sacramenta tam sancta contrectat? Horrere debet sibi mali conscius Sacerdos, tanta cōtingere Sacra, ne à Deo puniatur. Quod eo magis confirmatur, quod in vita sancti Chrysostomi narrat Metaphrastes. Refert enim, eū cùm aliquando sacrificaret, non vidisse signa spiritus sancti, quæ videre solebat, atque ea latuisse propter ministrum, qui oculos in mulierem coniecerat. Quare ad indicandum quantopere immunditia inter Sacramenta displiceat Deo, propter ministri incontinentiam, consuetis diuinis consolationibus pium alioqui Pontificem tunc temporis priuare voluit.

Quomodo Sacramentales Confessiones excipiat. *Cap. XI.*



Voniam nullibi verè commodior opportunitas datur animas Deo lucrandi, quam in Sacramentali confessione; idcirco de ea pauca quædam subijciemus, quibus Rectorem nostrum ad id Sacramentum dignè sanctèque tractandum instruamus.

Illud igitur Sacerdoti primo aduertendum est ne unquam ad hoc tribunal spirituales animarum causas dijudicaturus, nisi cœlesti lumine, & gratia precibus prius implorata accedat, tum ob personæ, quam sustinet, dignitatem, tum propter ipsius causæ grauitatē, tum etiam propter commodum proprium, & ipsius pœnitentis. Cùm enim Dei vices gerat, à quo & potestatem accepit offensas, & iniurias in ipsum irrogatas condonandi, atque propterea vnum, idemque opus moliatur cum ipso Deo, nempe peccatorum iustificationem, quid magis necessarium est, quàm eius voluntatem, & auxilium inquirere, ne quid efficiat, quod à Domini sui voluntate sit alienum? Est etiam manifesta grauitas rei, quam tunc temporis tractat Sacerdos; iudicium scilicet exercet, & Iudicis munere fungitur, dum iudicat inter lepram, & lepram, dum fert sententiam, reum modo ligans, modo absoluens, vnde & apparet, quanta sapientia, & diuino lumine opus sit, vt rectè iudicium exerceatur, in quo si erretur ignorantia, & culpa Iudicis, in ipsius caput omne malum redundat, ut illa Iosaphat Regis ad Iudices sæcu-
2. Paralip. 19. lares aperte testantur. *Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudiciū, sed Dei & quodcunque iudicaueritis in uos redundabit, sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Quid illi Iudici timendum erit? in cuius iudicio non de caducis rebus, quarum damnum facile compensari potest, sed de æterna, uel salute, vel damnatione agitur? Ideo Christus antequam potestatem peccata remittendi Apostolis concederet, illis

prius

prius spiritum sanctum concessit, *Accipite* (inquit) *Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, quia nisi peculiari ratione spiritus sanctus iudicanti adsit, iudicium hoc ritè exerceri non potest.

Et quoniam ob naturæ nostræ infirmitatem, quæ auribus excipiuntur, facilè se se insinuant in intimum cordis affectum, & facilè ex proximo igne scintilia aliquando exsilit, quæ si statim non restinguatur, sæpè magnum excitat incendium; ideo ne per aures tentationis, uirus in fusum præcordia inficiat, præstantissima diuinæ gratiæ theriaca præmuniendus est. Vel certè medicos imitetur, qui ne morbum contagiosum ex languentis inspectione, & contactu contrahant, aliquo antidoto ad sui conseruationem vtuntur; optimum autem antidotum ad hanc labem auertendam erit, precibus diuinum numen inuocare, quod etiã ob ipsius pœnitentis salutem præmitti debet, vt illi dignetur Deus auxilium præstare ad verè cognoscendas, & intentiori dolore adhibito eluendas ex animo peccatorum sordes.

Vlterius induat affectũ veri patris spiritualis in pœnitentes, tanquã in amantissimos filios, magnoque ardore animi renouet desiderium salutis animarum & diuini honoris, quia ex sententia D. Augustini. *Nihil sic probat spiritualem virum, quàm peccati alieni tractatio*. Confirmat hoc idem Origenes de qualitate boni Confessarij agens. *Proba prius medicũ, cui debeas causam lãguoris exponere, qui sciat infirmare cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi nouerit disciplinam*. Quin etiam quo quis in sanctitate magis proficit, eo minus peccatores exhorret, quia charitas ad pietatem & compassionem excitat, non autem ad contemptum, ad indignationem, & rigorem. Hic autem affectus, vt opinor, hæc tria præstabit. Leniet primo quodcunque tædium, laborem, ac molestiam, quæ mentem Confessarij in audiendis peccatis vexare potest, partim ob horrorem & grauitatem peccatorum, quæ narrantur, quandoq; partim ob varios, ac difficiles nodos conscientiarum, qui confessarii mentem versant in varias partes, cruciantque partim ob ingeniorum varietatem, quæ tractantur, & etiam ob assiduitatem, & continuationem huius functionis, quæ non parum, tum animi, tum corporis vires extenuat, quæ omnia non modò molesta, & acerba, sed suauia Sacerdoti videbũtur, si ex vera charitate suscipiantur, gaudet enim, & exultat mater, dũ ægrotanti filio assistit, tamquam solerti cura, cæcoque amore illius curat valetudinem, vt tetra etiam, & maleolentia vulnera maternis naribus gratum odorem afflare videantur. Secũdo efficit hic affectus amoris, vt per misericordiam portet cum ipso pœnitente onus peccatorũ, etiam pro ipsis satisfaciendo, ut supra diximus, illi conuenire qui se vere medicum animarum profitetur; quod etiam egregie hac similitudine expressit D. Chrysostomus, *Calcaneo spina infixa est, sentit totum corpus cruciaturque, incuruatur deorsum, & venter, & fæmora corripiuntur, manus ceu satellites, ministrique properantes retrahunt infixam, inflectitur caput, soliciti oculi tuentur; Ita fit, vt pes quantum relinquitur ascendere non valens, tantum ad se demittat caput. Ergo sic qui maiores sunt, nihil amplius cæteris habent, quã quod minoribus sunt obstricti solicitudine*. ita Chrysostomus. Tertio hilari vultu, serena

Ep. 5. ad Galat. 6.

Com. 2. in psal. 37.

hom. 31 in ep. 1. ad Corin.

Ee 2 facie,

minum mores, & actus discutiendos versatur, generalibus quibusdam regulis, ac propositionibus inniti, quæ vt particularibus casibus aptè applicentur nouo studio opus est, sicut in corporum medico videre est, qui non ideo videtur aptus, quia physicam calleat, artis suæ principia, & regulas optimè nouerit, sed qui præstantissimum remedium morborum generi applicat, quod sine perenni studio, & assiduo labore medicus consequi non potest. Præterea, vt agnoscunt omnes, qui curam animarum exercent, quotidie tam noui euentus occurrunt, tot peccatorũ genera, quorum malitia hominum pessima parens, vel potius nouerca est, cum ab antiquis ne quidem adhuc fuerint excogitata, vt si officio tuo deesse nolis, & conscientiam tuam innodare; denuo ad libros, & ad peritorum consilium recurrendum sit; cùm noua morborum genera, nouis egeant remedijs, & si vera est sententia D. Augustini oportere iudicem, vt in conscientia tutus sit, antequam ferat sententiam, ea optimè scire, & cognoscere, de quibus est iudicaturus, quomodo poterit Sacerdos conscientiæ suæ benè consulere in huiusmodi casibus sine nouo studio, & scientia, & sicut ille laudandus non est, nec longè est à periculo, qui ad pellendos omnes morbos, vnico tantum remedio vtitur, ita nec ille bonus erit medicus animarum, qui vnico libello, vel paucis distinctionibus, omnes quæstiones elucidare, & definire sibi falso persuadet. *De pænit. 9. c. primo*

Neque valet dicere, simplicium hominum, & rusticorum curam tegerere, atque eo in loco præesse, vbi nullæ fere negotiationes exercentur, quæ vt plurimum negotium facessunt Curator. Esto enim ita sit, quæ dementia est ob pigritiam velle breui tempore illam scientiam perdere, pro cuius consecutione tot annis, & tanto labore insudasti. Euanescit, nisi assiduo studio, & exercitatione teneatur. Tum deinde non nobis tantum nati sumus. Sed etiã ob aliorum vtilitatẽ laborandum est, vt tam in publicis, quàm priuatis congressibus alios instruere, & dirigere possis. Denique pastor, etsi infirmas nullas oues habeat, secum tamen semper antidota defert, vt vbi repentinus morbi casus euenerit, remedio statim præsto sit; & si militis est, semper arma tractare, quamuis digladiandi nulla occasio adsit; idem seruet Sacerdos, cuius arma sunt libri, & cuius doctrina spiritualium ægritudinum medicamentum est.

Verùm, quia experientia rerum omnium magistra nos doctiores facit, quàm quælibet vel assidua lectio, suaderem, vt quilibet, præter studium, haberet probos aliquos viros diu in regimine animarum versatos, quorum consilium, & sententiam in difficilioribus casibus tentet, & exquirat. Exemplum sumendum est à corporum curatoribus, qui vbi periculosiores morbi eueniunt, non suæ tantũ fidunt peritiæ, sed alios eiusdem artis professores ascifcunt, vt de multorũ consilio, & doctrina vna tandem ineatur ratio, qua morbo occurratur.

Accedat etiam prudentia, tum in adhibendis remedijs ad cuiuscunque naturam accommodatis, tum in interrogando pœnitente, tum etiã in modo, quo erga illum se gerat, aliter enim enim timidis, aliter cum

proteruis,

proteruis, & contumacibus, aliter cum viris, aliter cum fœminis agendum est. Et quia de fœminis incidit mentio, ne in audiendis illarū cōfessionibus, longiorem moram trahat, quàm spiritualis illarum necessitas ferat, quia hæc esse non potest sine damno, & periculo ipsius Sacerdotis, & sine offensione aliorum, damnum euidens est, quia tempus perditur inutiliter, dum in rebus otiosis immoratur, nempe in rebus familiaribus illarum perquitēdis, quæ ad ipsum non spectant: sedet enim ibi, vt spiritualis medicus animarum, nō vero ut œconomus, seu procurator, quid ergo illi cum alienis negotijs, quæ ad rem suam non faciunt & tollunt fructum confessionis. Inest etiam in longioribus colloquijs, non leue periculum, quia in huiusmodi mora, pudicitiæ Dæmon insidias struit, audacia, quæ in sexu fragili latitat, familiaritate magis se prodit, & inualescit, & prunæ, quæ in immo pectore latent, halitu sermonis accenduntur, & aliquando incendium excitant. Nec deest offensio aliorum, quia etsi Sacerdos in animo suo nullam perniciosæ cogitationis noxam ex huiusmodi colloquijs concipiat, quod mulier idem quoque faciat, quis promittet? etsi hoc etiam ita sit, cæteris adstantibus, & præsertim fœminis, quis poterit persuadere? Magna ergo circumspectione opus est, præsertim quandiu iuueniles animi feruent.

Quæ etiam necessaria erit ratione loci, in quo cum ipsis colloquendum erit, siue Sacramentalis illarum confessio excipienda est in Ecclesia, cum sanæ sunt, vel in priuatis ædibus, cum ægrotant, vt videlicet id fiat in conspectu aliquorum. Obseruatum est ab expertis magistris vitæ spiritualis, homines persæpè abstinere à peccatis coram hominibus qui coram Deo peccare non verentur, & huiusmodi occasionibus multorum Sacerdotum pudicitiam à multis fœminis vehementer fuisse tentatam, & aliquando etiam superatam, quia debitam cautionem neglexerunt.

Vltimo loco hoc etiam Sacerdoti persuasum sit, non explere se partes suas, si audita confessione, & pœnitentia imposita, pœnitentem à se dimittat sine remedijs, & antidotis, ne recidat, & relabatur, quia si medici corporum est, non tantum ægroto procurare sanitatem, sed etiam pro eadem tuenda remedia prębere, cur non magis hoc spirituali medico incumbat, à quo Deus hoc idem expresse requirit? *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, sed & ut ædifices, & plantes*, & Christus Apostolis præcepit, ut illa iumenta, quæ peccatorem figurabant, non tantum soluerent, sed etiam adducerent ad se; quia peccator non tantum absoluendus est à vinculis peccatorum, sed etiam per cohortationes, per consilia, per vitæ emendationē ad Christum adducendus; & sicut Moyses non solùm inimicos filiorum Israel in mari demersit, sed insuper se illis ducem, & comitem vsque ad terrā promissionis constituit; ita Sacerdoti satis non est, deleuisse virtute Sacramenti peccata pœnitentis, sed se illi etiam offerat ducem, & pręceptorem in via salutis; nam peccator uiam iniquitatis deserens, per pœnitentiam nouum iter virtutis ingreditur. Quod cum illi antea inusitatum sit, nimis asperū, & difficile videtur. Quare nisi adsit, qui viam demonstret

Hierem. primo.

monstret,& se quasi ille comitem per consilia adiungat, facile declinabit à recto tramite,atque in hoc præcipuum studium ponendum est; cum in eo præcipuus fructus huius Sacramenti consistat,& qui sola absolutione contentus ieiunum pœnitentem dimittit, ritè mulieri illi comparari potest,quæ postquam infantem in lucem edidit, necessaria illi non prouidet,ad uitæ sustentationem.

Ex his colligat Parochus, qualis esse debeat, vt dignè tantum Ministerium exerceat: vir scilicet insignis sanctitatis, qui iam multum in via Domini profecerit,qui optimè Sathanæ dolos, & artes calleat, & eas alijs manifestare possit,omnium virtutum præsidio munitus,ut pœnitentes quosque in unaquaque illarum, prout spiritualis illorum fert necessitas instruere possit,docereque manus ad prælium, & digitos ad bellum contra peccata;sit similis Geometriæ Magistro,qui quas demõstrationes alios docet,ipse prior effingit in fabulo. Et hic optimus, & efficax modus est, alios erudiendi, inquit D. Bonauentura,sed de his hactenus.

Morientibus adsit. Cap. XII.



Parum verò Christianis onibus proderit prospera valetudine certantibus Pastoris solertia, si hac vna adueniente mortis tempore,in quo de summa salutis agitur & suorum laborum fructus est reportandus, illos debitis,& necessarijs adiumentis deserat,insipientis mercatoris exemplo qui ubi diuturno tempore magnis sudoribus inter pericula,& ærumnas,inter æstus,& figura non leue auri pondus tandem congessit,quia tamen iam partum incautè custodit, una latronis manus omnium laborum fructum aufert, & secum deportat. Ex quo colligat Sacerdos,qualis solicitudo,& vigilantia tunc temporis illi adhibenda sit tot annorum operam perdere, & pretiosum Christi sanguinem pro salute animarum tam libenter effusum, otiosum, quantum in ipso est,esse nolit,non est autem præsentis loci definire,an sub mortali teneatur Parochus cuilibet morienti ex sua Parœcia assistere usque ad extremum vitæ spiritum,si enim sciat,morientem aliqua mortali culpa irretitum,nec confessum, nec vlla contritionis signa dedisse,non equidem dubito,quin,ut summum illud que irreparabile, iam iamque imminens, malũ auertat teneatur Sacerdos,cuius curæ anima commissa est,illi assistere;& omni quo potest modo, illius salutem procurare,dum adhuc halitus superest,& spes salutis datur, quod si deserat,operamque suam deneget eo tempore, *à quo pendet æternitas*, reum se damnationis illius pro virili parte constituit.

Sed libet potius à posteriori eius vigilantiæ necessitatem deducere. Et quidem manifestum est, clarius ibi apparere charitatem, vbi rei amatæ vrget maior necessitas;nullum verò est discrimen maius, nulla necessitas maior ea extrema,qua anima tunc premitur,cum ex hac vita illi migrandum est, quæ quidem periculi magnitudo ex tribus præcipuè *Tolet. inst. lib. 3.c.5.*

què æstimari potest, in quibus cum opere, & præsentia boni Curatoris maximo adiumento sit morientibus, illis omnino neganda non est.

Primo igitur reddunt hunc vitę exitum nimis periculosum, & incertum infestæ Dęmonum tentationes, qui tunc sęuiunt præcipuè in morientem, versantq; illum in omnem partem, scientes quia modicum tēpus habent ad perdendum, etsi quos tunc adepti fuerint, suo semper imperio fore subactos, ideo omnes intendunt neruos, acuuntque furorem suum. Verùm ad has Dæmonum artes eludendas, & impetus frangendos plurimum posse Sacerdotis opem, & pręsentiam multis exemplis declaratum fuit. Inter quę illud sanè insigne est, quod tradit Cęsarius Histerbachensis Ordinis Cisterciensis de Cunone magno domino Castri de Malburg, qui cum quadraginta annis in sæculo sæcularibus moribus vixisset triennio, post religiosam disciplinam susceptam, defunctus est. In cuius obitu quindecim mille Dæmones affuerunt, vt Dæmon ipse in fœmina ab ipso obsessa fassus est, sed non modo eidem nocuerunt, vt ne proprius accedere permisi sint, adstantium monacorum precibus victi, atque fugati.

Lib. 12. ca. 17. Sed aliunde etiam eiusce rei confirmationem petere licet; nam & Sanctissimos alioqui viros tali Dęmonum pugna afflictos sæpe ipso mortis die & Sacerdotum præsentia incolumes euasisse apud graues authores legimus, Ac de Sancto Eusebio quidem D. Hieronymi discipulo hæc habet Cyrillus Hierosolymitanus. *Die, quo moriturus erat, per duas horas ante animæ beatæ exitū, venerabilis Eusebius tā terribiles actus cæpit peragere, quod circunstantes Monachi pauore perterriti, velut amentes in terra iacerent, Nam quandoque transuersis oculis, manibus iunctis, facie terribili, voceque dira, quasi sæuiens, clamabat: non faciam; non faciam; mentiris, mentiris. Post hæc ad terram rediens faciem firmabat in terram, quantum potuit clamans; Adiuuate me fratres, ne peream. Quod monachi videntes, lachrimantes, & trementes eum interrogauerunt. Quid habes Pater? Ad quos ille. Non videtis dæmonum agmina, quæ me debellare cupiunt? Et illi; quid te facturum volebant, cum dicebas, non faciam; & ille: conantur namque, vt diuini nominis blasphemus inueniar: & ideo me hoc non facere clamabam. Et illi: quare pater faciem abscondebas in terram? & ille: ne eius aspectum cernerem, qui turpis, & tam terribilis est, quod omnes penè formidines, quæ in mundo sunt, respectu eius nihil sunt. Inter hæc verba actus priores reiterans, sic ad extremam horam usque deuenit. Fratres autem, qui adstabant pauore, & dolore perterriti, uelut mortui stabant, quid facerēt nescientes. Gloriosus Deus in sanctis suis; mirabilis in maiestate sua; benignus, & de amantibus misericors sanctos suos non derelinquit in tempore necessitatis. Ad extremā namque horā venerabili Eusebio praueniente gloriosus Hieronymus apparuit eum benignè confortans. Cuius aduentu omnis illa Dæmonum turba quasi infinita, eius timore praterrita, ab eo uelut fumus euanuit, ut plures testantur monachi qui proprÿs oculis dispensatione diuina se hoc uidisse dicunt. Sed hoc magis approbatur, nam omnes circunstantes audierunt has ab Eusebio uoces Vnde uenis Pater? Quare tantum moratus es? Quæso filium tuum ne derelinquas; cui subito cunctis audientibus, alia vox respondit. Expecta fili, ne formides, quia te non deseram, quem tantum diligō. Qua audita uoce, breui inde decursa morula, uenerabilis Eusebius expirauit.*

In epist. ad Augustin. de miraculis Hier.

Multo

Multo autem maior virtus, & potestas est ad terrendos Dęmones in proprij Curatoris precibus & præsentia, quod hac potisſimum ratione facilè mihi persuadeo, nam cùm Parochus tanquam custos illius animæ à Deo constitutus sit, si à Deo opem imploret pro salute illius animæ vt eam non tradat in manus inimicorum eius, profectò credẽdum est, misericordisſimum Deum illius preces exauditurum; Atque hinc est, quod Dęmon magis proprij Parochi pręsentia terretur, illiusque precibus cedit, quàm alterius Sacerdotis, quia illius curę anima illa à Deo commissa est, luporum exemplo, qui etsi famulorum clamores minas, atque flagella formident, præsentiam tamen pastoris timent magis, & declinant.

Auget secundò periculi magnitudinem, infirmi, ac morientis imbecillitas ad resistendum, corporis enim sensibus paulatim per ægritudinem deficientibus, ita anima ipsa hoc pondere premitur, vt nisi magna cum difficultate sua munera obire posſit, sed ibi potius feratur intentio mentis, vbi sentitur uis doloris: vnde nisi aliquo externo auxilio Dei gratia aspirante excitetur, & confirmetur, facilis tentationibus est locus. Magna medicina dolentis animi est, cum ab amico inuisitur & ab ipso solatium aliquod accipit, sicut de seipso Seneca testatur, *mihi multum ait contulerunt amici ad bonam valetudinem, quorum adhortationibus, vigilijs, & sermonibus alleuabar. Nihil æquè ægrum reficit, atque adiuuat, quàm amicorum affectus.* Quodnam adiumentum & præsidium inesse credendum est, in asſistentia proprij Pastoris, atque in illius precibus, & oratione ad confirmandum animum ægrotantis. cap. 78.

Minuit etiam magna ex parte magnum illum terrorem, qui ob expectationem diuini iudicij morientem vehementer vexare solet, quod quo proprius accedit, eo etiam vehementius formidatur, quia illi asſistens Parochus ad contritionem peccatorum, non tantùm per sacramenta, sed per incitamenta multa, quibus abundare debet, excitat, ad sperandum de Dei misericordia; ad implorandum Sanctorum auxiliũ, aliaque multa præstanda, quæ fiduciam pariunt, ut fidenti animo de diuina ope moriens vitam hanc concludat.

Verùm si amore in hoc duci non vult, saltem timore ducatur, considerans, teneri se omnem suam operam ponere, ut animæ suæ fidei commissæ saluæ fiant, propter hoc tot labores suscipit, concionatur, Sacramenta ministrat, hortatur, arguit, aliaque huiusmodi sed nondum satis: laus in fine canitur, hic exercendæ sunt vires, hic uirtus tota ponenda est à Pastore, ne culpa sua tam pretiosum depositum perdatur, & sic tã quam infidelis, & piger seruus à domino suo arguatur in sempiternum. Quid faciunt artifices, & pictores præsertim, cũ opus à se elaboratũ dare in publicũ debet, & sistere ante cõspectũ illius, ex cuius iudicio merces operis pendet? tunc diligẽtius, & accuratius examinant opus, an aliquis insit artis defectus, & vitiũ, an desit coloris ornatus, diligẽtius limãt nec aliter, si sint honoris, & laudis cupidi, è manibus suis prodire permittũt. Sed quis nesciat egressam animã statim à corpore sisti ante conspectum supremi Iudicis, ibique diligentisſimè examinari, ac diiudicari,

Iudicari, trahique in idem iudicium etiam Curatorem ipsum, tamquã suo modo operis artificem, an videlicet ipsius culpa insit aliquod vitiũ in opere, an bene anima illa instructa fuerit, an ignorantia, aut negligentia sui Pastoris errauerit. Certe si aliquis metus diuini iudicij, & cura tum propriæ, tum aliorum salutis Sacerdotem extimulat non dormitabit, non declinabit domum ægroti, non considerabit vultum pauperis, non malè olentem exhorrescet, nec patietur carissimas animas decedere, nisi inter amantissimi Patris amplexus.

Quod si dicas, magni laboris esse hanc assistentiam. Respondeo omnes virtutum exercitationes esse laboriosas, & regnum cœlorũ nõ nisi magnis laboribus comparari, & rem pretiosissimam esse, de cuius salute tunc agitur, & inæstimabile esse lucrum, quod breui hoc temporis spatio acquiritur, nimisque indignum esse, Sacerdotem diligentia, & solicitudine à Dæmonibus superari; qui vt animam perdant, agglomerantur, omnes adhibent conatus, assistunt, & opem sibi inuicem præstant, Sacerdos autem, vt eam saluet, & custodiat, & suo fungatur officio, non vigilabit, non adsistet? Quid de mercede? nam dum Sacerdos modo vnam, modo alteram animam sua diligentia, & assistentia quasi ducit, & comitatur ad portũ salutis æternæ, hoc facit, vt illa post Dei gratiam, & misericordiam agnoscens se opera, & diligentia sui Sacerdotis Sathanæ laqueos euasisse, & in statu æternæ, fęlicitatis collocatam pro tanto sibi collato beneficio illius patrocinium suscipit, vt & ipse tandem saluus fiat.

Accedit multiplex spiritualis vtilitas, quæ manat ex hac assistentia, & cura morientium, nempe assidua memoria mortis, quæ maximè istis spectaculis conciliatur, & tenetur. Ita enim fert humana fragilitas, vt dum homo inter alios eminet, ita honoribus assuescit, vt pene obliuiscatur, se mortalem, cui nihil magis necessarium, quàm vt ipse infirmitatem suam agnoscat ex aliorum exemplis. Hæc est scientia, quæ ex huiusmodi libris ediscitur, in qua ut aliqui proficerent, magis inter sepulchra suas ædes eligere voluerunt, & habere perpetuo ante oculos ossa mortuorum, quæ Parocho longius perquirenda non sunt, si assistat morientibus, satis hic edocetur, quam semper sibi mors immineat, tum ob communem fragilitatem, vitæque breuitatem, tum deinde ob casuum varietatem, modo nimia mortis familiaritas ad obliuionem mortis, & quasi contemptum ipsum non inducat.

Et dum obseruat, & attendit Sacerdos omnia morte cõfundi, & perturbari, omnia transitoria cum morte finire, facilè animum suum à terrenis rebus auocat, neque teneri se illarum amore patitur, quæ ęst alia ingens vtilitas, ut præmonuit D. Gregorius. *Cogitandum valde est, quam terribilis erit hora nostræ resolutionis, qui pauor mentis, quanta tunc malorum omnium memoria, quæ obliuio transactæ fœlicitatis, quæ formido, & consideratio iudicis. Quid ergo esse nobis de præsentibus ad delectationem debet, quando cunctis simul transeuntibus, non valet transire, quod imminet? quando hoc funditus finitur, quod diligitur, & illud incipitur, vbi dolor nunquam finitur*, & illud vulgatum ex eodem Gregorio *facile contemnit omnia, qui se cogitat moriturum.* Et quod etiã

Hom. 32. in Euang.

magno-

magnopere æstimandum est, dum in hac tam ancipiti, & formidolosa lucta alios instruit ad aciem; dum varias tentantis artes, & astutias obseruat in alijs, facilè ex aliorũ casibus ediscit, quomodo ipse se paret ad certamen. Sed concludat iam omnia Dyonisius Carthus. *Hora tantæ necessitatis*, ait, *& periculositatis debet vnusquisque fidelis charitatem suam ad proximum migraturum tanto feruentius, abundantiusque ministrare quanto tunc maior est indigentia, & præsertim omnis Prælatus ad sibi commissos, ne ex negligentia sua oues sibi credita ab infernalibus illis lupis, crudelissimisque prædonibus, ac fallacissimis hostibus deuoretur, decipiatur, ac omnium creatori, saluatorique animarum æternaliter auferatur. Pastor ergo, ac custos, ac medicus animarum tunc præcipuè curet adesse migraturo, pro quo ipse coram Domino rationem reddere obligatur.*

Quomodo spirituali morientium necessitati succurrat. Cap. XIII.



SIcut aliqua esse solent charitatis obsequia, quæ ægrotantibus, & morientibus omnibus maximo adiumento existunt, ita nullatenus per id temporis à diligenti pastore erunt omittenda. Inter hæc primum locum tenet frequens accessus ad ægrotum, cùm sedula cura infirmorũ illius muneri adiuncta sit. est locus in Ezechiele, ubi inter peccata infidelis pastoris hoc ponitur præsertim. *Væ pastoribus, qui quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis* Ezech. 34. Eccl. 7.
Idem in illo Ecclesiastici conuincitur. *Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis*, si enim sapiens tamquam stimulum ad visitãdũ infirmũ dilectionẽ adducit, vt eius charitas, vel ex talibus actibus accrescat, & exerceatur, vel vt magis diligatur ab alijs, cur hæc eadem charitas Pastorem non extimulabit magis, ut suo aspectu ouibus ægrotantibus solatium, & leuamentum afferat? ideo pastor dicitur, ut secũdum consuetudinẽ boni pastoris infirmas oues uisitet, eisque spiritualiter prouideat: est medicus animarum, at non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus: matris fungitur officio; ergo filios nõ tam verbis, quàm reipsa consoletur, quæ mater aliquo morbo oppressum filium sæpius nõ inuisat? imò nec de lõge ab eius latere abesse non permittit amor: neque enim vllum aliud argumentum sorores Lazari Saluatori proposuerunt, vt infirmum Lazarum inuiseret, quàm amorem, & dilectionem si solicitus enim & officiosus est amor, qui adsit in Parocho omnem difficultatem, quæ ex inani quodam timore contagionis uel ex sordibus, & fœtoribus morborum delicatos quosdam Sacerdotes vexare solet, omnino tollet. *Bono animo esto* inquit D. Gregorius Nanzianzenus, *accede: haud quaquã ex ea deterior te ipso eris, haud quaquã morbum contrahes, etiamsi homines nimium molles, & delicati hoc existiment manibus rationibus decepti*, nam qui verè amat, pericula contemnit, & facilitatem in unaquaque re facile adinuenit.

abeam, & non subsistam, quod ita exponitur. Neue tempore facias, me mori, quando adhuc putabam me victurum, vt possim uitam corrigere, ita Hieronymus. Et qui valetudine desperata à medicis, vel periculosa, infirmum spe falsa vitæ longioris lactant, vere spũalis illius salutis inimici sunt. Itaque sperandum est, vt male sibi conscius animus, si serio à suo Sacerdote de hora nouissima admoneatur, dum mors eius auribus ingeritur, cum gehennæ mentio fit, dum Deum sibi infensum cogitat, & iam vocatur ante tribunal Christi, rationem de omnibus redditurus nisi nimium pertinax sit, non colligat, se, & cõponat, ad vitæ præteritæ sordes abluendas lachrimis, & pęnitẽtia: dum adhuc veniæ tempus superest. Exemplum præcessit in Rege Ezechia, qui vbi à propheta Deo iubente audiuit. *Dispone domui tuæ, quia morieris*, conuersus ad parietem, pęnitentiam egit: & quamuis scelestus esset Saul, *& fortis ratione* tamen cum à Samuele audiuit. *Cras autem tu, & filij tui mecum eritis*, idest moriemini, *cecidit Saul proiectus in terra*; extimuerat verba Samuelis, & robur non erat in eo. Quod si mors non sequatur, tunc non carebit tamen suo fructu hoc Sacerdotis officium, nempe quia infirmum ad peccatorum detestationem, & ad pęnitentiam inducit, & ad firmum propositũ non peccandi de cœtero. Quæ omnia si verè infixa sunt in corde peccatoris, diù perseuerant, & præseruant, etiam ne recidat si verò nihil horum sequatur, nec conteratur de peccatis nec se paret ad discessum; ipse animã suã liberauit, eo quia vidit gladium venientem super eum, & cecinit buccina, ipsum monuit, omnia illi ventura prædixit, posuit omnem operã suã, vt conuerteretur: ideo illius sanguinem de manu sua non requiret dominus.

Esaia 38.

primo Reg. 28.

Diligenter etiam curabit, vt nulla interposita mora, si adhuc infirmũ peccata sua sacramentali cõfessione non expiauit, sibi vel alicui probato confessario culpas suas confiteatur, nec quiescat donec hoc ab infirmo impetrarit: cum hoc Sacramentum sit secunda tabula salutis, cum ad alia Sacramenta piè, & religiosè suscipienda, quam primum, & dum sui compos est, disponat, hoc etiam infirmo proponens, sibi fortasse tempus amplius concedendum non esse, quo his Sacramentis vti possit atque ideo dum tempus est, & datur facultas omni cordis præparatione ad illa accedendum.

Neque equidem probaui vnquam aliquorum Sacerdotum consuetudinem, qui ne infirmum, aut infirmi propinquos contristẽtur, confessionem infirmi de die in diem differunt, spe longioris vitæ ducti, & aliquando in illud vsque tempus, quando in grauescente ægritudine, mens infirma est ad recogitandum, & ob sensuum dolorem imbecilla est ad dolendum de peccatis, quia etsi verum est, quod dicit Leò Papa. Quod *vera pœnitentia omni hora efficax est ad peccati remissionem*, & ibi *nunquam est serum, quod est verum*, teste Cipriano, nec irremissibile, quod voluntarium, & quæcumque necessitas cogat ad pęnitentiam, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec anteactæ perperam vitæ conscientia, si verà contritio sit: attamen quam rarò vera pęnitentia in extremo illo articulo vitæ haberi solet, & etiã quãn

Habetur 26.q.6.

serm. de Cœna domini.

quàm sæpè varijsque inopinati mortis casus omnem loquendi facultatem simul cum ipsa vita eripiunt. Vnde pro Parochi, & infirmi conscientia in Sacramentorum administratione mortis tempus præuenire, quam à morte præueniri tutius est.

Neque etiam est alienum ab officio Pastoris, si infirmus sit in eo statu, vt testari debeat, vel propter cõscientiæ leuamẽ, uel quia ad ipsum aliorum cura pertineat, vel propter pauperum, & Ecclesiarum vtilitatẽ si illum hortetur, quamprimum de rebus suis disponat antequam mors propius accedat, quia ad piè, & sanctè moriendum non paruũ adiumentum est, eo tempore curis; & solicitudinibus secularibus non agitari, quæ morientis mentem, ita occupant, & præpediunt, vt illum minus de sua salute cogitare permittant. Caueat tamen Curator ne dũ infirmum ad testamentum concludendum inducit, ei aliquid proponat, quod auaritiam oleat, nempe, vt aliquod legatum in eius fauorem, & commodum constituat, aut alia similia, ex quibus aliquid lucri in ipsum resultare posit: hoc enim Sacerdotis famam non parum commaculat, & multorum, propinquorum ægroti præsertim odia, & insectationes conciliat; sed debet in hoc, sicut & in cæteris solam maiorẽ Dei gloriam, & maiorem spiritualem infirmi spectare vtilitatem.

Præsertim ægroti animus confirmandus est, ne doloribus, quæ morbos comitari solent, & ob aduentum resolutionis omnium membrorũ per mortem, desperet; aut nimium tristetur, & sic per impatientiã fructum sui certaminis amittat, sed potius, ut illa ægritudo in maius meritum morientis redundet, iuuat illi anteactæ vitæ peccata, & illorum grauitatem proponere, & hanc minimã esse satisfactionem pro illorum qualitate. Ex sententia D. Cypriani. Nihil aliud esse, quod magis iniustos, discernit, & iustos, quã quod in aduersis per impatientiam queritur, & blasphemat iniustus, patientia iustus probatur, sicut scriptum est *in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam igne probatur aurum, & argentum*. Auget infirmitas, si patienter toleretur, gratiam, & meritum, ac proinde gratiorem animã Deo reddit: iuuat & æternæ fœlicitatis magnitudinem proponere, pro cuius consequutione *non sunt condignæ passiones huius temporis*; iuuat Christi exemplum, & multorum sanctorum insignem patientiam referre, nec non & innumerabiles fructus, qui ex infirmitatibus patienter toleratis percipiuntur. Hos fructus spirituales spectans S. Petrus Apostolus Petronillam filiam à febre liberare noluit, sciens id illi prodesse, ad seruandam virginitatem, & Beniamin Eremita, cum sola oratione alios infirmos curaret, noluit tamen seipsum intercutis morbo laborantem curare, & sic de alijs, quæ ad consolandum infirmum prudentia, & charitas Pastoris suggeret.

De bono patientiæ.

Ex Marcello de eius vita.

Trip. lib. 8. ca. primo.

Summopere erit etiam necessarium exploratam habere infirmi propensionem, & quæ peccata erant illi magis frequentia, vel causa naturæ, vel prauæ consuetudinis, vt conuenientia remedia paret, ad infringendos dæmonis impetus, cum vsitata, & cogitata sit hæc ars Sathanæ, qui mortis tempore ijs machinis eum impugnare solet, quibus, dum adhuc viueret sæpius expugnauit, vt patet Saulis exemplo, qui ut erat

primo Reg. 31.

in

in uita tumidus, & superbus, in morte hoc eodem vitio superatus fuit, qui ne ludibrio ab hostibus haberetur, neue se illi mortem intulisse gloriarentur, mortem sibi ipsi inferre tentauit.

Et quoniam consuetudo vnius vel plurium peccatorum maximam uim tunc temporis habet, ad vexandam mentem infirmi, nec ita facilè auctorem suum deserit, teste Iob, *Ossa eius*, inquit, *plena sunt vitijs adolescentia sua, & cum eo in puluere dormient*. Idcirco inuigilabit Sacerdos, vt arceantur ab auribus, & à conspectu ægroti, ea quæ plagas nundum obductas refricare, vel mentis propositum per delectationem inspecto obiecto, vel per spem longioris vitæ, uel per recordationem in auditu per odij, aut vindictæ appetitum immutare possunt, sed potius tenendus est infirmus in detestatione, ac dolore illorum peccatorum, quibus frequentius diuinam maiestatem læsit. cap. 20.

Maximi etiam adiumenti erit, scire communes tentationes, quibus morientes à principe tenebrarum vexari solent; vt in promptu habeat, quibus vinci possint de quibus quoniam multi fusius scripsere, ad illos lectorem remitto.

De auaritia fugienda in funeralibus. Cap. XIIII.



Deflendam Sacerdotis cęcitatem hic locus suggerit, qui dum tam varia charitatis officia commissis ouibus exhibet, dum assiduè cadauera tractat, & ob oculos habet; adhuc tamen mortalis conditionis suæ immemor inexplebilem auri famem fouet; quasi verò nunquam ei moriendum sit. Et cum mortis memoria multos ad rerum terrenarum contemptum inducere soleat, ne ipsius quidem mortis, quasi conspectus quorundam Sacerdotum auaritiam frænare, & cōpescere potest. *Veh, qui prædaris* (inquit Isaias) *nonne, & ipse prædaberis, & qui spernis, nonne sperneris, & cum consumaueris depradationē depradaberis*. Est hic locus valdè lubricus Sacerdotis incauti ruinæ: concurrunt enim nonnulla, quæ cùm honesti rationem induant, nil mirum, si eo vitio plerique infecti iaceant Sacerdotes non sine graui Sacerdotalis ordinis iniuria, & dedecore. Quod malum, & quasi monstri genus, vt longiùs arceatur ab animarum Curatore, maxime optandum est. Isaia 33.

Hoc autem sibi pro certo persuadeat ex omnibus vitijs, quæ apud Deum detestabilia sunt, auaritiā, quæ inter sancta miscetur prætextu pietatem in primis esse detestabilem; cuius rei quatuor causæ esse possunt.

Prima est, quia per hanc auaritiam homines auocantur à cultu ipsius Dei, qui inter Sacra illi exhibetur, augeturque, confirmatur ex eo, quod de filijs Eli scriptum legitur. *Qui nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad Dominum quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, &* 1. Reg. 2.

mittebat

mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, aut in cacabum; & omne quod leuabat fascinula, tollebat Sacerdos sibi sic faciebant vniuerso Israel venienti in Silo. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines a sacrificio Domini. Nec mirum nam homines, vt qui sensibus mouentur, etiam ijs commodis tanguntur, & afficiuntur præcipue, quæ sunt proxima sensibus. Quare si ea vident sibi ab auaro Sacerdote cõtra ipsorum voluntatem tolli aut minui (neque enim aliter illius auaritia sine ipsorum dispendio expleri potest) facillimè deterrentur ab illis rebus, licet sanctis, in quibus ab inordinata habendi cupiditate Sacerdotis, sua tolli conspiciunt. Et quod etiam huius vitij turpitudinem magis indicat, nequit hoc esse sine graui detrimento animarum, quæ in Purgatorio constitutæ suffragijs indigent, quæ cùm illis à suis cõsanguineis non concedantur, quia plus æquo exequiarum occasione à Sacerdote grauantur; quis non ex hoc etiam meritò hanc Sacerdotis auaritiam detestetur?

Secunda causa est, quia Deo ipsi maxima iniuria irrogatur, non eo solùm, quod diuinus cultus minuatur, vel auctore D. Hieronymo, Sacramenta ipsa vilia reddantur, quæ media tantùm mercede ministrant; sed etiam quia verè contemnitur Deus ab auaro Sacerdote; cum ab eo non Dei gloria, aut salus animarum quæratur, sed proprium lucrum, & emolumentum, & seruiat Deo, non quidem propter Deum, sed propter numum vt obseruauit Bernardus de conuers. Pauli. *Dati sunt Sacri ordines in occasionem turpis lucri, & quæstum æstimant pietatem. An vero Saluatori animarum grauior esse poterat persequutio?* Contemnuntur Sacramenta quia ea quasi venalia constituit peior effectus Iuda Proditore, & mercatore pessimo, qui pro triginta denarijs Christum vendidit adhuc passibilem, & iste pro minori pretio uendit Dei filium, iam in Dei Patris dextera consedentem. Negligitur etiam diuinus cultus, nam cùm Sacerdotis cor in his terrenis, & caducis tantum immoretur, adeo osci tanter, & distractè sua munia peragit, ut potius Dei iram contra se ipsum irritet, quàm misericordiam conciliet; cùm maledictus sit qui *facit opus Dei negligenter.*

Tertia est, quia penitus extinguit charitatem, quæ præcipuè in Sacramentorum administratione, & in Sacris functionibus exercendis clarescere deberet, vt vix aliud Pastoris insigne, quàm habitum, & nomen referat auarus Sacerdos; est namque in confesso apud omnes, perpetuã Comitem auaritiæ esse crudelitatem; vt ex illo Ezechielis manifestè colligitur. *Principes eius quasi lupi rapaces, rapientes prædam, ad effundendum sanguinem; & ad perdendas animas.* Et adiungit causam. *Auare sectando lucra*, quod confirmauit D. Chrysostomus, non vno in loco *Auaritia, omnes qui ei seruiunt, crudeles efficit, atque feroces*; & alibi asserit, *solam auaritiam tan tam immanitatem, & feritatem in corde Iudæ Proditoris ingenerasse ut in ipsum Christi sanguinem conspiraret.* Auaritia habet vim indurandi cor, habetque naturam illius fluminis, quod potum [illegible] ea reddit pectora, quod tactis inducit marmora rebus. Nulli parcit auarus Sacerdos, nulli compatitur, viduam opprimit, pupillum inuadit, quemcumque aggrauat sem-

Ezech. 22. hom. 7. de pen.

per petit, satiatur nunquam; nullas timet leges; & verè monstruosa res est; pastor in lupum conuersus & rapiens ab illis pro quibus & ipsam vitam dare oporteret, si esset opus. *Considerate nunc* (ait D.Gregorius) *quid de gregibus agatur, quando pastores Lupi fiunt. Hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari dominico gregi non metuunt, contra quos custodiri Dei greges debuerant. Nulla animarum lucra quærimus, nostrisque quotidie studijs vacamus; terrena tantùm concupiscimus.*) Nec aliud quidē expectari potest ab auaro Sacerdote, qui enim propriam salutem negligit, quomodo alienam curabit? Hom.17 in Euan.

Quarta causa accedit, quòd hæc cupiditas habendi in Sacerdote, præsertim, aditum omnibus virtutibus, omnino præcludit: corrumpit enim mentem auaritia & peruerti constans, ratumque est apud omnes: *cum radix omnium malorum sit cupiditas*, teste Apostolo. *Et auaro nihil sit scelestius*, ut est in Ecclesiastico. Quo cognito lumine naturæ ducti multi Philosophi diuitias contempserunt, & proiecerunt, vt notat Sanctus Paulinus. Et Petrus Damianus auaritiam sanctitatis virus & lepram appellauit, apertè asserens non bene conuenire, neque in eadem sede morari posse Christum, & nummum. Hæc considerasse mihi visus fuit D.Hieronymus, cùm Nepotianum instituens hæc præscribit. *Ne lucra sæculi in Christi militia quæras. Ne plus habeas Sacerdos, quàm cum clericus esse cœpisti. Negotiatorem clericum, et ex inope diuitem factum, quasi quandam pestem fuge. Ignominia Sacerdotum est proprijs studere diuitijs.* Propter hæc, & alia innumera mala, quæ ex auaritia Sacerdotis deriuant, idem Hieronymus hoc dictum sapienter protulit. *Ex quo* (inquit) *in Ecclesiis sicut in Romano Imperio creuit auaritia, perijt lex de Sacerdote, & visio de Propheta.* Fertur olim fuisse oraculum apud Græcos Delphis acceptum ab Apolline Pythio, vt Auctor est Cicero Spartam Laconicæ regionis vrbem celeberrimam; nulla alia re, nisi auaritia esse ruituram. *Ego vero*(inquit) Iodocus Clicthoueus Parisiensis Theologus de vita, & moribus Sacerdotum scribens *longè verius Delphicis Tripodibus credo esse oraculum, Ecclesiam Dei auaritia esse ruituram atque perdendam; Et videtur hac nostra tempestate propemodum, locum habere; cùm hæc putrida tabes ex inferna palude multum excreuerit, sitque verum, quod ait Isaias; Omnes in ulam suam declinauerunt, unusquisque ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum. Et quod Paulus ad Philipenses scribens conquaritur. Omnes, quæ sua sunt, quærunt.* Ecclesiast. 10. Ep.36. Apol.ca.4. 6.7. ad Nepot. de vita cler. ep.ad Rust. ep.Narbon. 2.off. cap.16. Is.c.56. cap.2.

Igitur mirandum non est, si hoc auaritiæ crimen tot grauissimis pœnis vindicauit Deus; vt vtriusque testamenti paginæ nonobscurè testātur. Nam & Giezi seruo Elisæi adhæsit propter vitium auaritiæ lepra Naaman, & semini eius vsque in sempiternum. Et Iudas propter auaritiam gratiam Apostolatus perdidit, & pęnam, æternamque infamiam acquisiuit; Sed cum in multis delinqui posit à Parocho hac in genere; de nonnullis præmonendus est, vt facilius ab hoc auaritiæ labe immunem se custodiat. 4.Reg.5.

Ac primo ne defuncti hæredes aut quempiam alium maioribus grauet oneribus, aut ad maiores sumptus adigat, quàm illorum conditio ferat, aut æquitas postulet, vel decretis synodalibus sancitum fuerit;

Nam hoc est aliena rapere,& ab inuito Domino extorquere, quod illi cura non concedunt, in quo si notabiliter excedat, quis dubitat, eum peccare mortaliter, & nisi facta restitutione haud absolui posse & tamen hoc non recogitat auarus Sacerdos, & sine vllo compunctionis sensu Sacramenta ministrat,& peccata peccatis accumulat. Hæc erat iniquitas filiorum Eli, qui non contenti, ea parte hostiæ immolatæ, quę sibi ex diuina institutione obtingebat carnem etiam ipsam crudam, quasi per vim rapiebant. Hoc est non tondere oues, sed deglubere, & mulgere lac vsque ad sanguinem, quod adeo detestatur Deus in Pastoribus per Hieremiam. *Veh Pastoribus, qui dispergunt, & dilacerant gregem pascua mea, dicit Dominus. Ideò hac dicit Dominus Israel ad pastores: ecce ego visitabo vos, & malitiam studiorum vestrorum.* (cap. 23.)

Deinde ne in ijs conquirendis,& exigendis emolumentis, quæ in funeralibus ei iure debentur se nimis anxium,& litigiosum ostendat: hoc enim mercatoris est potius, qui totus est in lucris comparandis, & de illis digladiari solet; non verò Sacerdotis, qui ab omni auaritiæ suspitione procul esse debet,& omnis nimia, & inordinata solicitudo lucri etiam iusti, si in omnibus perniciosa est, in Sacerdote præsertim est turpissima. *Quid distat* (inquit D. Bernardus) *Quæcunque substantia desideretur, si æqualiter sit corruptus affectus, nisi quod tollerabilius illud videri possit, qua pluris esse videntur, plurimum desiderare*. Vnde, & in hanc anxietatem in re quasi simili ita inuehitur. *Quid Episcopo turpius, quàm incumbere supellectili, & substantiala sua scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moueri ad quæcumque deperdita, vel neglecto*. Merito laudibus extollitur Abrahã, qui licet locuples,& opulẽtus, tamẽ cor eius circa opes,& diuitias non torquebatur, nec captiuus illis seruiebat, paratus omnia relinquere, vt iurgia inter se,& Lot declinaret. Nec magis in donando, & largiendo, quàm in exigendo,& repetendo, quod suum est; mundi cõtemptus declaratur,& altitudo animi digna Sacerdote. Addo ego multa mala,& incommoda ex hac nimia auiditate oriri, nam multæ lites, & contentiones inter ipsos Sacerdotes oriuntur, quæ dant obloquendi materiam secularibus. Ex contentionibus iræ, & discordiæ; ex discordijs scandala multa suscitantur, vnde ecclesiasticus ordo non parum à laicis negligitur, ac denique ex his altercationibus quædam instabilitas,& inquietudo cordis exurgit, quæ conscientiæ paci, & quieti propriè aduersatur.

(Ser. de tribus ordinibus Ecclesiæ ad pat. in capit. lib 4. de cõsid.)

Scio autem quibus rationibus soleant Sacerdotes isti suam hanc inordinatam solicitudinem excusare, dum dicunt hæc esse iura parochialia, siue sui beneficij,& dignitatis: ideoque tuenda omni studio, & etiam augenda, & hoc tam laudabile,& vetus institutum mortuorum corpora, & animas pijs precibus, & solennibus officijs prosequendi, quæ sine externo aliquo cultu, & impensis fieri nequeunt, nullo modo intermittendum, sed conseruandum. Honesta quidem & iusta ratio, sed quis nesciat modum seruandum esse in omnibus rebus; & prudentia potius & suauitate animi iura seruari, quam tyrannico rigore, & seueritate? An nescis amore potius, quàm rigore amorem, & commodum con-

Conciliari. Inquies fortasse hoc verum esse, quando res est cum ijs, qui benignitate, & humanitate vincuntur; cum proteruis, & contumacibus aliam regulam seruandam esse. Quidquid dixeris, hanc tamen veritatem non infringes, moderationem scilicet esse seruandam in omnibus, quæ nimium rigorem excludit, multque vt nulla contentio aut lis suscipiatur, nisi coactè & iusta de causa, & tanta animi tranquil litate, ut omnibus appareat, te sola necessitate; & conscientia tuendi iura tuæ Ecclesiæ, nō cupiditate lucri aut contentionis amore duci, sitq; Sacerdos paratus semper facile omnia componere, ad instam sui Prælati sententiam, dictum D. Gregorij mente retinens. *Facillimum esse in hac re labi, quia cum captiuum cor cupiditas tenet, & licitum esse suadet, & malum, quod imperat*, & illud D. Augustini. *Non solum auarus est, qui rapit aliena, sed ille quoque qui seruat sua.* lib. 9. mor. cap. 49. Ser. 196.

Dicunt alij se studiosius hæc emolumenta perquirere, quod cùm tenues sint beneficij redditus, non habeant vnde decenter sustententur. Quibus optimè respondet D. Chrysost. *Quam tu* (inquit) *opinaris tibi esse causam curandi, hanc ego idoneam esse dico, quæ te ab omni iure liberet, si enim dixeris; me oportet esse solicitum, quia sunt necessaria: ego è regione respondeo, propterea non oportet esse solicitum; quia sunt vtique necessaria; si enim essent superflua, non deberes de eorum præstatione confidere; nunc verò, quia necessaria sunt, prorsus non oportet ambigere.* Ita Chrysostomus, Præterea spem nostram in Deo ponere debemus, *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis cornorum inuocantibus illum*; Quomodo autem seruis ac ministris suis necessaria denegabit? *O miserum*) sic deplorat homini hominum angustias cordis D. Chrisologus) *cui cùm detur regnum, suspirat panem.* Hom. 23. in Mat.

Hinc gradū facio ad aliud auaritiæ genus: cùm .s. Sacerdos cupiditate lucri illectus plura onera missarum in se suscipit, quibus postea, vel proprij muneris obligatione, vel temporis breuitate nequit satisfacere, quæ auaritia cæteris alijs eò execrabilior est, quò maiora damna eaque irreparabilia in se continet. Primò namque Sacerdos iste hominibus infidelis grauissima culpa implicatus furti crimen incurrit, quia mercedem accipit, & debitam operam non reddit, & quod adhuc grauissimum est, Purgatorij animas defraudat, quod damnum profectò est huiusmodi, ut uerbis nequeat explicari, cùm pœnæ illæ tam acres, tam acerbæ, & tam multæ sint, ut hominis captum superent, quibus sic dire uexatis debitum subsidium non præstare, hoc perinde est, ac illarum pœnis delectari, illarum liberationem spontè protrahere, & odio iniquo odisse, contra quos sic inclamant. *Quare carnibus nostris saturamini? nostrum est aurum, & argentum, quod in arcis vestris reconditis, auari Sacerdotes, & ea lege vobis datum est, vt peccata nostra, & debita redimatis, vnde ergo tanta infidelitas, & immanitas, vt nulla vos nostri pietas tangat?* Et quod etiam ad maiorem peccati grauitatem facit, esto pœnitētia ductus Sacerdos accepta stipendia restituat, uel post se relinquat, qui omissis oneribus satisfaciant, quomodo temporis illud spatium, quo animæ Purgatorij flammis arsere, quia eas debitis non iuuit suffragijs, poterit compensare? Præcipuè cum una hora Purgatorij ob tormentorum acerbitatem lon- Ps. 146. Ser. 165.

gior multorum annorum curriculo purgantibus videatur.

Quibus omnibus malis vnico remedio occurrat Sacerdos, vt cor suum non apponat ad hæc caduca, & terrena, quæ si vsu quotidiano non insumuntur, aut per vim, aut fraudem non surripiuntur, ipsa sua corruptibilitate putrescunt, & quod est certissimum, omnia tandem cum vita deserenda, & relinquenda sunt.

Qualem se in defunctorum animas præstet.

Cap. XV.

NON solum autem à pastore, oues dum in hac vita morantur, verùm etiam post discessum diligendæ, & iuuandæ sunt; illi enim veri amici censendi sunt (vt ait poeta) *quos neque disiungat fœdere summa dies* verus amor, amici etiam absentis miserias, & calamitates dolet, & libenter subleuat, si facultas detur duo autem præcipua charitatis officia sunt, ex quibus maius capiunt subsidium, diuinissimum scilicet missæ sacrificium, piæque ipsorum voluntatis in legatis conditis diligens executio; In vtroque quis non videat pastoris operam, non modo necessariam, sed etiam aliquo modo debitam?

Debitam autem non quidem hoc loco intelligimus (si de priori suffragio loquamur) quasi Pastor sub reatu peccati teneatur ad missæ sacrificium offerendum, pro singulis defunctis suæ Pareciæ sed debitam, si eam charitatem attendamus, quæ digna est vero pastore, quæ etiam ad vita functos se extendere debet, nam vera charitas permanens est, De diligendo Deo. ac perseuerans, *& si vacua esse non potest* (vt elegantissime scripsit D. Bernardus) *non tamen mercenaria est. Quippe non quærit quæ sua sunt. Affectus est non contractus, nec aquiritur pacto, nec aquirit: sponte afficit, & spontaneum facit. Verus amor se ipso contentus est.* Quare & si ex hoc mundo egressæ sunt animæ, & si nulla est mercedis obligatio, adhuc tamen eas diligere, & à penis subleuare meliori quo potest modo debet Parochus, & si pro eis tantum offert sacrificium, à quibus emolumentum percipit, alias autẽ deserit, nec adiuuat, quia nullum temporale lucrum intercedit, hic profecto non verum pastorem, sed potius mercenarium se esse indicat. Floruerunt nostra tempestate pii Sacerdotes, inter quos alterum profecto referre possum, quẽ ego noui, etsi requisitũ singulas tamẽ animas quæ hinc decedebant, nullo suffragatore existẽte, missæ sacrificio ipso obitus die si commodè poterat, iuuare consueuisse, addebat insuper se ad hoc officium præstandum extimulari, & quasi cogi à charitate, dum animas illas in Purgatorio detentas, vt carissimos filios considerabat, neque se maiori cum emolumento, & feruore vnquam celebrare, quam cum pro iis missam offerebat, pro qua nõ temporalem, sed æternam mercedem præstolabatur.

Et quidem si omnes Christi fideles defunctorum animas ob eam, quæ inter ipsos est fidei & charitatis coniunctionem omni ope iuuare tenentur, quid Pastores facere conuenit, qui præter commune vinculũ, peculiari quodam nexu ouibus suis deuincti sunt, ad quos è medijs Purgatorij flammis, & cruciatibus clamant, non tamquam ad amicos, sed tamquam ad patres. *Nunquid non filij vestri sumus? Nunquid non vestris vberibus ablactati, ergo non commouentur viscera patris tanta filiorum suorum inspecta necessitate?* tanta si quidem est illarũ pœnarum atrocitas, quæ quamuis in sempiternum duraturæ non sint, adeò tamen acerbæ, & molestæ sunt, vt si omnes, quæ in mundo cogitari possunt pęnæ, & tormenta minori, quæ illic habetur pęnæ comparentur, potius solatia sint, quàm tormenta. Mallet enim quilibet viuentium, si illas experientia nouisset omnibus tormentis usque ad finem seculi, hic cruciari, quàm vna hora leniter illic torqueri. *Quapropter nõ est temerè excogitatũ* (inquit D. Io. Chrysostomus) *nec frustra memoriam mortuorum inter Sacra mysteria celebramus aut accedimus pro istis agnum illum peccata mundi tollentem deprecantes, sed vt his salus, & consolatio sit. Nec temerè qui altari assistit inter horrenda mysteria clamat pro omnibus in Christo morientibus.* Nam si Iob patris victima Deũ pro filiis placauit, cur dubitas, è nobis quoque si pro dormientibus offeramus solatij multum illis accessurum? Gratificari Deus propter alios alijs solet. Hom. 4. in 1. Pauli ad Corint.

Hinc sunt illa D. Laurentij Iustiniani de valore missæ. *In hora oblationis corporis Christi quantum fas est credere aperiuntur Cœli mirantur Angeli, sancti laudant, exultant iusti, captiui visitantur, compediti soluuntur, infernus luget, sanctaque in spiritu lætatur Ecclesia. Meritò à Sanctis Apostolis institutum fuit* (inquit idem Chrysostomus) *vt in tremendis mysterijs missæ memoria fieret. Mementote vinctorum tamquam simul vincti, quia scilicet charitatis vinculo vincti, & coniuncti estis, qui non ferreis cathenis, sed ardentibus flammis in purgatorio detinentur; illorum memores estote pro illis debita soluite.* Ser. de corpore Christi.

Sed hoc vlterius considerandum est, posse euenire animas igne purgante cruciari culpa, & negligentia sui Parochi ut in fine capitis ex Cluniacensis exemplo perspicuum fiet.

Sciat præterea Sacerdos, obsequium hoc charitatis esse Deo gratissimum, sibique pariter vtilissimum; animæ enim Purgatorij flammis addictæ, licet crucientur, licet Dei visione ad tempus careant, Christi tamen sponsæ sunt, & ab ipso summæ dilectæ, quæ si statim ad ipsius amplexum non admittuntur, hoc fit, ut interim tollantur maculæ, quæ in facie apparent, vt formosiores, & nitidiores sint in conspectu Dei. Quo animo illum iuuaremus, quem certò sciremus pòst acceptum beneficiũ statim regem esse constituendum, atque amplissimo regno donãdum at animæ purgatorij cælestibus pręmijs destinatæ sunt, ac potituræ opulentissimo regno. Si autem Sacerdos missæ sacrificio, hoc est Christi sanguine has maculas tollat, & animas sic sistat ante conspectum Dei, vt eius aspectu perfruantur, nonne Deo rem gratissimam facit, & animas illas, quę Sacerdotis opera liberæ è pęnis euolant in cœlum, & citius Deum facie ad faciem vident, hoc tam insigni beneficio sibi

deuinctum vt aulam regiam ingressæ perseueranter instent coram Deo vt acceptum beneficium cumulatissime compensent. Profectò hoc beneficium tanti faciendum est, quanti æstimanda est gloria beatorũ, ac visio Dei, qua quidem per plures annos, antequam illis debebatur, opera sui Sacerdotis perfruuntur. Ecce quanta merces ex ijs sacrificijs præsertim expectanda est, pro quibus nulla temporalis nec quæritur, nec speratur.

Alterum, quod à Parocho requirimus est cura diligens, vt quæ pia voluntate Defuncti in animarum suarum suffragium legata reliquerũt, quam primum executioni mandentur, quamuis enim quo ad meritũ ex dilatione executionis legatorum, Defuncti nullum detrimentum sentiant, vt optimè sensit D.Thomas, quoad suffragium tamen, & subsidiũ illis valdè obest talis dilatio, quia suffragium, quo à pœnis subleuentur eis minimè conceditur. Vnde sicut impietas maxima est legata non adimplere, ita nulla charitas maior, quàm efficere, vt illa citius suum sortiantur effectum, quod charitatis munus, cui magis conuenit, quàm curatori animarum, qui pauperum pater, & protector est, quæ sanè protectio erit illustrior, cum per eam maiora mala tollantur, & maiora bona comparentur. Meritò tot conciliis tam multa de hoc ipso sancita sunt. Quocirca iuuat in rem nostram referre, quod Petrus Cluniacensis Abbas maximæ authoritatis, & sanctitatis vir recenset; cuius verba ad abundantiorem legentis fidem subscribam.

Quolib.6. art.13.

Superest (inquit) adhuc in Viennensi pago Presbyter Stephanus nomine, vir inter multos sui ordinis viros honestatis, & religionis fama præcellens qui mihi ea, quæ dicturus sũ vera esse, fide interposita corã multis, qui mecum erant fratribus, retulit. Quæ quia se vidisse dicebat, ipsum introduco loquentem. Miles, ait, quidam de Castello Moras, Guido nomine in prælio vulneratus, indeque domum reportatus ad extrema peruenit. Ad quem, cùm lecto decumberet, proprius eius Episcopus Viennensis scilicet Archiepiscopus Guido, qui postmodum Romanæ Sedi præfuit, visitandi gratia venit, atque pastorali solicitudine, ut peccata sua confiteretur, admonuit. Aderam & ego, ad quem cura illius post Archiepiscopum spectabat, & quem secum ad illam confessionẽ audiendam retinuerat. Confessus est æger fideliter peccata sua, quantum ei ad confitendum memoria suffragari potuit, atque à Domino Archiepiscopo solemniter absolui meruit. Qui paucis interpositis diebus defunctus est, & iuxta quandam Cluniacensis iuris Ecclesiam Manulam nomine, tumulatus. Contigit posthæc non multo tempore elapso, iuxta Syluam, quæ supradicto Castro de Moras adiacet, meridianis horis me iter agere, cùm ecce subito quasi immensi exercitus strepitũ post terga mea audio. Cuius timore perterritus contiguam Syluam occultandus ingredior. Cumque in condensa illius me immergens, tali, vt putabam in loco resedissem, vnde videre transeuntes, nec ab illis videri possem, multo armatorum agmine prætereunte, astitit repente coram me miles, quem supra defunctum commemoraui, equo insidens, scuto pectori anteposito, hastæ, militari innixus. Quem vt vidi primò,

exhorrui. At ille me perterritum intuens: noli, ait, metuere, quia non ad incutiendum tibi timorem, sed ad rogandam misericordiam huc veni. Pro peccatis meis dira tormenta patior, & maximè pro duobus; quædam cætera confiterer, oblitus sum. Horum vnum hoc est, quòd olim cum quibusdam alijs militibus cimiterium quoddam, in quo quamplurimi vulgarium ob maiorem securitatem se, ac sua contulerant, infregi, ac bouem vnum rustico cuidam violenter abstuli: item terræ quæ mei iuris non erat, iniustas exactiones imposui, quas ab inhabitãtibus multo tempore mihi reddi, coegi. Rogo ergo, vt fratrem meum Anselmum adeas, eumque ex me depreceris, quatenus ablata mea vice restituat. Quod si fecerit à pęnis, quas patior absque dubio liberabor. Sed noui ego fratris duritiam, & quod tibi ista referenti nullatenus aquiescet. Sit ergo, quod dicturus sum tam tibi, quàm illi in signum, vt de rei certitudine nulli uestrum liceat dubitare. Scis ipse pecuniam, quam in arca repositam habebatis, & qua ad S. Iacobum ire disponebas? Hanc, cum domum redieris, inuenies furto sublatam. Apparui insuper antequam ad te venirem, Gulielmo noto tibi militi de Castello Moras, in ipsa domo sua, à quo vniuersa, quæ tibi nunc à me dicta sunt, postquam requisieris audies. Dixit hæc, & statim ab oculis meis euanuit. At ego timore cumulatus, & quia cum mortuo verba contuleram, de vita diffidens, inde, quàm citius potui, recessi. Domum vt veni, arcam meam fractam, & pecuniam, quam dixerat, sublatam inueni. Militem, cui se locutum indicauerat adij, & ab eo cuncta, quæ dicta fuerant, vera esse cognoui. Fratrem autem defuncti adire facultas non fuit, quia per dies aliquot absens extitit. Interea dum quadam die, re familiari vrgente, iter agerem, diuerti in amænum locum secus viam, vbi salicum magna multitudo, quasi cuiusdam Syluæ secretum æmulabatur; ibi ergo paululum requiescere volens consedi. Nec mora conspicio iam dictum militem arma solita præferentem mihi astare. Cumque ego duplicato timore turbatus in verba prosilire tentarem, prior ille, ah, inquit, Domine Stephane, quàm bonum nuncium, quem pro salute mea fratri dirigerem, uos elegi. Putabam quidem, uos mihi compati, sed vt video, quomodolibet me habeam, uos non curatis. At ego multo magis adaucto timore, vt potui respondi. Non, inquam, dissimulando quæ rogaueras distuli, sed quia fratrem, cui me direxeras, non inueni. Iam verò ut discesseris, absque mora ad eum ibo, & quæ primo rogaueras indicabo. Obsecro tantum, vt celeriter discedas, quia valde cor meum tui visione turbatur, neq; me tecum diutius confabulari patitur. Nihil, ait, tibi formidandum est, quia non vt noceam, sed ut tu mei miserearis, ad te venire permissus sum. His dictis disparuit. Ego autem multa formidine compulsus, & nequaquam vltra legationem iniunctam differre audens, ad sæpe nominatum fratrem defuncti cum milite, cui se reuelauerat accessi, eique cuncta per ordinem, quæ frater mandauerat, narraui. Ille verò vt homo totus mundo deditus, aut non credens, aut paruipendens, respondit. Quid ad me de anima fratris mei? habuit ille sua quamdiu uixit. Quare non pro se his, quibus iniurias intulerat, satisfecit?

cit. Videat ipse. Ego peccatorum eius pœnitentiam agere nolo. Hoc ab illo accepto responso, discessimus. Pauci dies transierant, & ego in domo mea solus residens ea, quæ videram, mente versabam. Cum ecce subito defunctus non iam equo, sed pedes; non armatus, sed inermis mihi assistere visus est. At ego nimio terrore ferè in amentiam versus, in hæc verba prorupi. Ex parte omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum eius adiuro te, quicunque es spiritus, vt discedas, meque tantis terroribus exagitare desistas. Et ille. Quia, inquit, taliter de aduentu meo turbaris, scito, quia me vlterius in hoc seculo non videbis. Ad hoc tamen tertio me tibi Deus apparere voluit; vt quod per fratrem nequeo, per te consequi merear. Debes es tu si bene perpendas plus fratre mei misereri. Ille enim frater carnalis, tu pater in Deo fuisti spiritualis. Hucusq; Cluniacensis.

Qua solicitudine ornatum Ecclesiæ, et Sacram supellectilem curet. Cap. XVI.



Non vulgaris præterea ornamenti loco erit Parocho, si Altarium, Sacrarūq; uestiū, ac totius penè Ecclesiastici apparatus curam ita suscipiat; vt expolita omnia, ac munda subditorum oculis appareant. Quis enim credat spiritualia tantummodò templa, spiritus sancti, vt sunt fidelium animæ, esse sub cura Sacerdotis? Quin templa ipsa, quorum titulis gaudet, & prouentibus sustentatur, & quidquid ad Sacra ministeria spectat, aliquid operis & studij omni iure à suo Sacerdote requirunt, cui enim magis ornādæ, & præparandæ domus incumbit onus, quàm ei qui eiusdem Oeconomus est? Significat hoc D. Ambrosius illis uerbis. *Maximè Sacerdotes conuenit ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Dei resplendeat.* D. quoque Hieronymus inter eximias Nepotiani virtutes hanc quoque ponit in Epitaphio ad Heliodorum. *Erat* (inquit) *solicitus, si niteret altare, si parietes sine fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostijs, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, Basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula diuersis floribus, & arborum comis vitiumque pampinis adumbrabat, vt quidquid placebat in Ecclesia tam dispositione, quam visu, presbyteri laborem, & studium testaretur.* Hæc de Nepotiano suo Hieronymus.

lib. 2. de offic. c. 21.

Neque hoc ministerij genus, tamquam abiectum, ac vile horreat Sacerdos; Deus enim ipse omnis dignitatis, ac nobilitatis fons, & origo suo nos præiuit exemplo, cum tabernaculi extruendi præceptum Moysi non tantùm dederit; sed eiusdem exemplar quoque atque omnem ornatum præscripserit. *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte mõstratum est.* Iussit etiam extrui templum, neque hoc sine exemplari diuinitus dato vt ex illis apertè colligitur. *Dedit Dauid Salomoni descriptionem porticus templi*, & in fine capitis. *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem omnia verba exemplaris.* Vnde aliqui crediderunt; Dauidem non tantum templi, sed etiam omnium vasorum, & cuiusque ornatus

Exod. 25.

primo Paralip. 28.

ornatus formam à Deo accepisse; sicut sacræ paginæ non vno in loco, tum de Sacerdotalibus indumentis, tum de sacrificiorum vestibus, tū de cæremonijs in Sacris peragendis fecisse Deum apertè testantur. Vt desiderium suum hac in re innotesceret magis, suoque exemplo operis huius dignitatem nobis commendaret. Quod bene intellexerat Salomon, qui quoniam à Deo electus fuerat, vt sibi domum ædificaret, hoc summi honoris loco semper habuit; cuius dignitatis, vt Dauid eius pater particeps esset, materiam, & impensas pro templi ædificatione præparauit. *Ego Dauid totis viribus meis præparaui impensas domus Domini, aurum ad vasa aurea, argentum ad argentea, æs ad ænea, ferrum ad ferrea, lignum ad lignea*; & alibi; *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas Domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris, & ferri nō est pondus*. Imò hoc est officium Angelorum, qui sicut Domino suo vbique reuerenter ministrant, præsertim verò in Ecclesia, & in altari, vbi adstant cum horrore, admirantur, cum tremore suspiciunt, alis faciem tegunt, vt indicauit Chrysostomus: ita multa circa Ecclesiarum ornatum, vel ad maiorem tanti sacrificij honorem, & reuerentiam ipsos vel præstitisse, vel Dei iussu præcepisse alijs, narratur. Quis ergo adeo superbus est, vt hoc tàm sanctum, & honorificum munus refugiat?

1. Para-lip. 29.

Hom. 3. contra Anom. orat. de non cōtra Eccl.

Ecclesiarum Sanctitas, & sacrosancta mysteria, quæ in ea peraguntur hanc solicitudinem, & diligentiam exigunt; est enim locus sacer Deo, precibus publicis, priuatis deputatus: adest in eo Saluator ipse corporaliter in Sanctissimo Eucharistiæ Sacro. Vndè meritò S. Nilus Ecclesiam similem Cęlo asserebat, cùm dicebat. *Ecclesiam, non secùs ac Cælum, frequenta*: Didicerat hoc à Io. Chrysostomo, qui templa nostra locum Angelorum, & Archangelorum, regiam Cœli, imò & Cęlum ipsum nominauit. Hanc loci sanctitatem, si serio Sacerdos attenderet, multò sanè diligentior esset in eiusdem ornatu, & cultu; Quod si adeo decorum erat templum Hierosolymitanum, quod nostra templa adumbrabat, vt nihil in eo esset, quod auro non tegeretur, quid fecisset Salomon, si hoc tam diuinum pignus, quod nos in nostris Ecclesijs asseruamus fuisset, & ipse asseruaturus? Si verò ob Ecclesiasticorum redditum tenuitatē, aut paupertatem incolarum, sacræ vestes, cæteraque ornamenta preciosa esse non possunt, saltem curabit bonus Sacerdos, vt ea decora munda, & decentia sint, vt nitor, & mundities rei valorem suppleat.

In Paræ-nesi.

Hom. 36. in primam Corint.

Deinde hoc Ecclesiarum splendore, & nitore Ecclesiasticæ supellectilis, cultus, & Religio in Deum magnopere conciliatur & augetur; etenim laici cùm vident domum Domini ornatam, Ecclesiasticas vestes preciosas, & mundas, Sacerdotem mundum, & compositum corpore; & amictu, congruam de rebus Sacris existimationem concipiunt. Magni momenti est, vt Rex à subiectis in honore habeatur: si aulici, qui ei inseruiunt familiarius in re quantumuis minima ad illius reuerentiam, & honorem spectante deficiant. Econtra verò, quisquis nisi omninò stupidus sit, indignè fert Sacra sordide tractari, & naturæ impulsu refugimus etiam homines sordidos, illuuie fœdos, & fœtidos, eosque interius non bene tersos, & compositos ritè argumentamur, vt dixe-

3. pedagog. cap. 11. rat Clemens Alexandrinus. *Quemadmodum fumus ignem, bonus autem color bonusque pulsus sanitatem, ita etiam talis, qui est apud nos amictus indicat, qualis sit nostrorum morum constitutio.* Quod dixit Clemens de amictu proprij corporis, idem meo iuditio concludi potest, & quidem validiori ratione tum de Sacris vestibus, tum de ijs omnibus, quæ ad diuinum cultum pertinent; circa quæ ministri incuria, & neglectus non bonam, & mundam ipsius conscientiam arguit. Nam si propter Dei reuerentiam vult Deus omnes non tantum spiritualiter, sed etiam corporaliter esse mūdos, quia spiritus mundissimus munditiam diligit, vt scripsit Alphon-

In cap. 23. Deut. sus Abulensis et si munditia nostra corporalis Deum nihil tangat, quid dicendum de earum rerum nitore, in quibus Deus ipse proxime colitur, & honoratur? Mihi semper versata est in animo hæc opinio, ex studio circa rerum sacrarum nitorem facile conijci posse, qualis sit animi propensio, & affectus Sacerdotis, nam si Deum verè diligit, illiusque gloriam, & honorem quærit, omni etiam solicitudine curabit, vt locus, in quo Deus habitat, & Sacræ vestes, quibus colitur, omnia decora, & or-

Ps. 25. nata sint. Quod suo exemplo confirmat Regius vates, quia enim Deum diligebat, etiam decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ suæ diligebat. Et si fortè dolet, angitur tristatur, sicut de Iuda Machabæo scribitur; Qui vbi cum exercitu suo sanctificationē desolatā vidit, & in atrijs virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus; *sciderunt omnes*

primo Machab. 4. *vestimenta sua, & planxerūt planctu magno.* Si autē à Sacerdotibus plus pecunia diligitur, aut quid aliud à suponere pastoris, hos similes dixerim illis quos Dñs ementes, & vendentes eiecit è tēplo quibus, magis pecunia dilecta erat, quā Deus ideo boues, & oues, & columbas, & mensas numulariorū statui in tēplo patiebantur, sacraq; omnia pollui, & prophanari. Ne igitur partes suas hac in re tanti momenti desiderari patiatur; Magnam reuerentiam, & existimationem de Ecclesiarum dignitate, deque sacris ministerijs, quæ in Ecclesia fiunt, animo concipiat, ac seriò consideret omnem operam, & omne studium in harum rerum decore, & splendore impensum ad maiorem Dei gloriam, & honorem cessurum.

Ecclesiæ suæ iurium bonorumque tuendorum studiosus sit. Cap. Vltimum.



E Parochi munere in Ecclesiasticis iuribus (Christi scilicet patrimonio) conseruandis ultimo loco dicendum superest. Principio autem existimet Rector, non leuem hanc obligationem esse, cùm pro illius executione non vna sit difficultatis ratio.

Primo namque se ad hoc præstandum iuramento solemni iustitiæ titulo deuinxit, cùm primo illius Ecclesiæ curam suscepit. Quod postea non seruare, quando se se obtulerit occasio, aut cogat necessitas, quanta damnationis sit, illa Domini aperte indicant.

Si

Si quis virorum votum vouerit, domino, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit adimplebit. & alibi. *Cùm uotum voueris domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, etsi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.* Quare non temere iure Pontificio graues, variæque in peierantes pœnæ constitutæ sunt, vt videre est & multa etiam de in cap. Hinc etiam illa Leonis Papæ leguntur. *Ea quæ ad Ecclesiæ iura pertinent, tanquam ipsam Sacrosanctam, & religiosam Ecclesiam intacta conuenit inuiolabiliter custodiri, ut sicut ipsa religionis, ac fidei mater perpetua est ita eius patrimonium seruetur illæsum.* Vnde quoque & illa cōsuetudo manauit vt prouisi de beneficijs, iurent se priuilegia, ac bona Ecclesiæ, ac beneficij sui non alienaturos, sed conseruaturos & alienata indebitè, quātum in ipsis erit, reuocaturos atque recuperaturos. Quod sanè iuramentum eam inducit obligationem, vt pro defensione bonorum, & iurium suæ Ecclesiæ, si oportuerit, teneatur vitam ipsam ponere, & si quando potest illa recuperare, & id facere negligit; vel timore, quia res sit cum potentibus; vel aliquo humano respectu, exemplo tutoris, tenetur de suo. Multa in Concilijs de hac re sancita sunt, & præsertim in Tridentina Synodo, pro cuius executione multa & S. Carolus ordinauit.

2. num. 3. *Deut. 23.* *In cap. nouerimus 12. q. 2.* *Glos. not. in c. conuen. 32. q. 8.* *Glosa nolabilis in c. 1. 12. q. 4.* *Abbas in cap. præsentium sess. 25. de ref. cap. 12.*

Accedunt multi, ijque varij euentus, quibus non obscurè indignationem suam significauit Deus contra dissipatores bonorum Ecclesiasticorum, & infideles ministros, quibus Ecclesia abundat.

Commonendus tamen hoc loco Sacerdos est, ne indiscreto zelo in seruandis, & tuendis iuribus suæ Ecclesiæ agi se sinat, hoc est, ne minima, ac leui quacunque de causa litem tentet, ne cui facessat negotium, nisi iusta, grauique de causa, & adhibito etiam peritorum consilio, & sui prælati præsertim, idque semper magna animi tranquillitate, & moderatè, paratus potius ad componendas lites (sine præiudicio tamen suæ Ecclesię) quàm ad protrahendas; nam pertinacia, seu obstinatio in sua opinione hac in re præsertim multa mala afferre solet, & sicut persuasibilitas actus est prudentiæ, ita oppositum vitium est impersuasibilitas, & pertinacia. Quamobrem controuersiæ, contentiones, & dissensiones omnes, cum ab omnibus, tum vero præcipuè à Parocho animarum longissimè abesse debent. Primò quia Pastor totus debet esse charitas, & amor. Deinde omnis contentio ex causa huiusmodi eo deformior est, quò plures amoris, & dilectionis inter pastorem, & gregem causæ intercedunt. Quid magis indecorum, quàm pastor contentiosus. Et si prodigium iudicabat Richardus Victorinus inter discipulos eiusdem magistri, videre contentiones; sanè prodigium maius iudicasset, spiritualem patrem, nulla de causa cum filijs suis rixantem, & contendentem. Postea populi sui animos contra se commonet; nam sicut qui minimè contentiosi sunt, teste Aristotele, amabiles sunt, ita litigiosi, odio sunt omnibus. Præterea, qui faciles sunt ad lites, & contentiones plane indicant, se non habere animum benè compositum; vnde optimum extat B. Esaiæ monitum. *Noli esse contentiosus, ne omnis in te inhabitet improbitas.* Quod & Aristoteles cognouit; cùm contentionem ma-

Li. de stat. inter hom. ca. 19. *lib. 2. retor. c. 9. 10.* *Os. 9.* *1. Elench. cap. 10.*

lorum fomitem,& periculum animarum vocauit. Augetur verò pernicies ex eo,quòd Sacerdos litigiosus saluti sui gregis procurandæ,nō incumbit angitur,æstuat vagatur per ciuitates, discurrit per tribunalia,rixatur,in mille partes distrahitur,& quandoque euenit,vt dum Sacerdos hoc colore circa rem nullius, aut pauci momenti contendit, multarum culparum, se reum constituat Curator igitur,ubi vel tuendi, vel recuprandi iuris alicuius propriæ Ecclesiæ tulerit occasio,vt lis instituenda sit,primò sui Episcopi, tum etiam aliorum peritorum hominum consilium requirat; superioris enim consilium, *diuinum oraculum* appellauit Cassianus,& sæpe accidit,vt idem auctor docet,aut ex illusione diaboli,seu ex humana fragilitate (cùm nullus sit homo vt homo,qui falli non possit) ut ille,qui acrioris ingenij,maiorisque est sciētiæ,falsum aliquid mente concipiat.Idcirco tutius erit,non ex suo tantum,sed etiam superioris iudicio,hac in re procedere; Procedet autē cum omni charitate,& mansuetudine,vt non contendendi animo,sed necessitate sola tuendi, quod est suæ Ecclesiæ, litem instituisse omnibus videatur;ita tamen sibi ante oculos posito Dei honore, & Ecclesiæ suæ commodo,vt ab eo procurando nullius hominis metus perterreat, nullus temporalis fauor,nullus labor retardet, nulla iactura rei familiaris ab incepto remoueat, paratus etiam proprio sanguine,si opus fuerit,Ecclesiæ suæ patrimonium tueri, vel recuperare,memor sanctissimi illius Cantuariensis Archiepiscopi Thomæ, qui pro Ecclesiasticorum iurium defensione lubens mortem oppetijt.

col. 16. ca. 2. col. 16. cap. 12



D.

ADIVMENTA

Ad Quartam Partem.

Addam vltimo loco hoc pro eorũ omniũ appẽdice,quę hucuſque dicta ſunt, tum de natura, & difficultatibus curæ animarum,tum de ijs,quæ Deo in primis, ſibi ipſi & animabus commiſsis Curator debet, duo non contemnenda, quæ ſi in vſum inducantur,magno adiumento futura arbitror ad paſtorale munus piè, & ſanctè obeundum,& ad ſeruãdam illam conſcientiæ puritatem, quæ in illo tanto tamquam communi animarum periculo, ſcilicet in mortis articulo, non modò facit nos eſſe ſine metu, ſed etiam vt cum gaudio fidentique animo ad illam appropinquemus.

Alterum eſt, vt annis ſingulis diligentiſsime conſcientiam ſuam diſcutiendo quidquid eo anno commiſerit,quod caſtigatione indigeat, ad memoriam ſtudeat reuocare,vt generali confeſsione annuas ſordes toto animo eluat.

Alterum verò,vt ſaltem per octo dies,uel etiam plures, omni externa occupatione remota etiam ſub diſciplina ſpiritualis alicuius magiſtri,ſi loci opportunitas, in quo Parochus fuerit, eum habere concedat,colligat ſe ipſum,& per longiorem vſum orationis, & meditationis,attendat ſibi ipſi,& ſpiritu innouetur: nec profecto deſunt cauſæ illæque grauiſsimæ,quæ vtriuſq;moniti neceſsitatem,& vtilitatem Sacerdoti perſuadeant.

Et quidem de generali confeſsione. Quis Sacerdos ſummam proprij ſtatus;in quo à Deo poſitus eſt, obligationem attendens,inſtitutũ hoc annis ſingulis non teneatur? Etenim certum eſt, quod quo magis quis ad Deum per amorem,& muneris coniunctionem accedit, magis etiam immenſam illius bonitatem,omni obſequio, & amore dignisſimam, agnoſcit,atque propterea maiori etiam ſenſu doloris, peccata ſua contra tantam bonitatem commiſſa deteſtatur, & maioribus ſemper pœnis eadem caſtigat,vt faciebat Dauid, cui non ſatis fuit ſemel peccata ſua lachrimis,dolore,& pœnitentia deleuiſſe,ſed lauabat etiam per ſingulas noctes lectum ſuum,& lachrimis ſtratum ſuum rigabat. Non ſit igitur contentus Sacerdos, qui tanta in Deum charitate flagrare debet, ſemel tantùm Dei offenſas fleuiſſe, ſed ſingulis annis Pſ.6.

caſ-

easdem simul maiori, quo potest dolore, denuo defleat, & pro illarum remissione misericordiosissimum Deum deprecetur.

Caducæ pulchritudinis amatorem imitetur, qui vt dilectæ amorem sibi magis conciliet, non semel in die maculas, seu puluerem à facie tersisse sat illi est, sed toties lauat, quoties in illius conspectum prodire vult, vt pulchrior, & formosior appareat. *Bonum animæ ornamentum est confessio* inquit D. Bernardus, *quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem. Si peccata sunt, in confessione lauantur, si bona opera confessione commendantur*, D. quoque Augustinus in illa. *Confessio, & pulchritudo in conspectu eius. Pulchritudinem amas? uis esse pulcher? confitere: non dixit, pulchritudo, & confessio, sed confessio, & pulchritudo.*

Serm. de gradibus conf.

In quæst. 95

Deinde dubitari non potest, fundamentum perfectionis, & sanctitatis esse humilitatem: porrò humilitas ex cognitione propriæ infirmitatis, & suorum defectuum propriè originem ducit; aduertens enim anima suorum peccatorum, tum fœditatem, tum multitudinem, erubescit, confunditur, vix audet coram Domino stare; Hoc fortasse affectu Petrus tangebatur, qui Christi præsentiam attendens, & suam imperfectionem considerans, se Dei conspectu indignum reputabat. *Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum.* Hunc autem humilitatis sensum magis concipimus, cum omnia, quæ toto anno perpetrauimus, peccata in vnum quasi fascem colligentes denuo ante mentis oculos plangenda, & confitenda proponimus. Idem dicendum de dolore, & detestatione peccatorum, quæ maior concipi solet in consideratione omnium peccatorum simul, quam ex singulorum intuitu.

Luc. 5.

Præterea facile est, vt in confessionibus, quæ per annum fiunt, insit defectus aliquis, qui generali confessione tollitur, ob diligentiorem discussionem conscientiæ, & vehementiorem cordis dolorem, & compunctionem. Atque hinc etiam sequitur, vt generalis confessio peccatorum, sit optimus stimulus, quo Sacerdos se ad nouæ vitæ compositionem de disponat, atque excitet ad desiderium maioris perfectionis.

Si autem sermo sit de secessu à negotijs, & curis, vt comentationibus spiritualium exercitationum annis singulis se dedat, quæ ad renouationem spiritus valere possunt, & tendunt ad spiritum deuotionis excitandum, quis potest de illorum necessitate, & ingenti vtilitate dubitare? clarum est, ex assiduitate laborum nasci, tùm animi, tùm corporis hæbetationem, & languorem, & vniuersa, quæ in hac vita esse habent, sine quiete, diuturna esse non posse. Hinc illud vulgatum. Quod caret alterna requie, durabile dici esse non potest. Quod D. Ambrosium nō latuit. *Munera vniuersa, non minus opus habent quiete, quam labore, & industria. Operarius qui semper operi insisteret, inutilis fores*, similiter vineæ cultor, non sēper terrā fouit, stercora mittit, aut aquā per canales ducit, *aut esuntes extirpata ipsas vites expurgat: sed aliquādo cibū capit, & dormit, & fatigatis mēbris requiem & vacationē cōcedit. Et Pastor, an semper inuigilat, & sine intermissione greges ouium circumeundo custodit? Non certè, sed non minus sibi ipsi, quàm ouibus consulens corpori suo & escam, & somnum, & omnia alia necessaria ministrat. Denique ædificator an omnibus horis ædificat, an numquam cessat fundamenta*

In primo Corint. 18.

ta iacere, parietes erigere, & tecta ædificijs superponere? Nequaquam imò propria infirmitate admonitus otium, & quietem admittit, & vires fatigatas resumere curat. Idem seruet Curator animarum ad suam vitam spiritualem conseruandam, necessarijs temporibus, mentis quietem capescat. Quies autē mentis oratio, & contemplatio est, qua cibo verbi Dei pascimur, creaturam obliuione soporamus, vires amissas reparamus, & nouos animos ad laborem, & operam concepimus.

Deus ipse nos suo ad hanc quietem spiritus captandam inuitauit exemplo, Inquit D. Bernardus. De eo enim scriptum est. *Compleuit die septimo opus, quod fecerat, & requieuit die septimo ab omni opere, quod patrarat, si ergo septem diebus uel non paucis mensibus operatus es & salutē aliorum quæsiuisti, iam Sabbatum, idest tempus aliquod quieti destinatum libenter excipe, in quo dū ab externo opere cessas, virtutes restaures, & spiritum præ onere deficientem reficias*, hucusque Bernardus. Idem Deus dum in terris versaretur Apostolos ad se recurrentes, vt nunciarent ei, quid egissent, & docuissent, ad hanc quietem inuitauit cum dixit. *Venite seorsum in locum desertum, & requiescite pusillum.* In hanc enim sententiam Theophilactus hæc verba intellexit, ita scribens; *Apostoli postquam prædicauerunt, congregantur apud Iesum, vt & nos discamus, si quando in ministerium mittamur, ne nos totos ab eo, qui mittit, abripiamus, & post, quiescere etiam facit Christus discipulos, vt sciant Prælati laborantes in verbo, & doctrina se dignos esse, quibus detur sua requies, & non semper intendant laboribus.* Causa huius tam necessariæ renouationis, est humana infirmitas, qua vt agnouit D. Thomas celerrime, & magno cum impetu ad malum mouemur, & inclinamur, ad virtutem autem nisi magno adhibito conatu. Quare sicut motus, qui à natura est, in fine velocior, & celerior est, qui vero contra naturam, & violentus, quo magis protrahitur, eo tradior, & segnior est, ita in animæ nostræ motibus circa virtutem contigit. Quare idem faciendum, quod sagittarius, qui sagittam per multa spatia proijcere intendens, cum iam defficientem sagittam, & in terram cadentem videt, iterum leuat, & nouō impetu impresso ad destinatum scopum collimat, sic Sacerdos præter quotidianum vsum orationis, per aliquot dies nouo feruore concepto & validiori impetu perlongiorem vsum cōtemplationis suæ menti impresso, ad maiorem perfectionem seipsum impellat. Præcesserunt exempla sanctorum virorum in salutem animarum incumbentium, quibus semper hoc solemne fuit, vt singulis annis se eriperent ab externis occupationibus, & hominum consortio, & per aliquot dies, soli Deo intenti animam suam contemplationis pabulo reficiebant; ex his vnus fuit Hugo Linconiensis Episcopus, qui singulis annis, ad minimum semel æstiuis vacationibus ad monasterium suum Vuietamiense se se cōferre solebat: ibi verò tamquam in messe fertili menti suæ de spiritualibus frugibus prouidebat, quas vbertim illic ipse secuerat; sed recens est memoria Sancti Caroli, de quo ita scriptum legimus. Præter quotidianas exercitationes, bis in anno saltem ab vrbe discedebat, seque in remotis, solitarijsque locis colligens, plures dies ab omni alia occupatione liber superioris temporis errata dolebat, seque spiritualibus

Ad fratres de monte Dei.

Gen. 2.

Marci 6.

1. 2. q. 71. art. primo.

Sur. in vita cap. 23.

Carolus Ep. Nou. lib. 7. c. 14. in vita.

llbus diuinisque contemplationibus ad maiorem sanctitatem inuitabat. Inde autem cælesti pabulo refectis animi viribus, ad sua curricula recens, alacrisque currebat; atque hic optimus modus est iuuandi sine sui detrimento, *nam ociosum non est*, ex sententia Bernardi, *immò omnium negotiorum negotium vacare Deo quoniam ex hoc otio vires proueniunt ad negotium, & qui scit prudenter ad tempus quiescere sciet postea strenuè, & viliter laborare.*

Ad fratres de monte Dei.

Et quamuis oratio, quæ solo mentis actu fit, vbique locorum haberi possit, quia vbique est Deus, si tamen commodè fieri potest, locus aliquis sacer, & quietus eligatur, remotus à turba; vbi nullus perstrepat, nihil sensum, & mentem ad alia vocet, vbi denique loci sanctitas, & quies ad deuotionem incendat. Exemplo nobis fuerunt sancti, qui solitaria loca ad contemplandum eligebant. Quod si gregis necessitas, pastoris absentiam non patitur, nec datur loci commoditas, saltem numquam deerit Parocho propria Ecclesia, in ea, vt placuerit, poterit orationi prolixius vacare, cor suum effundere, & negotium animæ suæ tractare cum Domino suo ibidem ineffabili modo assistente, his præsertim horis, quibus Ecclesia à populo frequentari non solet, vt omnis distractionis, & inanis gloriæ euitetur occasio. Hoc vero tempore, ne calor, qui in huiusmodi exercitijs spiritualibus concipitur, tepescat, necessarium erit domi se continere, non euagari, & si quando egredi contingat, ob animarum necessitatem, quam citius potest, se expediat, nec se in diuersa trahi sinat, vt spiritu collectus ad orationem denuo reuertatur.

Innumera sunt, quæ Sacerdoti proponi possent, ad meditandum; consulens tamen memoriæ fragilium, ac temporis breuitati, infrascripta præscribam.

MEDITATIO PRIMA.

I. Sicut vnicuique ad vitam suam sanctè cōponendam maximè confert assidua, & quasi practica memoria mortis, & eorū omnium, quæ inde immediatè consequuntur; hanc in primis tibi Curatori animarum necessariā existima, quia & ipse mortalis es, sicut cæteri, & ad maiorem sanctitatem, quàm cæteri aspirare teneris, itùm vero, quia ob status tui conditionem, si vita statui non respondeat, solent hæc ipsa nouissima infensissima esse. Ideo Saluator omnibus quidem vigilandum indixit, sed ianitori præsertim.

II. Certissimè ergo morieris, quia quis est homo qui viuit, & non videbit mortem, qua autem hora, aut quomodo morieris, an subita, & inopinata morte, ignoras omnino. Et ut plurimum cum nos imparatos videt, tunc nos mors aggreditur, tamquam fur, & latro.

III. Separat animam à corpore, animam ante tribunal supremi iudicis constituit, vt recipiat prout gessit siue bonum, siue malum, corpus autem terræ mandat separat ab agnatis, ab amicis, à diuitijs, ab honoribus. *Homo cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.*

IV. Quæ

IV. Quæ separatio sanè tibi acerbior erit, si nimio, & immoderato affectu consanguineis, & illorum commodis affixus eris, vnde & scriptū est, *ò mors, quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantia sua.* Ps. 48.

V. Sed quod morientem magis conturbat est, incertitudo eius quod in ęterno erit, versatur enim inter duas sortes inæquales æternæ scilicet vitæ, & æternæ mortis, nescit quid illi euenturum sit, neque enim licebit vno pede in terra relicto, alterum in cœlum tollere, sed vtroque pede in aliam vitam intrandum est. *Momentum vnde pendet æternitas.*

VI. Hæc si torquent quemcumque morientem, qui pauores superuenient ei, qui de suis, & alienis peccatis mox arguendus erit à Deo æquissimo iudice. Si Arsenius, & Magnus Hilariō, dum sentationem Deo reddituros de sua tantum vita in mortis agone recogitabant, adeo formidabant, quid eueniet tibi Curatori animarum? Sic igitur viue, sicut in morte vixisse velles.

MEDITATIO SECVNDA.

I. TV qui toties Diuini iudicij terrorem, eiusque certitudinem alijs proposuisti, tu quoque & illud time, quia eidem subijcieris, & tu considerans, quod quo quis iustior est, eò magis hoc iudicium pertimescit. Iob Sanctissimus uir: *Non reprehendet me cor meum, in tota vita mea,* & tamen dicebat: *Quid faciam cum surrexerit, ad iudicandum Dominus.* Et D. Paulus. *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum. Qui autem me iudicat Dominus est.* cap. 27. cap. 31.

II. Huius timoris maior causa tibi indicitur, quia ratio à te exigetur, non modo de omnibus peccatis tuis, non solum de omnibus peccatis tui gregis tua culpa commissis, sed etiam de omnibus operibus bonis ab ipso ommissis, eo quod talentum à Deo tibi concessum in terra à te absconsum fuerit, nec illud diligenter pro illius salute impensum. Inutilem seruum proijcite in tenebras exteriores.

III. Quò maior fuit Diuina misericordia, erga te, cum tuæ fidei tam pretiosum depositum commendauit, eo iustior, & exactior erit in eodem exigendo, ita D. Bernardus illa Prouerbiorum considerans *fili si spoponderis pro amico tuo, defecisti apud extraneum animam tuam Deus,* inquit ille *amicus noster est, in sponsione, sed erit extraneus in exigenda ratione.* Ex quo summum, sed æquissimum tamen diuini Iudicij rigorem collige *iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Mat. 25. Sap. 5.

IV. Præter conscientiam tuam, quæ teipsum accusabit, consurgent etiam in iudicio contra te, animæ illæ, quæ culpa, & negligentia tua sempiternis flammis addictæ sunt, & diuinam vltionem contra te acclamabunt. Nam si omnis creatura, quia illa male vsus fueris, erit in testimonium contra te, cum scriptum sit. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Quanto magis animæ?

V. Et ab eo vindictam petent, quas cum ipse pretioso sanguine re-

demerit, videns illum culpa tua frustra pro animabus illis effusum; quæso, qualem cogitas futurum iudicem, cum de hoc ab ipso iudicaberis?

VI. Cum ergo huiusmodi sit Diuinum iudicium; & ex illo æterna tua bona, vel mala dependeant; cur Christum offendis? cur ministerium tuum non adimples? cum certò scias, citò te in eius manus deuenturum? cur non magis illius amicitiam concilias? Habebis vero Iudicem amicum si illa D. Pauli ritè exequaris. *Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.* Iucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.

prima ad Timot. ca. 26.

TERTIA MEDITATIO.

I. SI in morte in culpa mortali impœnitens deprehendaris pęnam æternæ damnationis subibis, quia si peccantibus Angelis Deus non pepercit profectò, nec tibi; imo cum ex peccantis dignitate culpa augeatur, culpæ autem pęna respondeat cum sis à Deo in tam insigni dignitate constitutus, quia statui vita non respondet, longè maiora, quam cæteris, & acerbiora tormenta tibi parata sunt. *Quia potentes potenter tormenta sustinebunt.*

II. Ideo pœna damni, idest, carere in perpetuum Dei visione acerbius, quam cæteros, torquebit te: nam sicut corona gloriæ, quæ tibi bene operanti erat proposita erat illustrior, & tu præ cæteris facilius, illam consequi potueras illa modo in æternum priuari, quo dolore afficieris? finge animo Magni alicuius Regis filium, cui iure hæreditario Regnum ipsum debeatur, si eo priuetur, & diuitijs, & honore, quem sperabat spolietur, quo mœrore conficiatur. Carere Deo in perpetuum hæc est omnium pęnarum summa.

III. Accedet pęna ignis, qui inextinguibilis erit, & in perpetuum duraturus, quo damnatus ardebit, nec tamen consumetur. *Quis poterit habitare de uobis cum igne deuorante, quis habitabit ex uobis, cum ardoribus sempiternis?* Si in igne ad paruum tempus manum tenere non sustines, quomodo sustinebis igne ardere inferni in æternum à pedibus vsque ad caput.

Is. 33.

IV. In anima, & in corpore damnati erit congregatio omnium dolorum, quibus tum animæ potentiæ tum corporis sensus miserè cruciabuntur, nec tamen vis vnius doloris, cruciatum alterius impediet, quod hic non euenit, nam summus dolor capitis, ita sensum hæbetat, vt dolorem pedis non sentiat, sed alter alterum dolorem acuet. *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.*

Deut. 32.

V. Sed vermis conscientiæ, quo semper cor damnati contabescet, & mordebitur, grauissima pęna erit tunc enim omnium suorum peccatorum grauitatem, & turpitudinem apertissime cognoscet, & Diuinæ misericordiæ facilitatem, si ea vti voluisset, & propterea videbit Deum sibi infensum, & inimicum absque vlla spe illius manus unquam euadendi

di. *Peccator videbit, & irascetur dentibus suis stridebit & contabescet, desiderium peccatorum peribit.*

VI. Neque hæc leuis pęna mali Sacerdotis ęstimari debet ex consideratione, quod opera, & prædicatione sua, multis causa salutis fuit, quique regnant, & exultant in cęlis cum Christo, ipse autem, quia sibi non consuluit, nec ex suis ipsis verbis profecit, misere apud inferos cruciatur. Igitur hic pęnitentiam age, ne pęnas experiaris æternas.

QVARTA MEDITATIO.

I. Assidua meditatio gloriæ cælestis, non solū periucunda est, sed omnino necessaria Curatori animarū præsertim, hoc enim tā præclaro fine assidue ante oculos tuos posito, facilius tum tuas, tum gregis tibi commissi actiones in eum diriges, & tantæ fęlicitatis quasi aspectu condies, quidquid arduū, & ac verbum tibi eueniet in cura animarum. *Propter verba labiorum tuorum* (inquit Dauid) *custodiui vias duras.* Et Daniel in Babilone captiuus ex inspectione Hierusalem quotidie animum suum reficiebat. Ps. 118. Dan. 6.

Hæc autem gloria, & beatitudo quanta sit, disce ex D. Ioanne. *Carissimi nunc filij Dei sumus, sed nundum apparuit quid erimus; cum autem apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Etenim si charitas, dum hic peregrinamur, hoc operatur, vt qui verè Deum diligit, in Deo maneat, & Deus in illo, quid faciet perfecta charitas in cęlis, & clara Dei visio. *Similes ei erimus*, ait Apostolus. Hoc autem quam magnum, quā gloriosum sit, nec mente quidem concipi potest. Ideo Paulus? *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.* prima Io. 12.

II. Non solum illa gloria nostris optatis cumulatè respondebit, ut verè dicere possimus. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, sed multis ex partibus superabit desiderium nostrum: ideo intrabimus in gaudiū Domini nostri tam ingens gloria est, vt ipsa in nobis nullatenus contineri possit, sed nos vt ipsi illa contineamur, & quasi absorbeamur necessarium erit.


IV. Ibi veri honores, solidæ diuitiæ, perpetuæ voluptates, ibi omniū bonorum cumulus, ibi perpetua, & inamissibilis tranquillitas, & præcipitabit mortem in sempiternum. Meritò D. Paulus, qui per transennam cælestis regionis diuitias viderat, omnia, quæ in hoc mundo dicuntur bonā, vt stercora arbitratus est.

V. Adde, quod sicut in terrena Republica discrimen est inter præmium, & præmium, aliud enim priuato militi, aliud duci iure decernitur, ita in cęlis animarum Curatores, quasi illorum duces, qui strenuè munus suum obierunt, sublimiores sedes obtinebunt. *Nam qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in regno cęlorum.* Ps. 25.

VI. Has ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Quanta patitur mercator, miles, agricola, & dignè se pati

putat,

putat, modò honorem, vel diuitias ex suo labore reportet, quid nos facere postea conuenit pro æterna beatitudine. Id enim quod *in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in vobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videantur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt.*



Hæc dicta sint, ad Laudem Dei, ac B. M. Virginis. Et omnia sub correctione Sanctissimæ Matris Ecclesiæ.

Errata grauiora sic corrige, reliqua per temetipsum emenda.

PAg. 1. quod à tanto. 2. præferantur. ibid. nox. 3. ligent. 5. rete. 6, humo, ibid. pallebam. ibid. imbellis. 8. tolerans, ibid. manus. 9. conscientiam. ibid. ducit. ibidem Tyrenno, 10. abyssum. ibid. hominis. ibid, cuius. ibi. tollere prorsus. 11. respuant. ibi. existunt. 12. coll gandos. ibid. tolle modo. ibi. & tantū vigent. ibid. ictibus. ibid. sui. 14 labendi. ibi. locupletet. ibid. tolle. propterea esse debet. ibi. videat. ibid. ascribat. ibi. viderit. 17. timeat. ibid. ille. ibi. habui. 18. grauius. 19 expectandū 20 cooperari. 21. mentitur ibid. inditium. 22. curatoribus. 23. molem. ibid. reperirent. 24. seruiet. ibid. facinua. ibid. tolle 28. ne cito. 29. ad bonum. 32. anima. 33. non. 37. perpetuo comparare. 39. eludunt. 41. suffragatore, ibid. Domini sui. 45. bonorum omnium. 47. bene sperandum. ibid tolle. ibid. medicum. ibid. concubitum. 49. charitatem proximi. ibidem. Christi dignitatem. 51. qui princeps, 52 præcipua artis. 53. magnum aliquod. ibid. quod ad hærum. ibid. sistat se. 54. quem rogaret. 62. excuties. 67. prædictum. ibid. Curatori. 69. quo tolle. 72. hæc ti sui. 79. consistant. 83. euangelicum. ibid. moueat. 89 qui etiam. 91. debeo semper ibidem. ut infanti. 94 qui eas. 97 quod maius est. ibidem. Te priuabit. ibidem decem vicibus. ibid. operi incumbis. 98. deffectus decrescant. 100. nam vt docuit. ibid. procurantur. 101. pontifici. ibid. communicant. 102. proximiores. ibid annonam. ibid. mentis. 104. mentis tranquilitatem, ibid. cari suot sensus. 105. consequetur. 106. externa. 108. facti. 113. quis altior. ibid. Sacerdos cum. 118. ædificari. 121 obtemperat voluntati. ibid. sapientia. 122. delicatus magister. ibid. euitaremq; ibidem. ex multis. 123. intemperatissimi. 124. ieiunandi. ibid. si tolle. 125. Adde socios. ibid. habebat. ibid. pluris est. ibid. nam cum ibid. halitu. 126. laqueus comptus. 127. mulierum. ibid. consentientem. 128. meam posset. 130. cum fœminarum aliqua. 131. seruabis. ibid. à populo. ibid. videt separatum. ibid. multitudinis. ibid. miretur. 134. nimirum. ibid. sempet tolle. ibid. à cenante domino, ibid, vides cenas Christi quales sunt, nempe in vtilitatem non in satietatem ventris vertuntur. 135. num. tolle. ibid. diademati. 136. illorum. 137. populi, 139. ordiremini. 143. discit. ibid. comederet. 146. priuato viro. 148. circa illum. ibid. ante pone. Quare caueat. 149. famem. ibid. hispida. 150. tolle Reus. 151. nostræ. 153 tolle vsque animarum in hunc ibid. quò diuino. 154. prudentiam. 155. in rebus. 156. Poetæ. 158. mollities dissoluta ibid. seueritas. ibid. despotica ibid. prosequitur. 159. verum. 163. aliquot. 166. impetu. 167. & vere. 172. Adde hostis. 176. priuatio. ibid. tamen. 181. de honore. 182. inflatur. ibid. insuper. 184. orationi. ibid. quis enim his. 187. concessæ sunt. ibidem de Dei bono. 190. defendi. ibid. fit Rector. 195. Quis. 200. actione. 203. incubare. 204. abiectissima. 208. eam. 213. dio. 217. illis. 223. sabulo. si tot. 224. opera. 229. suo. 228. domino suo. ibi. in cantū. 229. infirmus. ibid. contristet. 233. hoc io genere. 234. iura non. ibid. neglecta. 236. non requisitum. 239. habebas. 240. debes tu. ibid. ianitor. 241. non deficiant. 242. Adde hoc præstare non potest ibid. ab onere. 245. tenens. 246 sentes extirpat. 247. sceuerat.






IHS